

BREVIARIUM ROMANVM,

Ex sacra potissimum scriptura, & probatis sanctorum
historiis nuper confectum, ac denuo per
eundem authorem accuratius
recognitum.

*scrutamini scripturas, quoniam illæ sunt,
quæ testimonium perhibent de me.
Iohan. V.*

VENETIIS APVD INVICTAS
M D LXIII

A D S A N C T I S S I M V M P A T R E M
& Dominum nostrum Paulum tertium
Pontificem Maximum,

Francisci Quignonij Tituli Sanctæ Crucis in Ierusalem presbyteri
Cardinalis, in Breuiarium proxime confectum, ac denuo
recognitum.

P R Æ F A T I O.

 Breuiarium Romanum nuper a nobis felicitis recordationis Clementis VII. Pontifi. Maximi hortatu confectum, ac potius in ampliorem sacrarum scripturam lectionem, ad veterem sanctorum patrum, & conciliorum antiquorum formam reuocatum, tuaque voluntate sanctissime pater editum, graues plerosque ac doctos viros ita probasse & recepisse intellexi, vt nihil in eo metandum existimarent. Alios item animaduerti graues etiam, & prudentes homines, qui eius rationem magnopere probantes, nonnihil tamen in eo desiderari affimarent. Illud vero nunquam dubitatui, fore in tanta multitudine nonnullos ex ijs videlicet, qui in diuerso precandi ritu consenuissent, quibus labor ille noster non esset perinde gratus, existimantibus ab inueterata illa consuetudine precandi nulla ratione clericis esse discedendum. Imo vero nobis primam editionem Breuiarij, non tanquam promulgationem legis esse placuerat, sed quasi publicam quandam deliberationem: vt sic proposita nostra sententia, iudicia multorum exquireremus, & quod omnium commodissimum, & religioni, ac pietati conuenientissimum plerisque prudentibus, grauibusque viris visum esset, sequeremur. Nihil enim humano elaboratum ingenio tam exactum initio vnquam fuit, quin postea multorum accedente iudicio perfectius reddi possit, vt in ipsis etiam ecclesiasticis institutis, circa primitiuam præsertim ecclesiam contigisse videmus. Itaque, multorum sententiis collatis, quæ nobis partim vocibus, partim scriptis innotuerunt, iudicium eorum secuti, qui omnium prudentissime sentire visi sunt, libenter quædam addidimus, alia mutauimus, & omnia diligenter recongnouimus, retenta tamen summa forma Breuiarii. Sed quoniam sic fert natura rerum, vt nihil sit tam rectum, nihil tanta ratione in vitam vsumque hominum inductum, cuius nouitas non sit aliquibus ingrata, non temere facturi esse videmur, si rationem totius instituti nostri a nobis prius summatim redditam, nunc accuratius recognito Breuiario, paulo latius explicabimus. Mihi enim (vt sæpe sum professus) cogitanti, atque animo repetenti initia veteris instituti, quo sancitum est, vt clerici sacris initiati, vel sacerdotiis præsertim præidentes, singulis diebus perlegant horarias preces, quas Canonicas etiam appellamus, tres præcipue causæ spectatæ fuisse videri solent. Quarum ea prima est, quod cum cæteri homines in quaque ciuitate, aut suum quisque negocium agant, aut in Republica administranda sint occupati, clericis ex eo vocatis, quod sortis Domini sint, quique bonis ecclesiasticis

aluntur, hoc potissimum negocium diuinis, & humanis legibus est iniunctum, vt Deum habere propitium in commissum sibi populum, de se bene merentem cunctis rationibus enitantur. quod non solum sacrificiis efficitur, sed etiam precibus, quæ a pio corde proficiscantur. ipsi enim (vt testimonio versibusque vtar beati Alexandri papæ & martyris) pro populo interpellant, & populi peccata comedunt, quia precibus suis & oblationibus ea delent, atque consumunt. Qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro quibus necessitatibus clamant, exaudiuntur. Quod testimonio probat Iacobi Apostoli, qui nos ad precandum cohortans, Orate (inquit) pro inuicem vt saluemini. multum enim valet deprecatio iusti assidua. Altera causa est, vt qui reliquo populo exemplo debent esse virtutis & sanctimonix, assidua precatione Deum alloquentes, minus opportuni reddantur tentatori diabolo, si eos inuenerit, vt Hieronymus ait, occupatos, & a cogitationibus caducarum rerum subinde auocati, contemplationi diuinarum assuescant. Tertia, vt religionis quoque futuri magistri quotidiana sacræ scripturæ & ecclesiasticum historiarum lectione erudiantur, complectanturque (vt Paulus ait) eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, & potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Et profecto si quis modum precandi olim a maioribus traditum diligenter confideret, plane intelligat horum omnium præcipuam ab ipsis habitam esse rationem. Sed factum est nescio quo pacto precantium negligentia, vt paulatim a sanctissimis illis veterum patrum institutis discederetur. Nam libri scripturæ sacræ, qui statis anni temporibus legendi erant more maiorum (vt est in monumentis Gelasii papæ, & concilii Romani. lxx. episcoporum) vixdum incepti omittuntur in alio Breuiario. Tum historiæ sanctorum quædam tam incultæ, & tam sine delectu scriptæ habentur in eodem, vt nec auctoritatem habere videantur, nec grauitatem. Accedit tam perplexus ordo, tamque difficilis precandi ratio, vt interdum paulo minor opera in requirendo ponatur, quam, cum inueneris, in legendo. Quibus rebus animaduersis, felicitis recordationis Clemens. VII. Pontifex Maxi. cum intelligeret officii sui esse, cum aliorum Christianorum commoditatibus prospicere, tum in primis clericorum, quibus ministris vteretur in commissio sibi grege administrando, me hortatus est, negociumque dedit, vt quantum cura, & diligentia niti possem, preces horarias ita disponerem, & ad veterem illam formam, quoad fieri posset, redigerem: vt difficultatibus, dispendiisque sublatis, nec a summa rationis olim ab antiquis sanctisque patribus institutæ, discederetur: nec rursus clerici ab officio precandi deterrentur laboris magnitudine. Quam ego prouinciam libentissime suscepi, simul vt Christi vicario honestissima precipienti parerem, simul vt bono publico pro mea virili parte seruirem. Adhibitis igitur quibusdam meorum domesticorum prudentibus hominibus, ac sacrarum literarum & pontificii iuris doctrina præditis, eisdemque Græce & Latine eruditis, dedi operam quam maxime potui, vt commode ac ex vtilitate publica rem conficerem. Ac illud ante omnia visum nobis est in consuetudinem reuocare, vt scriptura sacra omnia visum nobis est in consuetudinem reuocare, vt scriptura sacra maxime omnium toto anno, & omnes psalmi singulis septimanis perlegerentur. Vtrumque enim veteribus pa-

tribus summa ratione placuisse videbamus, qui plerosque libros (vt supra dictum est) vtriusque testamenti per anni tempora legendos disposuerant in Breuiario, & per dies sic psalmos distribuerant, vt singulis septimanis totum psalterium legeretur, quod singulis diebus in primitiua ecclesia perlegi solitum esse tradit Speculator. Sed (vt supra diximus) precantium negligentia factum erat, vt minima pars scripturæ sacræ legeretur, & psalmorum plerisque omissis, pauci singulis fere diebus repeterentur. Quod eis accidit, dum officij ferialis optime sanctissimeque, a maioribus instituti longitudinem & laborem refugerent. Ad quem vitandum, varia compendia excogitantes, consuetudinem induxerunt omissis feriis, toto fere anno sanctorum festa celebrandi, etiam in quadragesima. quod quantum sit contra veterum instituta, declarat concilium Laodicenum, quo cautum est, ne in quadragesima martyrum natalitia celebrentur, & item Toletanum decimum, in quo traditur, nihil esse in quadragesima de sanctorum solennitatibus celebrandum, idque de antiquitate regulari cautum esse. Quod ipsi animaduertentes, conditionemque temporum & infirmitatem clericorum spectantes, rationem ineundam putauimus, vt pari propemodum labore, vt cum festum celebrabatur, sed minor quam cum agebatur de feria veteris testamenti, magna & vtilissima pars, & totum nouum, præter partem Apocalypsis, in anno, & singulis Septimanis psalmi omnes perlegerentur, terni singulis horis, vnus longitudine cum alterius breuitate sic compensata, vt labor legendi diurnus par propemodum sit omnibus diebus, siue feria sit, siue festum celebretur, habita quoque in distribuendo, quoad fieri potuit, ratione feriarum, festorum non perinde, nec enim si cuius psalmi vnum aut alterum verbum potest ad aliquod festum accommodari, idcirco mutandus erat ordo commodissimus, quo nullus psalmorum in hebdomada prætermittitur, vt non illa verba solum, sed cætera omnia in ipsis contenta mysteria, liceat intelligentibus septimoquoque die contemplari. Nam ad psalterium perlegendum, si veterem illam rectam & sanctam psalmorum distributionem ferialem, in qua psalmi quidam quotidie repetuntur, retinuissimus, longitudo officij perinde vt antea clericos deterreret, qui hac commodissima, & ad vetus institutum afformata mediocritate, multum, vtiam experti sumus, alliciuntur. Nam licet opera consueta legendi scripturas, parum minuatur in hoc Breuiario, præsertim cum pleraque omnia ex libro legi sit necesse, curauimus tamen, vt ordine longe simpliciore, & expeditiore magna pars laboris minueretur, sublato tædio & difficultate, psalmos, & alia hincinde cum mora & molestia perquirendi, & difficillimam rationem longo tempore perdiscendi. Versiculos, responsoria, & capitula omittere idcirco visum est, non quod hæc superuacanea aut inutilia viderentur (augent enim pietatem, & sunt scripturæ sacræ particulæ) sed quoniam cum introductæ sint ad cantus potissimum modulandes, & legentes sæpe morentur cum molestia quæritandi, locum relinqui voluimus continenti lectioni scripturæ sacræ, quæ magis facit ad pietatem atque doctrinam priuatim legentium, quorum hac quidem in parte maiorem rationem haberi voluimus, quam concinentium. Nec enim ad precandum cuncta vtilia & salubria congeri debent, ne clerici grauentur iniquiori pondere. Atque vtinam tam robusti essemus, vt totum etiam vetus testamen-

tum in anno perlegere nongrauemur, libenter enim omnes illius libros legendos proponeremus: sed (vt dictum est) habenda fuit ratio, ne precandi labor in tanta clericorum infirmitate modum excederet. Officium beatæ virginis in alio Breuiario vsitatum omittitur, nec propterea minuitur ipsius honor. Nam paucis festis exceptis, quotidie variis commemorationibus adoratur, & obsecratur: atque eius memoria multis dicatis eidem festis, & octauis pro cuiusque ratione celebratur, ipsisque solidum officium tribuitur sabbatis fere omnibus præterquam in Quadragesima, in qua ne ipsum quidem Annuntiationis festum celebrari placuit veteribus patribus: vt docet idem Concilium, quod supra diximus, Toletanum. Et profecto quorundam Psalmorum grauem plerisque repetitionem omitti, non iam molestum esse virgini matri credi par est, quam gratum illud, quod clerici ad ipsius filij Iesu Christi diuinum cultum commodissima & expedita ratione alliciantur. Ex sanctorum historiis diligenter consideratis, quasdam delegimus, ex probatis authoribus Græcis & Latinis fere decerptas, & has cultiore stylo non tamen fucato, sed potius ex industria & iussu Clementis pontificis attemperato, disposuimus per annum totum. Nam licet veteribus in quadragesima nulla (vt docuimus) sanctorum festa celebrari placuerit, tamen a iunioribus tam assidue in ea quoque celebrantur, vt a nobis ne tum quidem omnino festa saltem solennia sine aliquo pusillorum offendiculo vitari posse putauerimus. Vt igitur quasdam sanctorum historias retinuimus, aut reposuimus denuo conquisitas, sic quasdam omisimus illis nec probabilitate, nec grauitate pares, temeritate videlicet priuata quorundam introductas, qui dum fugerent officii ferialis longitudinem, festa sanctorum studiose conquirentes, quasdam in Breuiario præter publicam auctoritatem inconsultis Pontificibus inserendas curauerunt, quas Pontifices ipsi haud dubie in vsum ecclesiæ non admisissent. Sunt enim nonnullæ (nisi fallimur) ex earum genere, quæ publico sanctissimoque decreto ab ecclesia reiiciuntur, & quidem in eo loco siue capite celeberrimo in quo sancta Romana ecclesia quas scripturas clericis legendas admittat, & rursus quas reiiciat, explicatur. Vbi cum multa summo iudicio sancita, tum illud habetur sanctissime & grauissime a sanctis patribus institutum de historiis sanctorum, quarum auctores ignorantur. Ibi enim Gelasius papa ex synodo septuaginta episcoporum, Gesta (inquit) sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quid ita esse catholicorum dubitet? & maiora eos in agone fuisse perpressos? nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio vniuersa tolerasse? Sed ideo secundum auctoritatem antiquam & consuetudinem in sancta Romana ecclesia non leguntur: quia eorum, qui scripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut dictis superflua, aut minus apta quam rei ordo fuerit scripta esse putantur. Hactenus Gelasius papa. Qui statim subiiciens exempla quorundam sanctorum, quorum historiæ ab hæreticis probabantur esse conscriptæ, rursus ait: Propter quod, vt dictum est, ne vel leuius subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur, sic Gelasius. Contra hæc igitur, quæ summa ratione fuerant a sanctis patribus instituta, animaduertentes quædam, temeritate quorundam priuata irrepsisse, diligenter

curauimus, vt quæ publico ecclesiæ decreto reiciuntur, omnino vitaremus, & in quibusdam aliis resecatis, quæ ad rem minus pertinerent, probatissima quæque consecræmur, iuxta præceptum Pauli, quem his quoque in rebus authorem adhibere iubemur ibidem ab ecclesia. Gelasius enim in eodem loco de nonnullis historiis certitudinis non admodum exploratæ, quæ a catholicis legerentur, loquutus, hæc subiicit. Sed cum hoc ad catholicorum manus peruenerit, beati Pauli Apostoli sententia præcedat: Omnia probate: quod bonum est tenete. Precum pro Pontificibus & regibus, & fidelium bonis spiritalibus ac temporalibus, diligenter est adhibita ratio. Nam singulis diebus ad Matutinum & Vesperam, nostris temporibus pacem, ecclesiæ iustitiam & sanctitatem precamur, & fideles omnes tum viuentes, tum etiam defunctos Deo commendamus. Quod impensius etiam efficitur, cum officium defunctorum, siue psalmi pœnitentiales cum litanis & orationibus leguntur, vt sæpe fit in quadragesima, quod prius tunc fiebat duntaxat cum ageretur de feria. Sed hoc tam rarum erat consuetudine clericorum festa pro feriis celebratum, vt plerique ipsorum vix semel aut iterum toto anno legerent officium feriale. Itaque si quis diligenter animaduernerit, & vetus patrum concilium institutumque considerauerit, plane intelliget, hoc Breuiarium non tam esse nouum inuentum, quam Breuiarij antiqui adhibito quodam temperamento restitutionem. Habet igitur hæc precandi ratio tres maximas commoditates. Primam, quod precantibus simul acquiritur vtriusque testamenti peritia. Secundam, quod res est expeditissima propter summam ordinis simplicitatem, & nonnullam breuitatem. Tertiam, quod historiæ sanctorum sic conscriptæ sunt, vt nihil habeant, quod graues & doctas aures offendat. Si cui ergo laboriosum in hoc Breuiario videbitur, pleraque omnia ex libro legi, cum multa in alio, quæ propter frequentem repetitionem ediscuntur, memoriter pronuntientur, compenset cum hoc labore cognitionem sacræ scripturæ, quæ sic in dies augescit, & intentionem animi, quam Deus ante omnia in precantibus requirit (hanc enim maiorem legentibus, quam memoriter proferentibus adesse necesse est) & huiusmodi laborem non modo fructuosum, sed etiam salutarem iudicabit. Orandum est enim, vt Paulus ait, spiritu, & mente. Nam sine fructu mens eius est, qui orat lingua tantum, id est qui sine attentione, ac velut aliud agens precatur, quod fere accidit iis, qui psalmos memoriter percurrunt. Habes, pater sanctissime, instituti nostri rationem, habes formulam Breuiarij. Superest vt quemadmodum cœpisti, aspices cœptis nostris, labori faueas, publicæ commoditatis causa suscepto. Vale.

Tabula literarum Dominicalium. 1564.

b	g	f	e	d	b	A	g	f	d	c	b	A	f
A				c				e				g	
e	d	c	A	g	f	e	c	b	A	g	e	d	c
		b				d			f				

IN Tabula suprascripta, literam Dominicalem singulis annis hoc pacto inuenius. Primam literam, quæ est **b a** tribue anno. **1564**. Sequentem, quæ est **g** tribue anno. **1565**. Sicque deinceps progredere quousque peruenias ad numerum anni, cuius literam scire vis. Quia litera super quam cadit numerus illius anni, erit litera Dominicalis. Quæ si vnica occurrerit, annum communem esse intelliges: si duplex, Bissextilem. Et tunc prior, id est superior, vsque ad festum Mathiæ apostoli deseruiet. Inferior autem ad reliquam anni partem accommodabitur. Sciendum autem quod finitis **18**. annis, redeundum est ad principium cum annis tunc currentibus.

Aureus numeris.

7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.1.2.3.4.5.6.7.8.
9.10.11.12.13.14.15.

Simili modo, vt dictum est de litera Dominicali deprehendes etiam aureum numerum in suprascripta numerorum serie. Nam primum numerum, qui est. **7**. tribue anno. **1564**. Sequentem qui est. **8**. tribue anno. **1565**. & sic deinceps, donec ad annum tuum peruenias: & finitis. **19**. annis, regredere iterum ad principium.

Nouiluniorum Canon.

NOuilunium singulis mensibus sic reperitur: Habito aureo numero anni tui, vbicunque ille in ordine aurei numeri in Calen. posito tibi occurrerit, a loco illius diei iuxta positi sequentium verborum syllabas sursum computa. In coelis est **hic**. vnique diei accommodando syllabam vnam. Diesque, ille supra quem syllaba, **hic**. ceciderit, dies est Nouilunii. In sequenti Calend. cuilibet festo habenti aliquid proprium apponitur, quoto folio id inueniatur. Alia vero festa, quibus non apponitur folio nihil habent proprium. Item in quibusdam diebus assignantur tertiæ lectiones repetendæ ex epistolis cum fit officium de feria, quarum nonnullæ in quibusdam annis omittuntur, in aliis autem leguntur, vt infra in regulis generalibus videbitur.

IANVARIVS HABET DIES XXXI.

Au. nu.			Dies	
iij	A	Calendis	1	Circuncisio Christi duplex maius. 615.
	b	iiij no.	2	Octaua sancti Stephani duplex mi. 616.
xj	c	ij no.	3	Octaua sancti Ioannis euan. du. mi. 616.
	d	prid. no.	4	Octaua sanctorum Innocen. dup. mi. 616.
xix	e	Nonis	5	De vigilia epiphaniæ. 616.
viiij	f	viiij id.	6	Epiphania Christi duplex maius. 617.
	g	vij id.	7	De octaua Epiphaniæ. 619.
xvj	A	vj id.	8	De octaua Epiphaniæ. 619.
v	b	v id.	9	De octaua Epiphaniæ. 620.
	c	iiij id.	10	De octaua Epiphaniæ. 620.
xiiij	d	ij id.	11	De octaua Epiphaniæ. 620.
ij	e	pridi. id.	12	De octaua Epiphaniæ. 621.
	f	Idibus	13	De octaua Epiphaniæ duplex mi. 621.
x	g	xix cal.	14	Basilius episcopus confes. Fuit. 1. hu. 622.
	A	xviiij cal.	15	Martina virg: marty. Fuit. 2. hu. 622.
xviiij	b	xvij cal.	16	Marcellus papa martyr. 623.
vij	c	xvj cal.	17	Antonius abbas duplex minus. 623.
	d	xv cal.	18	Cathedra Romana Petri dup. ma. 623.
xv	e	xiiii cal.	19	Telespho. papa mart. Fuit. 5. hu. 624.
iiiiij	f	xiiij cal.	20	Fabianus papa & Sebast. mar. du. mi. 625.
	g	xij cal.	21	Agnes virgo mar. duplex minus. 625.
xij	A	xj cal.	22	Vincentius & Anastasius mar. 626.
j	b	x cal.	23	Alphonsus archiepiscopus confes. 627.
	c	ix cal.	24	Timotheus episcopus marty. 627.
ix	d	viiij cal.	25	Conuersio Pauli apostoli dup. ma. 627.
	e	vij cal.	26	Polycarpus episcopus marty. 628.
xvij	f	vj cal.	27	Ioannes Chrysostomus episcopus confes. 629.
vj	g	v cal.	28	Lucianus presby. mar. Fuit. 7. hu. 629.
	A	iiiiij cal.	29	Paulus primus eremita. Fuit. 10. hu. 630.
xiiiiij	b	ij cal.	30	Iginus papa mar. Fuit. 11. hu. 630.
	c	prid. cal.	31	Hilarius episcopus confes. Fuit. 13. hu. 630.

FEBRVA. HABET DIES XXVIII.

Et si fuerit Bissextus. XXIX.

Au. nu.				Dies	
	d	Calendis		1	Ignatius episcopus martyr. folio. 631.
xi	e	iiii	no.	2	Purificatio Mariæ virginis du. ma. 631.
xix	f	iii	no.	3	Blasius episcopus martyr. 632.
viii	g	prid.	no.	4	Phileas episcopus & Philoromus mar. 632.
	A	Nonis		5	Agata virgo martyr. 632.
xvi	b	viii	id.	6	Dorothea virgo martyr. 633.
v	c	vii	id.	7	Adauctus, & socii martyres. 633.
	d	vi	id.	8	Cointha virgo martyr. 633.
xiii	e	v	id.	9	Apollonia virgo martyr. 633.
ii	f	iiii	id.	10	Scholastica virgo. 634.
	g	iii	id.	11	Prisca virgo mar. quæ fuit. 18 Ian. 634.
x	A	prid.	id.	12	Eulalia virgo martyr. 634.
	b	Idibus		13	Ex epist. i. Petri. Propter quod. 600.
xviii	c	xvi	cal.	14	Valentinus presbyter martyr. 634.
vii	d	xv	cal.	15	Faustinus, & Iouita marty. 634.
	e	xiiii	cal.	16	Iuliana virgo martyr. 634.
xv	f	xiii	cal.	17	Ex epist. i. Petri. Deponentes. 601.
iiii	g	xii	cal.	18	Ex epist. i. Petri. Charissimi. 602.
	A	xi	cal.	19	Gabinus presbyter martyr. 634.
xii	b	x	cal.	20	Ex epist. i. Petri. Similiter. 603.
i	c	ix	cal.	21	Ex epist. i. Petri. Christo igitur. 604.
	d	viii	cal.	22	Cathedra Antioch. Pet. apo. du. ma. 623.
ix	e	vii	cal.	23	Ex epist. i. Petri. Seniores. Vigilia. 605.
	f	vi	cal.	24	Mathias aposto duplex maius. 635.
xvii	g	v	cal.	25	Epist. Pauli ad Phil. Paulus. 547.
vi	A	iiii	cal.	26	Ex epist. Pauli ad Philip. Mihi. 548.
	b	iii	cal.	27	Iulianus, & Eunus martyres. 635.
xiii	c	prid.	cal.	28	Ex epist. Pauli ad Philip. Itaque. 549.

MARTIVS HABET DIES XXXI.

Au. nu.				Dies	
iii	d	Calendis		1	Ex epist. Pauli ad Phil. De cæte. fo. 551.
	e	iiii	no.	2	Ex epist. Pauli ad Philip. Itaque fres. 552.
xi	f	iii	no.	3	Emete. & Cel. & Aste. marty. 635.
	g	prid.	no.	4	Lucius papa martyr. 636.
xix	A	Nonis		5	Epistola ad Coloss. Paulus. 585.
viii	b	viii	id.	6	Epistola ad Coloss. Et vos. 586.
	c	vii	id.	7	Thomas Aquin. confessor. 636.
xvi	d	vi	id.	8	Epistola ad Coloss. Videte. 587.
v	e	v	id.	9	Quadraginta milites marty. 636.
	f	iiii	id.	10	Æquinoctium.
xiii	g	iii	id.	11	
ii	A	pridi.	id.	12	Gregorius papa confes. duplex mi. 637.
	b	Idibus		13	
x	c	xix	cal.	14	
	d	xviii	cal.	15	
xviii	e	xvii	cal.	16	
vii	f	xvi	cal.	17	
	g	xv	cal.	18	
xv	A	xiiii	cal.	19	Ioseph confessor duplex minus. 637.
iiii	b	xiii	cal.	20	
	c	xii	cal.	21	Benedictus abbas duplex minus. 638.
xii	d	xi	cal.	22	
i	e	x	cal.	23	
	f	ix	cal.	24	
ix	g	viii	cal.	25	Annuntiatio Mariæ virgi. du. ma. 638.
	A	vii	cal.	26	
xvii	b	vi	cal.	27	
vi	c	v	cal.	28	
	d	iiii	cal.	29	
xiiii	e	iii	cal.	30	Ex epist. ad Coloss. Igitur si. 588.
iii	f	prid.	cal.	31	Ex epist. ad Coloss. Domini quod. 589.

APRILIS HABET DIES XXX.

Au. nu.			Dies	
	g	Calendis	1	Ex epist. j. ad Thess. Paulus. folio. 180.
xj	A iiij	no.	2	Ex epist. ad Thess. Ideo & nos. 182.
	b	iiij	3	Pancratius martyr.
xix	c	prid.	4	Isidorus episcopus confessor. 639.
viiij	d	Nonis	5	Vincentius confessor ordinis prædi.
xvj	e	viiij	6	Xystus papa martyr. 639.
v	f	viiij	7	Ex epist. prima ad Thess. De cetero. 183.
	g	viiij	8	Dionysius episcopus confessor.
xiiij	A v	id.	9	Ex epist. prima ad Thes. De tempo. 184.
ij	b	iiij	10	Ex epist. secunda ad Thess. Paulus. 186.
	c	iiij	11	Leo primus papa confess. 640.
x	d	pridi.	12	Ex epist. secunda ad Thes. Rogamus. 186.
	e	Idibus	13	Iustinus philosophus martyr 640.
xviiij	f	xviiij	14	Valerian. Tybur. & c. martyres. 640.
vij	g	xviiij	15	Ex epist. secunda ad Thes. De cetero. 188.
	A xvj	cal.	16	Ex epist ad Ephesi. Paulus. 171.
xv	b	xv	17	Anicetus papa martyr.
iiiiij	c	xiiiiij	18	Apollonius Senator martyr. 641.
	d	xiiiiij	19	Ex epist ad Ephesi. Et vos. 173.
xij	e	xij	20	Ex epist. ad Ephes. Huius rei. 174.
j	f	xj	21	Ex epist. ad Ephes. Obsecro. 175.
	g	x	22	Caius papa martyr. 641.
ix	A ix	cal.	23	Georgius martyr.
	b	viiij	24	Ex epist. ad Ephes. Renouamini. 177.
xviij	c	viiij	25	Marcus euangelista duplex maius. 641.
vj	d	viiij	26	Cletus & Marcel. papæ, & mar. 642.
	e	v	27	Anastasius papa confessor.
xiiiij	f	iiiiij	28	Vitalis martyr.
iiij	g	iiiiij	29	Petrus ordinis prædica. mart. 642.
	A prid.	cal.	30	Ex epistola ad Ephes. Videte. 178.

MAIVS HABET DIES XXXI.

Au. nu.			Dies	
xi	b	Calendis	1	Philippi & Iacobi apost. du. ma. folio. 643.
	c	vi no.	2	Athanasius episcopus confes. 643.
xix	d	v no.	3	Inuentio sanctæ Crucis duplex ma. 644.
viii	e	iiii no.	4	Monica mater sancti. Augustini.
	f	iii no.	5	Alexander papa mar. Fuit. 3. huius. 646.
xvi	g	prid. no.	6	Ioannis ante portam Latinam dup. mi. 646.
v	A	Nonis	7	Ex epist. ad Ephes. Filii obed. 129.
	b	viii id.	8	Apparitio sancti Michaelis dup. mi. 647.
xiii	c	vii id.	9	Grego. Nazianze. episcopus confes. 647.
ii	d	vi id.	10	Gordianus & Epimachus marty.
	e	v id.	11	Epist. Iacobi. Iacobus. 262.
x	f	iiii id.	12	Nereus, Achileus, & Panca. marty.
	g	iii id.	13	Ex epist. Iacobi. Estote. 264.
xviii	A	pridi. id.	14	Victor & Corona martyres. 647.
vii	b	Idibus	15	Ex epist. Iacobi. Quicumque. 266.
	c	xvii cal.	16	Ex epist. Iacobi. Nolite. 267.
xv	d	xvi cal.	17	Ex epist. Iacobi. Vnde bella. 269.
iiii	e	xv cal.	18	Ex epist. Iacobi. Agite nunc. 271.
	f	xiiii cal.	19	Potentiana virgo. 647.
xii	g	xiii cal.	20	Bernardinus confessor. 648.
i	A	xii cal.	21	Iuo presbyt. confes. Fuit. 19. huius.
	b	xi cal.	22	Ex epist. Philip. Paulus & Timot. 547.
ix	c	x cal.	23	Ex epist. Philip. Mihi enim. 548.
	d	ix cal.	24	Ex epist. Philip. Itaque. 549.
xvii	e	viii cal.	25	Vrbanus papa martyr. 648.
vi	f	vii cal.	26	Eleuterius papa martyr.
	g	vi cal.	27	Ioannes papa marty.
xiiii	A	v cal.	28	Germanus episcopus confessor.
iii	b	iiii cal.	29	Ex epist. ad Philip. De cætero. 551.
	c	iii cal.	30	Felix papa marty. 649.
xi	d	prid. cal.	31	Petronilla virgo.

IVNIVS HABET DIES XXX.

Au. nu.		Calendis	Dies	
	e		1	Pamphilus presbyter martyr. folio. 649.
xix	f	iiii no.	2	Marcellinus, & Petrus martyres. 649.
viii	g	iii no.	3	Ex epist. ad Philip. Itaque. 552.
xvi	A	prid. no.	4	Ex epist. i. Ioan. Quod fuit. 250.
v	b	Nonis	5	Ex epist. i. Ioan. Filioli mei. 251.
	c	viii id.	6	Ex epist. i. Ioan. Filioli nouiss. 253.
xiii	d	vii id.	7	Ex epist. i. Ioan. Videte. 254.
ii	e	vi id.	8	Ex epist. i. Ioan. Charissimi. 256.
	f	v id.	9	Primus, & Felicianus martyres.
x	g	iiii id.	10	Ex epist. i. Ioan. Omnis qui. 257.
	A	iii id.	11	Barnabas apostolus du. ma. Solstitium. 649.
xviii	b	pridi. id.	12	Basilides, Cyrinus, & c. martyres.
vii	c	Idibus	13	Antonius confes. ordinis mino. 650.
	d	xviii cal.	14	Ex epist. ii. Ioan. Senior elect. 259.
xv	e	xvii cal.	15	Vitus, Modestus & Crescen. martyres.
iiii	f	xvi cal.	16	Ex epist. iii. Ioan. Senior Caio. 261.
	g	xv cal.	17	Ex epist. i. ad Coloss. Paulus. 585.
xii	A	xiiii cal.	18	Marcus, & Marcellianus mar. 650.
i	b	xiii cal.	19	Geruasius, & Prothasius marty. 651.
	c	xii cal.	20	Siluerius papa martyr.
ix	d	xi cal.	21	Ex epist ad Coloss. Et vos cum. 586.
	e	x cal.	22	Paulinus episcopus confessor.
xvii	f	ix cal.	23	Ex epist. ad Coloss. Videte. Vigilia. 587.
vi	g	viii cal.	24	Natiuitas sancti Ioan. Bap. du. ma. 651.
	A	vii cal.	25	De octaua sancti Ioannis. 653.
xiiii	b	vi cal.	26	Ioannis & Pauli mar. dup. mi. 653.
iii	c	v cal.	27	De octaua sancti Ioannis. 653.
	d	iiii cal.	28	De octaua sancti Ioannis. Vigilia. 654.
xi	e	iii cal.	29	Petri & Pauli apostoli dup. ma. 654.
	f	prid. cal.	30	Commemo. Pauli apostoli dup. mi. 655.

IVLIVS HABET DIES XXXI.

Au. nu.		Calendis	Dies	
xix	g		1	Octa. nati. sancti Ioan. Bap. du. mi. folio. 656.
viii	A	vi no.	2	Visitatio Mariæ virginis dup. ma. 657.
	b	v no.	3	De octaua Visitationis. 658.
xvi	c	iiii no.	4	De octaua Visitationis. 658.
v	d	iii no.	5	De octaua Visitationis 658.
	e	prid. no.	6	Octa. apost. Petri & Pauli dup. mi. 659.
xiii	f	Nonis	7	De octaua Visitationis. 659.
ii	g	viii id.	8	De octaua Visitationis 660.
	A	vii id.	9	Octaua Visitationis duplex mi. 660.
x	b	vi id.	10	Septem fratres martyres. 660.
	c	v id.	11	Pius papa confessor. 661.
xviii	d	iiii id.	12	Nabor & Felix martyres.
vii	e	iii id.	13	Anacletus papa martyr. 661.
	f	pridi. id.	14	Processus & Martini. Fuit. 2. huius. 661.
xv	g	Idibus	15	Bonauen. card. episc. conf. Fuit. 13. hu. 662.
iiii	A	xvii cal.	16	Eustachius episcopus confessor.
	b	xvi cal.	17	Alexius confessor.
xii	c	xv cal.	18	Symphorosa cum septem fil. mar. 662.
j	d	xiiii cal.	19	Iusta & Ruffina virgi. martyr.
	e	xiii cal.	20	Margareta virgo martyr.
ix	f	xii cal.	21	Praxedis virgo. 663.
	g	xi cal.	22	Maria Magdalena duplex mi. 663.
xvii	A	x cal.	23	Apollinaris episcopus martyr.
vi	b	ix cal.	24	Christina virgo martyr. Vigilia.
	c	viii cal.	25	Iacobus apostolus duplex maius. 664.
xiiii	d	vii cal.	26	Anna mater Mariæ virgi. dup. mi. 664.
iii	e	vi cal.	27	Pantaleon martyr.
	f	v cal.	28	Nazarius & socij martyr.
xi	g	iiii cal.	29	Martha virgo. 664.
xix	A	iii cal.	30	Abdon & Sennen martyres.
	b	prid. cal.	31	Nemesius & Lucilla ma. Fuit. 25. hu. 665.

AVGVSTVS HABET DIES XXXI.

Au. nu.			Dies	
	c	Calendis	1	Vincula sancti Petri duplex mi. 665.
xvi	d	iiii no.	2	Stephanus papa martyr. 666.
v	e	iii no.	3	Inuentio sancti Stepha. protomar. 666.
	f	prid.	4	Dominicus confes. duplex mi. 667.
xiii	g	Nonis	5	Sanctæ Mariæ ad niues duplex mi. 667.
ii	A	viii id.	6	Transfiguratio Domini dup. ma. 668.
	b	vii id.	7	Iustinus presbyter mar. Fuit. 4. huius. 669.
x	c	vi id.	8	Cyriacus, Largus, & c. martyres.
	d	v id.	9	Xystus. ij. pa. ma. Fuit. 6. hu. Vigilia. 669.
xviii	e	iiii id.	10	Laurentius martyr duplex ma. 669.
vii	f	iii id.	11	De octaua sancti Laurentij. 670.
	g	pridi.	12	Clara virgo duplex minus. 671.
xv	A	Idibus	13	De octaua sancti Laurentij. 671.
iiii	b	xix cal.	14	De octaua sancti Laurentij. Vigilia. 672.
	c	xviii cal.	15	Assumptio Mariæ virginis du. ma. 672.
xii	d	xvii cal.	16	De octaua Assumptionis. 673.
i	e	xvi cal.	17	Octaua sancti Laurentij dup. mi. 673.
	f	xv cal.	18	De octaua Assumptionis. 673.
ix	g	xiiii cal.	19	De octaua Assumptionis. 674.
	A	xiii cal.	20	De octaua Assumptionis. 674.
xvii	b	xii cal.	21	De octaua Assumptionis. 675.
vi	c	xi cal.	22	Octaua Assumptionis duplex mi. 675.
	d	x cal.	23	Bernard. abbas. Fuit. 20. hu. Vigilia. 675.
xiiii	e	ix cal.	24	Bartholo. aposto. duplex ma. 676.
iii	f	viii cal.	25	Ludouicus rex Francorum confessor.
	g	vii cal.	26	Zepherinus papa martyr. 676.
xi	A	vi cal.	27	Rufus martyr.
xix	b	v cal.	28	Augustinus episc. confes. dup. mi. 677.
	c	iiii cal.	29	Decollatio Ioannis Baptista du. ma. 677.
viii	d	iii cal.	30	Felix & Adactus martyr.
	e	prid.	31	Ex epist. ad Coloss. Igitur si consur. 588.

SEPTEMBER HABET DIES XXX.

Au. nu.				Dies	
xvi	f	Calendis		1	Ægidius abbas
v	g	iiii	no.	2	Ex epist. ad Coloss. Domini quod. 589.
	A	iii	no.	3	Seraphia virgo martyr. 678.
xiii	b	prid.	no.	4	Ex epist. i. ad Timot. Paulus. 189.
ii	c	Nonis		5	Ex epist. i. ad Timot. Obsecro. 191.
	d	viii	id.	6	Ex epist. i. ad Timot. Fidelis. 191.
x	e	vii	id.	7	Ex epist. i. ad Timot. Spiritus. 192.
	f	vi	id.	8	Natiui. Mariæ virginis duplex ma. 678.
xviii	g	v	id.	9	De octaua Natiuitatis. 679.
vii	A	iiii	id.	10	De octaua Natiuitatis. 680.
	b	iii	id.	11	De octaua Natiuitatis. 680.
xv	c	pridi.	id.	12	De octaua Natiuitatis. 680.
iiii	d	Idibus		13	De octa. Natiuitatis. Æquinodium. 681.
	e	xviii	cal.	14	Exaltatio sanctæ Crucis duplex ma. 681.
xii	f	xvii	cal.	15	Octaua Natiui. virgi. duplex mi. 682.
i	g	xvi	cal.	16	Pet. dor. & G. mar. Fuerunt. 9. hu. 682.
	A	xv	cal.	17	Cor. & Cyp. mar. Fuerunt. 14. hu. 683.
ix	b	xiiii	cal.	18	Methodius episcopus martyr.
	c	xiii	cal.	19	Ianuarus & socij martyres.
xvii	d	xii	cal.	20	Eustachius & socij marty. Vigilia.
vi	e	xi	cal.	21	Matthæus apostolus & euang. dup. 683.
	f	x	cal.	22	Mauricius & socij marty. 684.
xiiii	g	ix	cal.	23	Linus papa martyr. 684.
iii	A	viii	cal.	24	Tecla virgo martyr.
	b	vii	cal.	25	Ex epist. i. ad Timot. Seniore. 193.
xi	c	vi	cal.	26	Ex epist. i. ad Timot. Quicunque. 195.
xix	d	v	cal.	27	Cosmas & Damianus martyr. 685.
	e	iiii	cal.	28	Epistola ad Philem. Paulus. 196.
viii	f	iii	cal.	29	Dedicatio Mich. archan. dup. ma. 685.
	g	prid.	cal.	30	Hieronymus presby. confes. dup. mi. 687.

OCTOBER HABET DIES XXXI.

Au. nu.			Dies	
xvj	A	Calendis	1	Remigius episcopus confes. folio.
v	b	vj no.	2	Ex epist. ij. ad Timot. Paulus. 590.
xiiij	c	v no.	3	Ex epist. ij. ad Timot. Tu ergo. 592.
ii	d	iiiij no.	4	Franciscus confes. duplex minus. 687.
	e	iiij no.	5	Ex epist. ij. ad Timot. Hoc autem. 593.
x	f	prid. no.	6	Ex epist. ij. ad Timot. Testificor. 594.
	g	Nonis	7	Marcus papa confessor. 688.
xviiij	A	viiij id.	8	Ex epist. ad Titum. Paulus. 595.
vii	b	vij id.	9	Dionysij, Rusti. & c. marty. 688.
	c	vj id.	10	Ex epist. ad Titum. Tu autem. 596.
xv	d	v id.	11	Ex epist. ad Titum. Admone. 597.
iiiiij	e	iiiij id.	12	Ex epist. j. ad Corint. Paulus. 342.
	f	iiij id.	13	Ex epist. j. ad Corint. Videte. 344.
xii	g	pridi. id.	14	Calistus papa martyr. 689.
i	A	Idibus	15	Ex epist. j. ad Corint. Et ego. 345.
	b	xvij cal.	16	Ex epist. j. ad Corint. Sic nos. 346.
ix	c	xvj cal.	17	Ex epist. j. ad Corint. Rogo. 347.
	d	xv cal.	18	Lucas euangelista duplex maius. 689.
xvii	e	xiiiij cal.	19	Ptolomæus & Lucius martyr. 690.
vj	f	xiiij cal.	20	Ex epist. j. ad Corint. Audet. 348.
	g	xij cal.	21	Vrsula & sociæ virgi. & marty.
xiiiiij	A	xj cal.	22	Hilarion abbas. Fuit herii. 690.
iiij	b	x cal.	23	Ex epist. j. ad Corint. De quibus. 350.
	c	ix cal.	24	Ex epist. j. ad Corint. De virgi. 351.
xi	d	viiij cal.	25	Chrysanthus & Daria marty.
xix	e	vij cal.	26	Euaristus papa martyr. 691.
	f	vj cal.	27	Ex epist. j. ad Corint. De iis. Vigilia. 352.
viiij	g	v cal.	28	Simon & Iudas apostoli dup. ma. 691.
	A	iiiij cal.	29	Marcellus martyr. 691.
xij	b	iiij cal.	30	Ex epist. j. ad Corint. Non sum. 353.
v	c	prid. cal.	31	Ex epist. j. ad Cor. Et factus. Vigilia. 354.

NOVEMBER HABET DIES XXX.

Au. nu.			Dies	
	d	Calendis	1	Festum omnium sanct. du. ma. folio. 692.
xiiij	e	iiij no.	2	De octaua. Item commemo. defun. 693.
ij	f	ij no.	3	De octaua. 693.
	g	prid. no.	4	De octaua. 694.
x	A	Nonis	5	De octaua. 694.
	b	viiij id.	6	De octaua. 694.
xviii	c	vij id.	7	De octaua. 694.
vij	d	vj id.	8	Octaua omnium sanctorum dup. mi. 695.
	e	v id.	9	Dedicatio Basilicæ Salua. dup. mi. 695.
xv	f	iiij id.	10	Triphon, & socij martyres.
iiii	g	ij id.	11	Martinus episcopus confessor dup. mi. 696.
	A	pridi. id.	12	Martinus papa martyr.
xii	b	Idibus	13	Britius episcopus confessor.
i	c	xviiij cal.	14	Vital. & Agric. marty. Fue. 4. huius. 697.
	d	xvij cal.	15	Ex epist. j. ad Corint. Propter. 356.
ix	e	xvj cal.	16	Ex epist. j. ad Corint. Imitatores. 358.
	f	xv cal.	17	Ex epist. j. ad Corint. Ego enim. 359.
xvii	g	xiiiij cal.	18	Dedica. Basi. Petri & Pauli dup. mi. 698.
vi	A	xij cal.	19	Pontianus papa martyr. 698.
	b	xij cal.	20	Elisabeth vidua. Fui heri. 698.
xiiii	c	xj cal.	21	Præsentatio Mariæ virgi. dup. ma. 698.
iii	d	x cal.	22	Cæcilia virgo martyr. 699.
	e	ix cal.	23	Clemens papa martyr. 699.
xi	f	viiij cal.	24	Chrisogonus papa martyr. 700.
xix	g	vij cal.	25	Catharina virg. mar. dup. mi. 700.
	A	vj cal.	26	Petrus episcopus martyr. 701.
viii	b	v cal.	27	Ex epist. j. ad Corint. Sicut enim. 361.
	c	iiij cal.	28	Ex epist. j. ad Corint. Si linguis. 363.
xvi	d	ij cal.	29	Saturni. & Sisinnius mar. Vigilia. 701.
v	e	prid. cal.	30	Andreas apostolus duplex maius. 701.

DECEMBER HABET DIES XXXI.

Au. nu.			Dies	
xiii	f	Calendis	1	Ex epist. j. ad Corin. N unc autem. folio. 364.
ii	g	iiii no.	2	Bibiana virgo martyr. 702.
	A	iii no.	3	
x	b	prid.	4	Barbara virgo martyr.
	c	Nonis	5	
xviii	d	viii id.	6	Nicolaus episc. confes. duplex mi. 703.
vii	e	vii id.	7	Ambrosius episc. confessor dup. mi. 703.
	f	vi id.	8	Conceptio Mariæ virginis dup. ma. 704.
xv	g	v id.	9	
iiii	A	iiii id.	10	Melchiades papa martyr. 705.
	b	iii id.	11	Damasus papa confessor. Solstitium. 705.
xii	c	pridi.	12	
i	d	Idibus	13	Lucia virgo mar. duplex minus. 705.
	e	xix cal.	14	
ix	f	xviii cal.	15	
	g	xvii cal.	16	
xvii	A	xvi cal.	17	
vi	b	xv cal.	18	
	c	xiiii cal.	19	
xiiii	d	xiii cal.	20	Vigilia.
iii	e	xii cal.	21	Thomas apostolus duplex maius. 706.
	f	xi cal.	22	
xi	g	x cal.	23	
xix	A	ix cal.	24	Vigilia Natiuitatis Domini. 706.
	b	viii cal.	25	Natiuitas Domini duplex maius. 707.
viii	c	vii cal.	26	Stephanus protomar. duplex ma. 710.
	d	vi cal.	27	Ioannes apostolus & euang. dup ma. 710.
xvi	e	v cal.	28	Innocentes martyres duplex mi. 711.
v	f	iiii cal.	29	Thomas archiepiscopus mar. 712.
	g	iii cal.	30	De octaua Natiuitatis. 712.
xiii	A	prid.	31	Sylvester papa confessor. 713.

Canon sequentis Tabulæ ad festa mobilia perpetuo inuenienda.



N tabula infrascripta sic festa mobilia singulis annis inuenies. Primo quere aureum numerum anni cuius festa perquiris, deinde sub eius linea quere etiam literam Dominicalem eiusdem anni, quæ primo occurrerit: & notanter dicitur sub linea: nam litera Dominicalis quæ e regione aurei numeri fuerit, eidem numero non inseruit, sed solum superioribus. Postea in eadem linea transuersali, in qua literam Dominicalem inuenisti, inuenies etiam quo mense, & quo die singula festa mobilia incidant, & quot Dominicæ Vagantes sint ante Septuagesimam, omnia hæc sub suis titulis. In anno autem bissextili quot Dominicæ Vagantes occurrant ante Septuagesimam, item quo die Septuagesima ipsa incidat, & quo Feria quarta Cinerum, inuenies per priorem eius anni literam, quæ inseruit vsque ad festum Mathiæ. Reliqua vero omnia per posteriorem exquiruntur. Sed has duas literas anni bissextilis sic accipere oportet, vt neutra earum sit e regione aurei numeri, nam tunc omissis illis, recurrendum est ad alias similes inferius primo loco currentes. Præterea si in anno bissextili dies Cinerum in mense Martio incidisse supradicta ratione deprehendatur, per vnum diem retrahenda erit. In proximis tamen triginta annis non erit necesse inspicere hanc tabulam, sed solum indicem, qui post eam positus est. qui est a 1564, vsque ad 1593.

Tabula festorum mobilium iuxta vsum Romanæ ecclesiæ.

An. ni.	Ita do.	Ier. ianuarij	Cinis febr.	palch. maetij	ascenſi. aprilis	penſe. maij.	cor. do. maij.	dominice poſt tri.	aduentus nouembriſ
5	d e	18 19	4 5	22 23	30 1 maij	10 11	21 22	27 27	29 30
13	f	20	6	24	2	12	23	27	1 decem.
2	g A	21 22	7 8	25 26	3 4	13 14	24 25	27 27	2 3
10	b c	23 24	9 10	27 28	5 6	15 16	26 27	26 26	27 nouem. 28
18	d e	25 26	11 12	29 30	7 8	17 18	28 29	26 26	29 30
7	f	27	13	31	9	19	30	26	1 decem.
15	g A	28 29	14 15	1 apri.	10 11	20 21	31 1 iunij	26 26	2 3
4	b c	30 31	16 17	3	12 13	22 23	2 3	25 25	27 nouem. 28
12	d e	1 febr.	18 19	5 6	14 15	24 25	4 5	24 25	28 30
1	f	2	20	7	16	26	6	25	1 decem.
9	g A	3 4	21 22	8 9	17 18	27 28	7 8	25 25	2 3
17	b c	5 6	23 24	10 11	19 20	29 30	9 10	24 24	27 nouem. 28
6	d e	7 8	25 26	12 13	21 22	31 1 iunij	11 12	24 24	29 30
14	f	9	27	14	23	2	13	24	1 decem.
3	g A	10 11	28 1 mar.	15 16	24 25	3 4	14 15	24 24	2 3
11	b c	12 13	2	17	26	5	16	23	27 nouem.
19	d e	14 15	3 4	18 19	27 28	6 7	17 18	23 23	28 29
8	f	16	5	20	29	8	19	23	30
	g A	17 18	6 7	21 22	30 31	9 10	20 21	23 23	1 decem. 2
	b c	19 20	8 9	23 24	1 iunij 2	11 12	22 23	23 22	3 27 nouem.
16		21	10	25	3	13	24	22	29

Index festorum mobilium

Annus currentes	Annus numerus	Littera dominicalis	septuagésima	Primum dies quadrage.	Pascha reuerrec- tionis.	Ascensio domini.	Pente- costes
1564	7	b A	30 Ja.	16 Fe.	2 apri.	11 maij	21 maij
1565	8	g	18 Fe.	7 ma.	22 apri.	31 maij	10 iunij
1566	9	f	10 Fe.	27 Fe.	14 apri.	23 maij	2 iunij
1567	10	e	26 Ja.	12 Fe.	30 mar.	8 maij	18 maij
1568	11	d c	15 Fe.	3 ma.	18 apri.	27 maij	6 iunij
1569	12	b	6 Fe.	23 Fe.	10 apri.	19 maij	29 maij
1570	13	A	22 Ja.	8 Fe.	26 ma.	4 maij	14 maij
1571	14	g	11 Fe.	28 Fe.	15 apri.	24 maij	3 iunij
1572	15	f e	3 Fe.	20 Fe.	6 apri.	15 maij	25 maij
1573	16	d	18 Ja.	4 Fe.	22 mar.	30 apri.	10 maij
1574	17	c	7 Fe.	24 Fe.	11 apri.	20 maij	30 maij
1575	18	b	30 Ja.	16 Fe.	3 apri.	12 maij	22 maij
1576	19	A g	19 Fe.	7 ma.	22 apri.	31 maij	10 iunij
1577	1	f	3 Fe.	20 Fe.	7 apri.	16 maij	26 maij
1578	2	e	26 Ja.	12 Fe.	30 mar.	8 maij	18 maij
1579	3	d	15 Fe.	4 ma.	19 apri.	28 maij	7 iunij
1580	4	c b	31 Ja.	17 Fe.	3 apri.	12 maij	22 maij
1581	5	A	22 Ja.	8 Fe.	26 mar.	4 maij	14 maij
1582	6	g	11 Fe.	28 Fe.	15 apri.	24 maij	3 iunij
1583	7	f	27 Ja.	13 Fe.	31 mar.	9 maij	19 maij
1584	8	e d	16 Fe.	4 ma.	19 apri.	28 maij	7 iunij
1585	9	c	7 Fe.	24 Fe.	11 apri.	20 maij	30 maij
1586	10	b	30 Ja.	16 Fe.	3 apri.	12 maij	22 maij
1587	11	A	12 Fe.	1 ma.	16 apri.	25 maij	4 iunij
1588	12	g f	4 Fe.	21 Fe.	7 apri.	16 maij	26 maij
1589	13	e	26 Ja.	12 Fe.	30 mar.	8 maij	18 maij
1590	14	d	15 Fe.	4 ma.	19 apri.	28 maij	7 iunij
1591	15	c	31 Ja.	17 Fe.	4 apri.	13 maij	23 maij
1592	16	b A	23 Ja.	9 Fe.	26 mar.	4 maij	14 maij
1593	17	g	11 Fe.	29 Fe.	15 apri.	24 maij	3 iunij

INDEX LIBRORVM VETERIS

Testamenti, qui in primis lectionibus legendi sunt,
quorum Genesis, & primus Regum leguntur
integri, ex aliis vero capita quædam.

Genesis	197.	Ecclesiastes	152.
Exodus	406.	Liber Sapientiæ	153.
Primus Regum	470.	Ecclesiasticus	163.
Secundus Regum	559.	Ex Isaia magna pars variis in	
Ex tertio Regum	562.	locis	93.
Quartus Regum	571.	Ex Ieremia variis in locis.	
Tobias	598.	Ex Ezechiele.	
Iudith	606.	Ex Daniele in variis locis.	
Esther	608.	Ex omnibus fere duodecim	
Iob	610.	prophetis ponuntur capita	
Prouerbia Salomonis	138.	quædam in variis locis.	

INDEX LIBRORVM NOVI

Testamenti, qui in secundis lectionibus
leguntur integri præter Apocalypsim.

Matthæi euangelium	470.	Ad Thessalonicen. secunda	186.
Marci euangelium	553.	Ad Timotheum prima	189.
Lucæ euangelium	94.	Ad Timotheum secunda	590.
Ioannis euangelium	197.	Ad Titum	595.
Acta Apostolorum	373.	Ad Philemonem	196.
Pauli epistolæ.		Ad Hebræos	526.
Ad Romanos	316.	Iacobi epistola	262.
Ad Corinthios prima	342.	Petri epistola prima	598.
Ad Corinthios secunda	452.	Petri epistola secunda	606.
Ad Galatas	163.	Ioannis epistola prima	250.
Ad Ephesios	171.	Ioannis epistola secunda	259.
Ad Philippenses	547.	Ioannis epistola tertia	261.
Ad Colossenses	585.	Iudæ epistola	524.
Ad Thessalonicen. prima	180.	Apocalypsis	611.

REGVLÆ GENERALES

ad instructionem diuini Officij.

PRIMA REGVLA.

Quomodo dicendæ sint Horæ, & in quo consistat diuersitas Officij.

Nte omnia sciendum est, quod omnes horæ dicuntur per totum annum, quemadmodum explicatur in Dominica prima Aduentus. Item, quod ad singulas horas singuli tantum dicendi sunt Hymni ante Psalmos, & ideo ad Laudes non dicitur Hymnus, quia Matutinum & Laudes pro vna hora reputantur. Sciendum præterea, quod Psalmi singulis diebus totius anni sine vlla exceptione dicuntur ad omnes horas, quemadmodum distributi sunt in Psalterio. Similiter prima & secunda lect. semper dicuntur vt dispositæ sunt in Dominicali, præterquam in die Natiuitatis Domini, & in die Epiphaniæ, quia tunc assignantur aliæ lectiones. Aduertendum insuper, quod Hymni assignati in Dominica prima Aduentus ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium. Item orationes **Domine Deus omnipotens.** ad Primam. & **Visita quæsumus.** ad Completorium, necnon Antiph. **Salua nos.** ad Completorium nunquam omituntur in toto anno, præterquam in triduo ante Pascha. Similiter Antiphonæ assignatæ in Psalterio ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam nunquam mutantur, præterquam a Feria. v. in cœna Domini vsque ad Ascensionem, vt suis locis videbitur. Itaque cum prædicta semper dicantur eodem modo siue celebratur Festum, siue Dominica vel Feria, intelligendum est, quod cum dicimus, Hodie fieri debet officium de tali Festo, perinde est, ac si dicamus, quod ad Matutinum Inuit. Hymnus, Antiphonæ, & Teria lectio: ad Laudes Antiphona, & Oratio (quæ dicenda est etiam ad reliquas horas, præter primam & Completorium) Ad Vesperas Hymnus, & Antiphona dicuntur de ipso festo, & in horum mutatione tantum consistit diuersitas officij.

SECVNDA REGVLA.

Vnde incipiendum sit Officium singulis diebus.

NOtandum, quod quodocunque fit officium de Dominica, vel de Feria, aut festo simplici. Item de communi beatæ virginis in Sabbatis, semper incipitur officium a Matutino. Quando autem celebrabatur festum duplex, semper eius officium incipitur a Vesperis in die præcedenti, nisi dicendæ sint de alio duplici maiore. Exempli gratia. Si crastina die incidere festum duplex, & nullum aliud duplex hodie celebretur, Vesperæ hodie dicendæ sunt de festo duplici diei crastinæ: & similiter si hodie celebretur festum duplex minus, & crastina die occurrat aliud duplex, quodcunque sit, siue minus, siue maius, Vesperæ

hodie dicendæ sunt de festo duplici diei crastinæ: & finita eius oratione, statim præmisso **Oremus.** dicenda est oratio festi duplicis hodierni pro eius commemoratione. Deinde **Benedicamus do. &c, Fidelium animæ, &c.** Et eodem modo faciendum est, quando aliquod duplex maius, sequitur immediate post aliud duplex maius. Si autem hodie celebratur duplex maius, & crastina die occurreret duplex minus, Vesperæ hodie dicendæ sunt de duplici maiore hodierno: & finita eius Oratione, statim pro commemoratione duplicis minoris diei crastinæ dicuntur eius Antiphona, & Oratio propriæ (si eas habuerit) alioquin de communi. Et supra dicta intelligenda sunt, exceptis quibusdam festis, & Octauis duplicibus, in quibus aliter ordinatur, vt suis locis videbitur. Notandum autem, quod nunquam debet fieri commemoratio de festo simplici, aut de Feria in Laudibus & Vesperis, præterquam de feriis Quadragesimæ, vt in feria quarta Cinerum explicatur. De Dominica vero fit commemoratio per orationem tantum in Laudibus & Vesperis ipsius Dominicæ, quando in ea celebratur aliquod festum duplex, aut octaua ex iis, quæ continentur in Calendario, exceptis Dominicis, quibus non est assignata oratio. Et similiter quando infra aliquam octauam celebratur aliud festum duplex, fit commemoratio de octaua per Orationem tantum, nisi in aliqua earum aliud specialiter ordinetur.

T E R T I A R E G V L A.

Quando festa duplicia sint transferenda, & quomodo.

Notandum, quod si in Dominicis Aduentus, aut in Dominica in Septuagesima, & sequentibus Dominicis vsque ad Dominicam Palmarum inclusiue inciderit aliquod festum duplex, officium fiet de Dominica, & festum duplex transferendum est in feriam secundam: ita quod in Dominica Vesperæ dicantur de festo duplici, & post eius Orationem dicatur etiam Oratio Dominicæ pro eius commemoratione. Aduertendum tamen, quod si in Feria secunda inciderit aliud festum duplex, tunc festum duplex occurrens in Dominica transferendum est in tertiam Feriam, aut in quartam, si etiam in tertia inciderit aliud duplex. Et eodem modo festum duplex occurrens in feria quarta Cinerum, transferendum est in proximam quintam feriam. Similiter quodcunque festum duplex inciderit in Calendario a Feria quinta in Cœna Domini vsque ad octauam Paschæ, transferendum est in proximum diem post octauam eodem modo vt supra. Et si contigerit plura festa duplicia incidere infra eandem octauam, transferentur per ordinem: ita quod primum celebretur prius, secundum posterius. Si autem festum duplex alicuius sancti occurrerit die Pentecostes vsque ad Dominicam Trinitatis inclusiue, transferendum est in proximum diem post ipsam Dominicam, sed tunc e diuerso Vesperæ dicendæ sunt De trinitate: & post eius Orationem fiet commemoratio per Antiphonam & Orationem de festo duplici translato, quod celebrandum est in die sequenti. Et similiter faciendum est, quando in die Ascensionis, aut in die Corporis Christi inciderit festum duplex alicuius sancti,

quod transferendum est in proximum sequentem diem. Aduertendum autem, quod si in Calendario inciderit festum simplex in die, quo celebrandum est festum duplex translatum ex alio die, non fit officium de festo simplici, sed tantum commemoratio per Orationem in fine Primæ, vt in Dominica prima Aduentus explicatur.

Q V A R T A R E G V L A.

Quomodo debeat fieri officium in octauis.

NOtandum, quod quando in Calendario vel in Dominicali ordinatur officium fieri de aliqua octaua, tunc Inuitatorium, Hymni, Antiphonæ, & Oratio dicenda sunt sicut in festo principali, nisi aliquid prædictorum aliter in aliqua octaua assignetur: tertia autem lectio semper assignatur propria cuilibet diei per totam octauam. Et est aduertendum, quod Antiphona assignata in secundis vesperis festis principalis, dicenda est semper ad vespervas per totam octauam, nisi alia specialiter assignetur. Aduertendum insuper, quod Antiphonæ ad Matutinum, Laudes & Vespervas non duplicantur infra octauas, sed tantum in ipsa die octaua, vt infra dicitur. Notandum etiam, quod si concurrerent simul octaua Corporis Christi cum octaua sancti Ioannis (quod tamen rarissime continget) officium fiet de octaua Corporis Christi, cum commemoratione sancti Ioannis per orationem tantum. Sunt etiam quædam aliæ octauæ, de quibus non fit officium, quia concurrunt cum aliis festis duplicibus, aut octauis: sed quid tunc fieri debeat, suis locis videbitur.

Q V I N T A R E G V L A.

Quot Dominicæ sint in anno, & quomodo appellentur.

NOtandum, quod annus a prima Dominica Aduentus ad aliam similiter primam Aduentus exclusiue computando, habet communiter quinquaginta duas Dominicas in hunc modum distributas, videlicet, Quatuor de Aduentu, inter quas & Septuagesimam necessario ad minus indiunt tres, quæ appellantur post Aduentum. Sunt etiam aliæ tres, Septuagesimæ, Sexagesime & Quinquagesimæ. Nec non quatuor Quadragesime, cum aliis duabus de passione & Palmarum. Deinde Pascha, & aliæ quinque post Pascha. Item alia intra octauam Ascensionis. Proximo loco Pentecostes, inter quam & primam Aduentus non possunt esse pauciores quam vigintitres Dominicæ, quæ appellantur post Pentecosten. Sunt præterea quinque aliæ, quas idcirco Vagantes visum est appellare, quia propter varietatem Septuagesimæ non semper habet eandem sedem: sed quibusdam annis incidunt omnes quoque simul ante Septuagesimam, quibusdam vero post Pentecosten, aliis autem annis (quod frequentius contingit) non omnes quinque simul, sed tantum pars earum incidit ante Septuagesimam, & reliqua

pars post Pentecosten. Quia tamen rarissime contingit, vt quinta Vagantium legenda sit ante Septuagesimam ideo in Breuiario eam adiunximus vigintitribus post Pentecosten, & appellatur vigesima quarta. Alias autem quatuor Vagantes posuimus inter tertiam post Aduentum, & Septuagesimam, distribuendas singulis annis vt inciderint, quod quemadmodum fieri debeat, inuenies regulam ante Dominicam primam Vagantium. Item aliam regulam cum indice ante Dominicam tertiam post Pentecosten. & ibi etiam sine difficultate inuenies, quemadmodum repetenda sit post Pentecosten vna ex Vagantibus, illa videlicet, quæ vltimo loco lecta fuit ante Septuagesimam, quando in anno fuerint quinquaginta tres Dominicæ. Quod tamen non frequentius, quam sexto quoque anno contingere potest.

S E X T A R E G V L A.

Quando agendum sit Officium de Dominica, & quando
de festo aut octaua in ea occurrenti.

NOtandum, quod in Dominicis, in quibus non occurrit festum duplex aut octaua, vel vigilia Natiuitatis Domini, aut vigilia Epiphaniæ, semper fit officium de Dominica, & si festum simplex in Dominica inciderit, omittitur eius officium: & fit commemoratio de eo per Orationem tantum in fine Primæ, antequam dicatur, *Pretiosa*. Præterquam in Dominicis Resurrectionis, Pentecostes & Trinitatis: quia tunc nulla debet fieri commemoratio de festo simplici. Quando vero festum duplex in Dominica occurrerit, tunc in prædictis tribus Dominicis, & in Dominicis Aduentus, Item in Dominica Septuagesimæ & sequentibus vsque ad octauam Paschæ, transferendum est, vt supra in tertia regula continetur. In aliis autem Dominicis semper quando in Calendario incidit festum duplex in Dominica, fit officium de festo duplici cum commemoratione Dominicæ in Laudibus & Vesperis per orationem tantum, nisi sit de Dominicis, quibus non sit assignata Oratio. Et similiter quando Dominica incidit intra aliquam octauam, semper fit officium de octaua cum commemoratione Dominicæ, vt supra: nisi sit de Vagantibus, quæ interponuntur post Pentecosten, aut de incidentibus intra octauas Natiuitatis Christi, & festorum eius mobilium, quia tunc non debet fieri commemoratio Dominicæ. Tertia autem lectio assignata Dominicæ in Dominicali semper omittitur, quando in ea fit officium de aliquo festo duplici, aut de octaua ex iis, quæ continentur in Calendario, præterquam in Dominica incide vti infra octauam Epiphaniæ, vt in ea videbitur.

S E P T I M A R E G V L A.

Quando agendum sit officium de feria.

NOtandum, quod quando in aliqua feria nullum inciderit festum, aut octaua, officium fiet de Feria, & tunc inuitatorium, Hymni, Antiphonæ & Oratio dicenda sunt, sicut dicta fuerint in Dominica, quæ proxime præcesserit, nisi forte in dicta Dominica celebratum fuerit aliquod festum duplex, aut octaua. Tunc enim supradicta dicenda sunt, quemadmodum dicta fuissent, si in Dominica non incidisset festum duplex, aut octaua. Quædam tamen sunt Feriæ, in quibus non sicut in præcedenti Dominica, sed aliud assignatur officium, vt suis locis videbitur. Tertia autem lectio legenda est ex Epistolis, vt occurrerit assignata in Calendario. Excipiuntur tamen ab hac regula Feriæ omnes Quadragesimæ, in quibus nisi inciderit festum duplex, aut celebrandum sit translatum ex Feria quarta Cinerum, vel ex aliqua Dominica, semper fit officium de Feria, vt latius explicatur in Feria quarta Cinerum, & cuilibet Feriæ assignantur tunc tertia lectio & Oratio propriæ. Similiter in Aduentu cuilibet Feriæ, quando nullum incidit festum, assignatur tertia lectio ex sermonibus sanctorum Ambrosij, & Augustini.

O C T A V A R E G V L A.

Quando tertiæ lectiones occurrentes in Calendario
ex Epistolis, & officia festorum simplicium
sint omittenda.

NOtandum, quod tertiæ lectiones assignatæ in Calendario ex Epistolis omittendæ sunt per totum Aduentum, & per totam Quadragesimam, item in omnibus Dominicis, & in omnibus Sabbatis totius anni, & quandocunque fit officium de aliquo ex festis Domini, aut eorum octauis, quæ continentur in dominicali: quia in prædictis diebus aliæ sunt tertiæ lectiones assignatæ, vt suis locis videbitur. Item omittenda sunt officia festorum simplicium occurrentium in prædictis omnibus diebus, præterquam in Ferijs aduentus. Si quis tamen extraordinarie voluerit etiam legere lectionem festi simplicis, præsertim cum fuerit propria, laudabiliter faciet.

N O N A R E G V L A.

Quando dicendæ sunt Antiphonæ.

NOtandum, quod quandocunque celebratur festum duplex, aut octaua duplex, item a Dominica de Passione vsque ad Pascha, & etiam in officio defunctorum, Antiphonæ ad Matutinum, Laudes, & Vesperas, dicuntur integræ in principio ante psalmos, deinde repetuntur etiam integræ finitis psalmus. In aliis autem horis Antiphonæ incipiuntur tantum ante psalmos, & postea finitis psalmis dicuntur integre. Et eodem modo incipiuntur tantum in principio, & dicuntur integræ in fine psalmorum in omnibus horis, quando fit officium de

Dominica, seu de Feria aut festo simplici, vel de communi beatæ virginis in Sabbatis, & etiam intra octauas, præterquam in ipsa die octaua Ascensionis, quia non finitur in ea officium Ascensionis, vt ibi videbitur.

DECIMA REGULA.

De Oratione.

NOtandum quod Oratio assignata ad primas Vesperas in festis duplicibus, dicenda est ad omnes horas, præter Primam & Completorium, nisi in aliquo festo alia specialiter assignetur. Et similiter dicenda est Oratio assignata ad Laudes in Dominicis & Feriis, item in festis simplicibus, & in communi beatæ Virginis. Notandum etiam quod ante Orationem siue dicatur principaliter, siue per commemorationem, semper præmittitur **Oremus.** præterquam in Orationibus, quæ dicuntur in Litanis, & in officio defunctorum, quia tunc ante primam tantum Orationem dicitur **Oremus,** & non in aliis.

VNDECIMA REGULA.

De anno Bissextili.

NOtandum, quod in anno Bissextili Februarius habet dies viginouem, & tunc festum sancti Mathiæ non vigesimaquarta, sed vigesimaquinta die celebrandum est. Ideo tunc tam die vigesimaquarta, quam die vigesimasexta legitur tertia lectio assignata in Calenda. diei vigesimæquintæ. Similiter die vigesimaseptima legitur tertia lectio assignata diei vigesimæsextæ. Die autem vigesima octaua fit officium de sanctis Iuliano, & Euno, & die vigesimanona legitur tertia legitur tertia lectio assignata diei vigesimæoctauæ. Supradicta vero intelligenda sunt, cum fit officium de Feria ante Quadragesimam. Nam si in aliquo ex prædictis diebus inciderit Dominica, vel Sabbatum, aut si fuerit Quadragesima, vel si festum sancti Mathiæ fuerit transferendum, tunc seruandæ sunt aliæ regulæ super his traditæ. Quod autem attinet ad Psalmos, necnon ad primam, & secundam lectionem, nihil regert, sit ne annus Bissextilis, an non. Nam semper Dominica habet suos psalmos, Feria secunda suos, tertia suos, & sic de aliis: & similiter habent primam, & secundam lectionem.

Quando recurrendum sit ad Commune, videbis regulam in principio Communis Sanctorum.

Quomodo fieri debeat Officium in Sabbatis, vide regulam in Communi beatæ virginis circa finem Breuiarij.

Quando dicendum sit Officium defunctorum, & quando etiam dicendi sint Septem psalmi, videbis regulas in eorum principiis in fine Breuiarij.

De Aduentu.

NOtandum, quod Aduentus Domini semper celebratur vbicunque Dominica incidit inter quintum Calendas Decembris, & tertium nonas eiusdem mensis, & erit semper Dominica proxima festo sancti Andreae, sæpe etiam dictum festum occurrit in ipsa eadem Dominica.

Quando Quatuor tempora celebrentur.

NOtandum, quod quatuor tempora semper celebrantur in feriis quartis proximis post dies sanctæ Luciae, & Cinerum, & Pentecostes, & Exaltationis sanctæ Crucis. in officio autem diuino nihil propterea additur aut minuitur, sed solum hic ponuntur, vt scias quando celebrantur, propter ieiunium, & ea quæ in Missæ celebratione in eis dicenda sunt.

Quid singulis diebus aduertendum sit antequam dicatur Officium.

DIcturus ergo officium diuinum singulis diebus animaduertere debet, sintne Dominica an Feria, aut Sabbatum, & quæ Dominica vel quæ feria. Item quotus dies mensis sit. Deinde inspiciat, quid eo die occurrat in Calendario vel in Dominicali: & sic ex suprascriptis Regulis erit ei facillimum scire, quod officium agere, quos item Psalmos, & quas lectiones legere debeat.

INDEX INVITATORIVM
& Hymnorum, qui dicendi sunt per totum annum,
quando fit Officium de Dominica
vel de Feria.

- In aduentu Inuita. *Domine prestolamur.* Hym. *Vox clara.* 92.
Antiphona. *Veniet ecce rex.* Ad laudes antiphona. *Emitte agnum.*
Ad vespas hymnus. *Conditor.* Antiphona. *Rorate cœli* 99.
- Ab octava epipha. vsque ad septuag. Et a Dominica prima post
pentecosten vsque ad Aduentum. 386. Inuit. *Dominum qui fecit nos.*
Hym. *Nocte surg.* An. *Seruite domino.* Ad lau. an. *Iubilare Deo.*
Ad vespas hym. *O lux beata.* Antiphona. *Vespertina oratio.* 388.
- A Dominica Septuagesimi. vsque ad feriam quartam Cinerum. 197.
Inui. *Preoccupemus facie.* Hym. *Primo dierum.* An. *Inuocabo.*
Ad laudes an. *Per singulos dies.* Ad vespas hym. *Lucis creator.*
Antiphona. *In tribulatione mea inuocaui dominum.* 199.
- A feria quarta Cinerum vsque ad dominicam passio. 218. Inuitat.
Hodie si vocem. Hym. *Ex more.* Ad lau. an. *Ecce nunc tempus.*
Ad vespas hym. *Audi benigne.* An. *Derelinquat imp.* 220.
- A Dominica passionis vsque ad feriam quintam in cœna domini. 272. Inuita.
Christum Dei filium. Hym. *Pange lingua.* An. *Popule meus.*
Ad laudes antiphona. *Cicunderunt me.* Ad vespas hymnus.
Vexilla regis. Antiphona. *Multiplicati sunt super capillos.* 274.
- A Pascha vsque ad Ascensio. 303. Inuitato. *Surrexit dominus.* Hym.
Aurora lucis. Antiphona. *Ego dormiui.* Ad laudes antiphona. *Haleluiah.*
Exurrexi & adhuc tecum. Ad vespas hym. *Ad cœnam agni.*
Antiphona. *Haleluiah.* *Gauiisunt discipuli.* 306..

Item in supradictis foliis inuenientur etiam antiphonæ dicendæ ad Matutinum, Laudes, & Vespas in prædictis temporibus: quæ tamen nonnunquam mutandæ sunt, vt suis locis videbitur.

Inuitatoria autem, & Hymni, necnon Antiphonæ festiuæ non indigent indice, quia propria reperientur in festiuitatibus propriis, communia vero in Communibus Sanctorum.

INDEX EVANGELIORVM,

& Epistolarum, quæ in ecclesia recitantur: & in hoc
Breuiario continentur, quorum initium erit
vbi fuerit † intus: cum litera foris in
margine assignata, & finis,
hoc signum.]

Dominica prima aduentus.

Epistola † Scientes. 337.C
Euangelium † Erunt signa. 162.E

Dominica secunda.

Epis. † Quecunque scri. 339.B
Euange. † Ioannes autem. 489.A

Dominica tertia.

Epistola † Gaudete in. 552.B
Euang. † Miserunt Iu. 199.C

Feria. iiij. quatuor temporum.

Epistola † Et erit in. 103.A
Epist. † Locutus est dominus. 107.B
Euange. † Missus est. 101.C

Feria sexta.

Epistola † Et egredietur. 108.A
Euange. † Exurgens. 102.D

Sabbato.

Epistola † Lætabitur. 111.A
Item Epist. † Super mon. 113.B
Epistola † Rogamus. 186.A
Euang. † Anno quintode. 110.A

Dominica quarta aduentus.

Episto. † Sic nos existi. 346.A
Euangelium. Anno. 110

Vigilia Natiuitatis.

Epist. Paulus seruus. 316.A
Euang. Cum esset despon. 471.C

In nocte.

Episto. Apparuit enim. 597.B
Euang. Exiit edictum. 105.A

In aurora.

Epist. Benignitas & hu. 597.B
Euang. Pastores loqueban. 105.B

In die natalis Domini.

Epist. Multifariam. 526.A
Euang. In principio. 197.A

Sancti Stephani.

Epist. Stephanus autem. 389.B
Euang. Ecce ego mitto. 518.D

Sancti Ioannis.

Epist. Qui timet Deum. 193.A
Euang. Sequere me. 315.C

S. Innocentium.

Euan. Angelus domini. 472.B

S. Thomæ.

Epist. Omnis nanque. 531.A
Euang. Ego sum pastor. 225.B

Dominica infra octa. Natiui.

Epist. Quanto tempore. 168.A
Euang. Et erant pater ei. 107. & 109.E

In circuncisione.

Epist. vt in nocte Natiui. 597.
Euang. Postquam consumma. 107.D

Vigilia Epiphaniæ.

Euang. Defuncto. Autem. 472.C

Die Epiphaniæ.

Epist. Surge illuminare. 617.A
Euang. Est secunda lectio. 472.A

Dominica infra octa. Epipha.

Epist. Obsecro itaque vos. 332.A
Euang. Et cum factus. 109.H

Octaua Epipha.			
Epist. Surge, vt in ipso.	617.A	Epist. Ascende ad me.	460.A
Euang. vidit Ioannes.	200.D	Item Epist. Venitque in Ber.	569.B
Dominica ij. post Epipha.		Euang. Tunc responde.	494.C
Epist. Habentes dona.	336.B	Feria quinta.	
Euang. Nuptiæ factæ.	201.A	Euang. Et egressus inde.	501.B
Dominica iij. post Epipha.		Feria sexta.	
Epist. Nolite esse.	336.C	Euang. Post hæc erat.	208.A
Euang. Cum autem.	483.A	Sabbato.	
Dominica iiij. post Epipha.		Epist. Rogamus.	185.B
Epist. Nemini quicquam.	337.B	Euang. Assumpsit Iesus.	504.A
Euang. Et Ascendete.	484.D	Dominica ij. quadrage.	
Dominica v. post Epipha.		Epist. Rogamus vos.	183.A
Epist. Induite vos.	588.B	Euang. Assumpsit.	504.A
Euang. Simile factum est.	496.D	Feria secunda.	
Dominica in septuage.		Euang. Ego vado & que.	217.C
Epist. Nescitis quod.	354.B	Feria tertia.	
Euang. Simile est.	510.A	Epist. Factus est ergo.	562.B
Dominica in sexage.		Euang. Super cathedram.	516.A
Epist. Libenter enim.	467.C	Feria quarta.	
Euang. Cum autem turba.	126.B	Euang. Ascendens Iesus.	510.B
Dominica quinquage.		Feria quinta.	
Epist. Si linguis.	363.C	Euang. Homo quidam.	150.C
Euang. Assumpsit.	154.E	Feria sexta.	
Feria. iiij. Cinerum		Epist. Dixitque Ioseph.	345.B
Epist. conuertimini.	218.C	Euang. Homo erat pa.	513.D
Euang. Cum autem ieiū.	479.C	Sabbato.	
Feria. v. post Cineres.		Epist. Dixit filio suo.	313.A
Euang. Cum autem in.	483.B	Abiit & artulit.	314.B
Feria sexta.		Euang. Homo quidam.	150.C
Epist. Clama ne cesses.	122.A	Dominica iij. quadrage.	
Euang. Audistis quia.	477.E	Epist. Estote ergo imita.	177.A
Sabbato post Cineres.		Euang. Et erat eiiciens.	137.C
Euang. Cum sero esset.	566.E	Feria secunda.	
Dominica quadrage.		Epist. Naaman autem.	584.A
Epist. Exhortamur.	459.A	Euang. Quanta audi.	114.B & 115.
Euang. Ductus est.	474.A	Feria tertia.	
Feria secunda.		Epist. Mulier autem.	580.C
Epist. Ecce ego ipse requi.	128.B	Euang. Si autem peccaue.	506.C
Euang. Cum autem vene.	523.D	Feria quarta.	
Feria tertia.		Epist. Honora patrem.	459.B
Euang. Et cum intrasset.	511.B	Euang. Tunc accesserunt.	500.A
		Feria quinta.	
		Euang. Surgens autem Ie.	115.E

	Feria sexta.	Epist. Venerunt autem.	448.D
Euang. Venit ergo in.	205.B	Euang. Et cum appro.	511.A
	Sabbato.	Ad Missam.	
Euang. Iesus autem perre.	216.A	Epist. Hoc enim sentite.	549.B
	Dominica iij. quadrage.	Passio. Dixit disc. s. Sci.	273.A
Epist. Scriptum est enim.	169.C	Feria secunda.	
Euang. Post hæc abiit.	210.A	Epist. Dominus Deus aperuit.	286.B
	Feria secunda.	Euang. Iesus ergo ante.	233.A
Euang. Et prope erat.	202.C	Feria tertia.	
	Feria tertia.	Epist. Tu autem domine.	282.D
Euang. Iam autem die fe.	214.B	Passio. Erat autem.	283.A
	Feria quarta.	Feria quarta.	
Epist. Lauamini.	101.E	Epist. Quis credidit.	292.A
Euang. Et præteriens Ie.	221.A	Passio. Appropinqua.	290.A
	Feria quinta.	Feria quinta.	
Epist. Profecta est igitur.	582.D	Epist. Conuenientibus.	359.B
Euang. Ibat Iesus in.	123.B	Euang. Ante diem festum.	238.A
	Feria sexta.	Feria. vi. parasce.	
Epist. Ægrotauit filius.	564.D	Epist. In tribulatione.	280.A
Euang. Erat autem quidam.	228.A	Passio. Egressus.	299.A
	Sabbato.	Sabbato sancto.	
Euang. Ego sum lux.	217.B	Epist. In principio crea.	197.A
	Dominica in Passione.	Epist. Noe vero.	209.C
Epist. Christus autem.	537.B	Epist. Vigilia matutina.	446.D
Euang. Quis ex vobis.	219.F	Epist. Si consurrexistis.	588.A
	Feria secunda.	Euang. Vespere autem.	304.A
Euang. Miserunt prin.	215.E	Die sancto Paschæ.	
	Feria tertia.	Epist. Expurgate vetus.	348.B
Euang. Ambulabat Ie.	213.A	Euang. Maria Magda.	306.A
	Feria quarta.	Feria secunda.	
Euang. Facta sunt autem.	226.D	Epist. Vos scitis quod.	404.C
	Feria quinta.	Euang. Duo ex disci.	308.B
Euang. Rogabat autem.	125.F	Feria. iij. Paschæ.	
	Feria sexta.	Epist. Viri fratres, filij.	416.C
Euang. Collegerunt ergo.	231.E	Euang. Stetit Iesus in.	310.D
	Sabbato.	Feria quarta.	
Euang. Cogitauerunt.	233.B	Epist. Viri Israeli.	380.B
	DOMINICA IN	Euang. Postea manife.	314.A
ramis Palmarum.		Feria quinta Paschæ.	
In benedictione palmarum.		Epist. Angelus autem do.	398.F
		Euang. Maria autem stab.	312.B
		Feria sexta.	
		Epist. Christus semel.	603.D
		Euang. Vndecim autem.	305.C

		Sabbato in albis.	Epist. Cum autem au.	396.D
Epist.	Deponentes igitur.	601.A	Euang. Amen amen.	225.A
Euang.	Vna autem sab.	311.A		
		Dominica in albis.	Epist. Stans.	376.B
Epist.	Omne quod na.	257.A	Epist. Per manus.	386.B
Euang.	Cum ergo sero.	313.C	Euang. Nemo potest.	212.F
		Dominica. ij. post Pasc.		
Epist.	Christus passus.	602.C	Epist. Philippus autem.	396.B
Euang.	Ego sum pastor.	225.B	Euang. Conuocatis.	130.A
		Dominica tertia.		
Epist.	Charissi. obsecro.	602.B	Epist. Et filij.	373.A
Euang.	Modicum & iam.	246.D	Euang. Et factum est.	117.C
		Dominica quarta.		
Epist.	Omne datum opt.	263.B	Epist. Effundam spiri.	373.C
Euang.	Vado ad eum.	245.B	Epist. Iustificati ergo.	323.A
		Dominica. v. post Pascha.	Euang. Surgens autem.	115.E
Epist.	Estote autem fact.	264.C		
Euang.	Amen amen.	247.E		
		In rogationibus.		
Epist.	Confitemini.	271.B		
Euang.	Quis vestrum.	136.B		
		Vigilia Ascensionis.		
Epist.	Vnicuique nostrum.	176.B		
Euang.	Subleuatis oculis.	248.A		
		A S C E N S I O.		
Epist.	Primum quidem.	373.A		
Euang.	Recumbentibus.	307.C		
		Dominica infra octa.		
Epist.	Estote itaque pru.	604.B		
Euang.	Cum autem ve.	244.D		
		Vigilia Penteco.		
Epist.	Factum est autem.	428.B		
Euang.	Si diligitis me.	241.C		
		PENTE C O S T E.		
Epist.	Et cum comple.	375.A		
Euang.	Si quis diligit.	241.E		
		Feria secunda.		
Epist.	Et præcepit.	405.D		
Euang.	Sic enim Deus.	203.B		
		Feria. iij. Penteco.		
		Index epist.		
		Feria quarta.		
		Feria quinta.		
		Feria. vj. Penteco.		
		Sabbato.		
		Festum Trinitatis.		
		Feria. ij. dominicæ. j. post Pente.		
		I N F E S T O C O R-		
		poris Christi.		
		Dominica. ij. post Penteco.		
		Dominica tertia.		
		Dominica. iiij. post Penteco.		
		Dominica quinta.		
		Dominica. vj. post Penteco.		
		Dominica septima.		

Dominica octaua.

Epist. Debitores. 329.B
Euang. Homo quidam. 149.A

Dominica nona.

Epist. Non simus. 355.C
Euang. Et vt appropin. 158.C

Dominica decima.

Epist. Scitis autem. 360.A
Euang. Dixit autem. 153.B

Dominica. xi.

Epist. Notum autem. 366.A
Euang. Et iterum exiens. 568.D

Dominica. xii.

Epist. Fiduciam. 455.A
Euang. Beati oculi. 135.D

Dominica. xiii.

Epist. Abrahæ dictæ. 167.B
Euang. Et factum est. 151.B

Dominica. xiiij.

Epist. Spiritu ambulate. 170.B
Euang. Nemo potest. 479.E

Dominica. xv.

Epist. Si spiritu viuimus. 170.C
Euang. Ibat Iesus. 123.B

Dominica. xvj.

Epist. Peto ne deficiatis. 175.B
Euang. Et factum. 145.A

Dominica. xvij.

Epist. Obsecro. 175.A
Euang. Conuenerunt in. 515.D

Dominica. xviii.

Epist. Gratias ago. 342.A
Euang. Et ascendens. 484.A

Dominica. xix.

Epist. Renouamini. 177.D
Euang. Simile semen re. 514.A

Dominica. xx.

Epist. Videte itaque. 178.C
Euang. Erat quidam. 206.E

Dominica. xxj.

Epist. Confortamini. 179.B
Euang. Assimilatum. 507.E

Dominica. xxij.

Epist. Confidens hoc. 547.B
Euang. Tunc abeunt. 515.B

Dominica. xxiiij.

Epist. Imitatores. 551.D
Euang. Ecce princeps. 485.C

Dominica. xxiiij.

Epist. Non cessamus. 585.B
Euang. Cum ergo vide. 519.B

I N F E S T I S.

Sanctorum.

Vigilia sancti Andreae.

Euang. Altera die iterum. 200.E

Sancti Andreae.

Epist. Corde enim. 332.B
Euang. Ambulans autem. 475.C

Conceptio beatæ Mariæ.

Epist. Dominus possedit. 150.B
Euang. Factum est. 137.D

Sancti Thomæ.

Euang. Thomas autem. 313.D

Conuersio sancti Pauli.

Epist. Saulus autem. 399.A
Euang. Ecce nos. 508.B

Purificatio.

Epist. Ecce ego mitto. 136.A
Euang. Et postquam im. 107.D

Cathedra Petri.

Epist. Petrus apostolus. 598.A
Euang. Venit autem. 503.B

In festo sancti Math.

Epist. Exurgens Petrus. 374.C
Euang. In illo tempore confi. 491.C

Annuntiatio.

Epist. Et adiecit dominus. 107.B
Euang. Missus est. 101.C

Philippus & Iacobus.

Epist. Tunc stabunt. 158.A
Euang. Non turbetur. 240.A

Inuentio sanctæ Crucis.

Epist. Hoc enim sentite. 549.B
Euang. Erat autem homo. 203.A

Ioannis ante portam latinam.

Epist. Tunc stabunt.	158.A	Feria. vj quatuor temporum.	
Euang. Accessit ad eum.	510.C	Euang. Rogabat autem.	125.F
Vigilia sancti Ioannis.		Sabbato. iij. temp. Septem.	
Euang. Fuit in diebus.	94.A	Epist. Tabernaculum.	537.A
Sancti. Ioannis Baptistæ.		Euang. Arborem fici.	143.B
Epist. Audite insulæ.	116.A	S. Matthæus.	
Euang. Elisabeth autem.	103.F	Euang. Vidit hominem.	485.B
Vigilia S. Petri, & Pauli.		S. Michael.	
Epist. Petrus autem.	379.A	Epist. Quæ oportet.	611.A
Euang. Dicit Simoni Pe.	315.B	Euang. Accesserunt.	505.A
In die.		S. Francisci.	
Epist. Misit Herodes.	408.A	Epist. Mihi autem absit.	171.A
Euang. Venit autem Iesus.	503.B	Euang. Confiteor tibi domine.	491.C
Comemo. sancti Pauli.		F E S T V M O M N I V M	
Epist. Notum enim.	163.B	Sanctorum.	
Euang. Ecce nos reliq.	508.B	Epis. Pars extrema. Vidi.	695.C
Visitatio.		Euang. Videns Iesus tur.	475.A
Euang. Exurgens autem.	102.D	Commemo. Defunct.	
Maria Magdalena.		Epist. Nolumus autem.	184.C
Euang. Rogabat autem.	125.F	Item. Ecce mysterium.	369.E
Sancti Iacobi apostoli.		Euang. Dixit ergo.	229.B
Accessit ad Iesum.	510.C	Item Euang. Omne quod.	211.D
Transfiguratio.		Item Euang. Amen amen.	209.D
Epist. Non enim doctas.	608.D	C O M M V N E	
Euan. Assumpsit Iesus Pe.	504.A	Sanctorum.	
S. Laurentius.		In vigilia Apostolorum.	
Epist. Qui parce.	463.B	Epist. Per manus.	386.B
Euang. Nisi granum.	234.D	Item Epist. Benedictus.	171.A
Assumptio.		Item Epist. Spectaculum.	347.C
Epist. In omnibus.	723.C	Euang. Ego sum vitis.	243.A
Euang. Intrauit in.	136.E	In festis Apostolorum.	
Docollatio sancti Ioannis.		Epist. Iam non.	174.D
Euang. Herodes misit.	564.C	Item Epist. Vniquique.	176.B
Natiuita. beatæ Mariæ.		Euang. Ecce ego mitto.	487.B
Epist. Domini. poss.	150.B	Item Euang. Hæc man.	244.C
Euang. Liber generatio.	470.A	Item Euang. Designauit.	134.A
Exaltatio. S. Crucis.		Vnius martyris.	
Epist. Factus obed.	549.C	Epist. Beatus homo.	142.B
Euang. Nunc iudicium est.	235.F	Item Epist. Benedictus.	452.A
Feria. iij. quatuor temporum.		Euang. Nolite arbitrari.	488.D
Euang. Et respondens.	572.C	Item Euang. Nisi granum.	234.D
		Plurium martyrum.	

Epist. Iustorum animæ.	155.A	Vos estis sal terre.	476.
Item Epist. Qui per.	542.B	Virginum.	
Euang. Videns Iesus.	475.A	Epist. Qui autem gloriatur.	465.D
Item Euang. Attendite a.	140.A	Item Epist. De virginibus.	351.B
Confessorum.		Euang. Simile erit.	521.A
Epist. Iustus autem.	157.C	Item Euang. Simile est.	497.F
Item Epist. Testificor.	594.A	Dedicatio.	
Euang. Vigilare ergo.	521.E	Euang. Et ingressus.	156.A
Item Euang. Sicut enim.	522.B		

F I N I S.

I N D E X P S A L M O R V M.

A d dom. cum tri. ps. cxix. f.	52.	Cœli enarrant psalmus. xviii.	24.
Ad te dom. clam. ps. xxvii.	59.	Clamaui in toto ps. cxviii.	13.
Ad te leuauī psalmus. cxxii.	61.	Confitemini psalmus. ciii.	19.
Ad te domine psalmus. xxiii.	22.	Confitemini psalmus. cxvii.	46.
Afferte Domino ps. xxviii.	35.	Confitemini psalmus. cv.	77.
Attendite popule ps. lxxvii.	42.	Confitemini psalmus. cvi.	79.
Audite hæc psalmus. xlvi.	41.	Confitemini psalmus. cxxxv.	82.
Audite cœli quæ loquar.	80.	Confitebimur ps. lxxiii.	61.
B		Confitebor tibi psalmus. cx.	15.
Beatus vir qui non abiit ps. i.	2.	Confitebor tibi psa. cxxxvii.	74.
Beati omnes qui ps. cxxvii	86.	Confitebor tibi domine Isa.	22.
Beati quorum psalmus. xxxi.	36.	Confitebor tibi dom. psa. ix.	2.
Beati immaculati ps. cxviii.	8.	Conserua mei psalmus. xv.	40.
Beatus vir qui timet ps. cxi.	51.	Credidi propter ps. cxv.	27.
Beatus vir qui int. ps. xl.	39.	Cum inuocarem psalmus. iiii.	16.
Benedicam dom. psa. xxxiii.	38.	Cantemus domino. v.	57.
Benedic anima mea ps. ciii.	21.	D	
Benedic anima mea ps. cii.	56.	Deus in adiutorium psa. lxix.	73.
Benedixisti psalmus. lxxxiii.	88.	Deus, quis psalmus. lxxxii.	62.
Benedictus psalmus. xciii.	87.	Deus, venerunt ps. lxxviii.	85.
Bonitatem psalmus. cxviii.	11.	Deus, repulisti psalmus. lix.	48.
Bonum est confiteri ps. xci.	59.	Deus, in nomine ps. liii.	8.
Benedictus dom. Deus Israel.	7.	Deus stetit psalmus. lxxx.	49.
Benedicite omnia opera.	6.	Deus auribus psalmus. xliii.	30.
C		Deus laudem psalmus. cviii.	31.
Cantate domino ps. xvii.	20.	Deus, iudicium ps. lxxi.	36.
Cantate domino ps. xcv.	6.	Deus deus meus ps. lxii.	82.
Cantate domino ps. cxlix.	68.	Deus misereatur no. ps. lxvi.	82.

Deus deus meus, respice in me, quare me psalmus. xxi.	65.	Exaudi domine psalmus. xvj.	34.
Deus Deorum psalmus. xlix.	60.	Exaudiat te psalmus. xix.	24.
Deus noster refu. psa. xlv.	64.	Exaudi Deus orationem ps. liiij.	77.
Deus vltionum psalmus. xciii.	50.	Exaudi Deus orationem ps. lxiiij.	72.
Defecit in salutari psa. xciii.	12.	Exaudi Deus de. psalmus. lx.	73.
De profundis psalmus. cxxix.	88.	Exultate iusti psalmus. xxxij.	50.
Diligam te domine psa. xvii.	3.	Exultate Deo psalmus. lxxx.	44.
Dilexi quo. exaud. doms. vocem orationis meæ ps. cxiii.	25.	Exurgat Deus psalmus. lxvij.	53.
Dixi, custodiam psa. xxxviii.	25.	Expectans expect. ps. xxxix.	52.
Dixit dominus dom. meo psa. cix.	14.	Ego dixi in dimidio.	33.
Dixit insipiens psalmus. xiii.	23.	Exultauit cor meum.	45.
Dixit insipiens psalmus. lii.	36.	F	
Dixit iniustus psalmus. xxxv.	61.	Fundamenta psalmus. lxxxvj.	50.
Domine Deus salu. psa. lxxxvii.	84.	I	
Domine refugium ps. lxxxix.	37.	Inclina domine psalmus. lxxxv.	76.
Domine dominus noster psa. viii.	58.	In convertendo doms. ps. cxxv.	27.
Domine Deus meus psalmus. vii.	28.	In domino confido psalmus. x.	40.
Domine exaudi psalmus. cxlii.	28.	In exitu Israel psalmus. cxiiij.	15.
Domine exaudi ora psalmus. ci.	85.	Iniquos odio psalmus. cxviiij.	12.
Domine quis habitabit psa. xliiii.	29.	In te domine speraui ps. xxx.	16.
Domine, in virtute psalmus. xx.	35.	In te domine speraui ps. xxx.	17.
Domine, non est exal. psa. cxxx.	47.	In te domine speraui ps. lxx.	67.
Domine ne in furore psalmus. vi.	46.	Iudica domine nocen. ps. xxxiiij.	18.
Domine, clamaui psalmus. cxl.	76.	Iudica me domine quo. ps. xxv.	34.
Domine quid multi psalmus. iii.	70.	Iudica me Deus. xlij.	47.
Domine ne in furore ps. xxxvii.	71.	Iubilate Deo omnis ps. lxv.	5.
Domine probasti ps. cxxxviii.	74.	Iubilate Deo omnis ps. xcix.	56.
Dominus regnauit, iras ps. xeviii.	26.	L	
Dominus regnauit deco. ps. xcii.	60.	Lauda anima mea ps. cxlv.	63.
Dominus regnauit, exul. ps. xevi.	38.	Lauda Ierusalem ps. cxlvij.	87.
Dominus regit me psalmus. xxii.	22.	Laudate dominum ps. cxlvj.	80.
Dominus illuminatio ps. xxvi.	58.	Laudate pueri dom. ps. cxij.	39.
Domini est terra psalmus. xxiii.	22.	Laudate nomen ps. cxxxiiij.	45.
Domine audiui auditionem.	68.	Laudate dom. in sanc. ps. cl.	80.
E		Laudate dom. omnes ps. cxvj.	87.
Ecce, quam bonum ps. xccci.	86.	Laudate dominum de coelis. psalmus. cxlviiij.	68.
Ecce nunc bene. ps. cxxxiii.	53.	Legem pone mihi ps. cxviiij.	10.
Eripe me de inimi. ps. lviii.	41.	Lætatus sum in his ps. cxxj.	49.
Eripe me domine ps. cxxxix.	72.	Leuaui oculos meos ps. cxx.	37.
Erucltauit cor meum psa. xliiii.	47.	M	
Exaltabo te psalmus. cxliiii.	32.	Magnus dominus ps. xlvij.	64.
Exaltabo te psalmus. xxix.	40.	Memento dom. Dauid ps. cxxxj.	63.
		Memor esto ver. tui ps. cxviiij.	11.
		Misericordiam psalmus. c.	62.

Misericor. ps. lxxxviiij.	55.	Qui regis Israel ps. lxxix.	26.
Miserere mei psalmus. lv.	71.	Qui habitat in adiu. ps. xc.	17.
Miserere mei psalmus. l.	70.	Quomodo dile. ps. cxviiij.	12.
Miserere mei psalmus. lvj.	72.	Quicunque vult saluus esse.	9.
Mirabilia testi. ps. cxviiij.	13.		
Magnificat anima mea.	16.	R	
		Retribue seruo. ps. cxviiij.	8.
N		S	
Nisi quia dominus ps. cxxiiij.	85.	Saluum me fac psalmus. xj.	69.
Nisi dom. ædifi. ps. cxxvj.	38.	Saluum me fac ps. lxxviiij.	66.
Noli æmulari ps. xxxvj.	29.	Sæpe expugna. ps. cxxviiij.	88.
Nonne Deo psalmus. lxj.	25.	Si vere vtique ps. lvij.	83.
Notus in Iudæa ps. lxxv.	84.	Super flumina ps. cxxxvj.	63.
Nunc dimittis seruum.	17.		
		T	
O		Te decet hym. ps. lxiiiij.	49.
Omnes gentes psalmus. xlvj.	64.	Te Deum laudamus.	5.
P		V	
Paratum cor meum ps. cvij.	60.	Verba mea auribus ps. v.	34.
Principes perse. ps. cxviiij.	14.	Venite exultemus ps. xciiiij.	32.
		Voce mea ad do. ps. lxxvj.	27.
Q		Voce mea psalmus. cxlj.	75.
Quare fremuerunt gen. ps. ij.	69.	Vsquequo domine ps. xij.	75.
Quam bonus Israel ps. lxxij.	54.	Vt quid Deus rep. ps. lxxiiij.	73.
Quam dilecta psalmus. lxxxiiij.	51.		
Quemadmodum psalmus. xlj.	48.	He duæ orationes sunt	
Qui confidunt ps. cxxiiiij.	29.	ad libitum.	
Quid gloriaris ps. lj.	83.		

Oratio ante inchoationem officij.

Liberator animarum mundi redemptor Iesu Christe rex æternæ & immortalis: quæso immensam clementiam tuam, vt per modulationem psalmodiarum, quos ego peccator indignus decantare propono: liberes animam meam a peccato: & cor meum a prauis cogitationibus, ac insidijs omnibus diabolicis auerte: libera quæso domine animam meam a seruitute peccati: repelle a me carnalem concupiscentiam: eripe me de omni impedimento sathanæ: & ministrorum eius, & inimicorum meorum visibilibus, & inuisibilibus, quærentium animam meam: saluator mundi Deus. Qui viuis & regnas. Per omnia

secula seculorum. Amen.

Post peractum officium. Oratio.

SVscipe clementissime Deus, precibus & meritis beatæ Mariæ semper virginis, beati Michaelis archangeli, beati Ioannis Baptistæ, sanctorum apostolorum tuorum Petri & Pauli, ac omnium electorum tuorum obsequium seruitutis meæ: & si in hoc tuo sacro officio aliquid dignum peregi, propitius respice, & quod negligenter per me actum est, vel imperfecte, clementer ignosce: & me famulum tuum N. vtinam dignum ab omni aduersitate custodi: & in tuorum semitam mandatorum dirige: vt ad gaudia paradisi peruenire valeam. Amen.



P S A L T E R I V M D A V I D

dispositum in Dies, & Horas, ordine quo
totum singulis Hebdomadis dicitur
per totum annum.

D O M I N I C A

Ad matutinum.

PAter noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

Ave Maria gratia plena. Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus. Sancta Maria mater Dei, Ora pro nobis peccatoribus. Amen.

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaeli archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis apostolis Petro & Paulo, omnibus sanctis, & **tibi pater**, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere. Mea culpa, Mea culpa, Mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaellem archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes sanctos, & **te pater** orare pro me. **Absolutio.**

Misereatur **tui** omnipotens Deus, & dimissis peccatis **tuis**, perducatur **te** ad vitam æternam. **℞.** Amen. **℣.**

Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens & misericors dominus. **℞.** Amen.

Domine labia mea aperies. **℞.** Et os meum annuntiabit laudem tuam. **℣.** Deus in adiutorium meum intende. **℞.** Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri & filio. Sicut erat. Haleluiah.

Inuitatorium si ab vno, semel dicitur. Si a duobus replicatur.

Venite exultemus domino iubilemus Deo salutari nostro, præoccuperimus faciem eius in confessione & in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus dominus & rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet dominus plebem suam, quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite adoremus, & procidamus ante Deum ploremus coram domino, qui fecit nos: quia ipse est dominus deus noster, nos autem populus eius, et oues pascuæ eius.

Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt & viderunt opera mea.

Quadragesima annis proximus fui generationi huic, & dixi, semper hi errant corde, ipsi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuravi in ira mea: si in-

troubunt in requiem meam.

Gloria patri & filio. Sicut erat.

Repetitur inuitatorium.

Hymnus competens dicitur.

Quo finito Antiphona pronuntiatur.

Psalmus primus.

BEatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit: & in cathedra pestilentiae non sedit.

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium eius non defluet: & omnia quaecunque faciet, prosperabuntur.

Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis, quem projicit ventus a facie terrae.

Ideo non resurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iustorum.

Quoniam nouit dominus viam iustorum: & iter impiorum peribit.

Deinde dicitur.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Prædicto modo dicitur Gloria patri. &c. in fine omnium Psalmorum, & canticorum per totum annum, præterquam in triduo ante Pascha, & in officio defunctorum, & in cantico trium puerorum. psalmus. 9.

Confitebor tibi domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor et exultabo in te, psallam nomini tuo altissime.

In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, & peribunt a facie tua.

Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam: sedisti super thronum,

qui iudicas iustitiam.

Increpasti gentes, & perijt impius: nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi.

Inimici defecerunt frameæ in finem: & ciuitates eorum destruxisti.

Perijt memoria eorum cum sonitu, & dominus in æternum permanet.

Parauit in iudicio thronum suum: & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia.

Et factus est dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te domine.

Psallite domino qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes studia eius:

Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.

Miserere mei domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.

Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

Cognoscetur dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator,

Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

Exurge domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.

Constituë Domine legislatorem super eos: vt sciant gentes quoniam homines

sunt.

Vt quid domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus in tribulatione?

Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consilijs quibus cogitant.

Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.

Exacerbavit dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

Non est deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur iudicia tua a facie eius: omnium inimicorum suorum dominabitur.

Dixit enim in corde suo. Non movebor a generatione in generationem sine malo.

Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo: sub lingua eius labor & dolor.

Sedet in insidijs cum diuitibus, in occultis: vt interficiat innocentem.

Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.

In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem.

Exurge domine Deus, & exaltetur manus tua: ne obliuiscaris pauperum.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret.

Vides, quoniam tu laborem & dolorem consideras: vt tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: orphano tu

eris adiutor.

Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

Dominus regnabit in æternum, & in seculum seculi: peribitis gentes de terra illius.

Desiderium pauperum exaudiuit dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Iudicare pupillo & humili: vt non apponat vltra magnificare se homo super terram. **Psalmus 17.**

Diligam te domine fortitudo mea: dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Deus meus adiutor meus: & sperabo in eum.

Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Laudans inuocabo dominum: & ab inimicis meis saluus ero.

Circumderunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Dolores inferni circumderunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.

In tribulatione mea inuocaui dominum, & ad Deum meum clamaui.

Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.

Commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in ira eius: & ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.

Inclinavit cœlos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.

Et ascendit super Cherubim & volauit: volauit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tene-

brosa aqua in nubibus aeris.

Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando, & carbones ignis.

Et intonuit de cœlo dominus, & altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Ab increpatione tua domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus est dominus protector meus.

Et eduxit me in latitudinem: saluum me fecit, quoniam voluit me.

Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam: & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Quia custodiui vias domini, nec impie gessi a Deo meo.

Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: & iustitias eius non repuli a me.

Et ero immaculatus cum eo: & obseruabo me ab iniquitate mea.

Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam: & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.

Cum sancto sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris.

Et cum electo electus eris: & cum peruerso peruertaris.

Quoniam tu populum humilem saluum facies: & oculos superborum humili-

abis.

Quoniam tu illuminas lucernam meam domine: Deus meus, illumina tenebras meas.

Quoniam in te eripiar a tentatione: & in Deo meo transgrediar murum.

Deus meus impolluta via eius eloquia domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

Quoniam quis deus præter dominum? aut quis deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam.

Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & super excelsa statuens me.

Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti vt arcum æreum brachia mea.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me.

Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit.

Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea:

Persequar inimicos meos & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me disperdidisti.

Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret ad dominum, nec exaudiuit eos.

Et comminuum eos vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.

Populus quem non cognoui seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.

Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt a semitis suis.

Viuit dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.

Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus domine: & nomini tuo psalmum dicam.

Magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid. & semini eius vsque in seculum.

☩ *Sequens hym. dicitur finitis tribus lectionibus ad matu. per totum annum præterquam in aduentu, & a dominica in septuagesima vsque ad Pascha, & etiam tunc dicitur si agatur de aliquo sancto.*

☩ *Canticum sanctorum Ambrosij & Augustini. Hymnus.*

TE Deum laudamus: te dominum confitemur.

Te æternum patrem, omnis terra veneratur.

Tibi omnes angeli, tibi cœli, & vniuersæ potestates.

Tibi Cherubim, & Seraphim incessabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus deus sabaoth.

Pleni sunt cœli & terra, maiestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te prophetarum laudabilis numerus.

Te martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confiteatur ecclesia.

Patrem immensæ maiestatis.

Venerandum tuum verum, & vnicum filium.

Sanctum quoque paraclitum spiritum.

Tu rex gloriæ Christe.

Tu patris sempiternus es filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum.

Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria patris.

Iudex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus famulis tuis subueni, quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.

Saluum fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos vsque in æternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in seculum, & in seculum seculi.

Dignare domine die isto, sine peccato nos custodire.


Miserere nostri domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.

In te domine speraui, non confundar in æternum.

AD LAVDES.

Deus in adiuto. *Antiph. Psalmus 65.*

 Vbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.

Dicite Deo, Quam terribilia sunt opera tua domine? in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.

Venite, & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominum.

Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi

lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedicite gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis eius.

Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.

Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boues cum hircis.

Venite, audite: & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo: non exaudiet dominus.

Propterea exaudiuit Deus: & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam a me. **Psalmus 95.**

Cantate domino canticum nouum: cantate domino omnis terra.

Cantate domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius.

Annuntiate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniam magnus dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dij gentium dæmonia: dominus autem cœlos fecit.

Confessio, & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.

Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriam & honorem: afferte domino gloriam nomini eius.

Tollite hostias, & introite in atria eius: Adorate dominum in atrio sancto eius.

Commueatur a facie eius vniuersa terra. Dicite in gentibus quia dominus regnauit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna syluarum a facie domini: quia venit, quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

Canticum trium puerorum.

Benedicite omnia opera domini Dan. 3.
domino: laudate, & superexaltate eum in secula.

Benedicite angeli domini domino, benedicite cœli domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt domino: benedicite omnes virtutes domini domino.

Benedicite sol, & luna domino: benedicite stellæ cœli domino.

Benedicite imber, & ros domino: benedicite omnes spiritus Dei domino.

Benedicite ignis & æstus domino: benedicite fruges & æstus domino.

Benedicite rores & pruina domino:

benedicite gelu & frigus domino.

Benedicite glacies, & niues domino: benedicite noctes, & dies domino.

Benedicite lux, & tenebræ domino: benedicite fulgura, & nubes domino.

Benedicat terra dominum: laudet, & superexaltet eum in secula.

Benedicite montes, & colles domino: benedicite vniuersa germinantia in terra domino.

Benedicite fontes domino: benedicite maria, & flumina domino.

Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis domino: benedicite omnes volucres cœli domino.

Benedicite omnes bestiæ & pecora domino: benedicite filij hominum domino.

Benedicat Israel dominum: laudet, & superexaltet eum in secula.

Benedicite sacerdotes domini domino: benedicite serui domini domino.

Benedicite spiritus, & animæ iustorum domino: benedicite sancti & humiles corde domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael domino, laudate, & superexaltate eum in secula.

Benedicamus patrem, & filium cum sancto spiritu: laudemus & superexaltemus eum in secula.

Benedictus es domine in firmamento cœli: & laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in secula. Amen.

℟ Canticum Zachariæ prophetæ.

Et dicitur quotidie ad laudes.

Benedictus dominus deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui a seculo sunt prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu

omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: seruiamus illi.

In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem domini parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Antiphona & Oratio & Sub tuum præsidium. vt in. j. dominica aduentu.

AD PRIMAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium meum. **Hym.**

Am lucis orto sydere: Deum precemur supplices: **Vt** in diurnis actibus: Nos seruet a nocentibus.

Linguam refrenans temperet, **Ne** litis horror insonet: **Visum** fouendo contegat, **Ne** vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima, **Absistat** & vecordia: **Carnis** terat superbiam **Potus** cibique parcitas.

Vt cum dies abscesserit, **Noctemque** sors reducerit: **Mundi** per abstinentiam, **Ipsi** canamus gloriam.

Deo patri sit gloria, **Eiusque** soli filio, **cum** spiritu paracleto, **Et** nunc & in perpetuum. Amen.

Antiphona. Vtinam. **Psalmus. 53.**

DEus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim deus adiuuat me: & dominus susceptor est animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperse illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo domine quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus. **Psalmus. 118.**

BEati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.

Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.

Tu mandasti mandata tua, custodiri nimis.

Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas.

Tunc non confundar: cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ.

Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisiui te: ne reppellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi.

Benedictus es domine: doce me iustificationes tuas.

In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.

In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.

In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.

Ex psalmo. 118.

Retribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.

Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua.

Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, in omni tempore.

Increpasti superbos: maledicti, qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.

Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum iustificationes tuæ.

Adhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Viam iustificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amoue a me: & de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimonijs tuis domine: noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

Symbolum Athanasij Episcopi.

Q Vicunque vult saluus esse: ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inuiolatanque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem catholica hæc est: vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia filij, alia Spiritus sancti:

Sed Patris, & filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni: sed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Vt tamen non tres dii, sed vnus est deus.

Ita dominus Pater, dominus Filius, dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres domini: sed vnus est dominus.

Quia sicut singillatim vnamquamque

personam, Deum, ac dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut dominos dicere, catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres patres, vnus filius, non tres filij: vnus Spiritus sanctus, non tres spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.

Ita vt per omnia, sicut iam supradictum est, & vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem veneranda sit.

Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem: vt incarnationem quoque domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus, & homo est.

Deus est ex substantia patris ante secula genitus: & homo est ex substantia matris in seculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum diuinitatem: minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit, & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus.

Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino non confusione substan-

tiaë, sed vnitate personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita deus & homo vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & redditori sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

Gloria patri. **Sicut erat. Ant.** Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas. **Ÿ.** Domine exaudi orationem meam. **℞.** Et clamor meus ad te veniat. **Oremus.**

Domine deus omnipotens qui ad principium huius diei nos peruenire fecisti: tua nos hodie salua virtute: vt in hac die ad nullum declinemus peccatum: sed semper ad tuam iustitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit et regnat in vnitate spiritus sancti deus: per omnia secula seculorum. **℞.** Amen. Benedicamus domino. Fidelium.

Vide num de sancto sit facienda commemoratio.

Pretiosa in conspectu domini. **℞.** Mors sanctorum eius. **Oratio.**

Sancta Maria & omnes sancti intercedant pro nobis ad dominum: vt nos mereamur ab eo adiuuari & salu-

ari, qui viuit & regnat in secula seculorum. **℞.** Amen. **Ÿ.** Dies & actus nostros in sua pace disponat dominus omnipotens. **℞.** Amen.

℥ Prædictum symbolum dicitur ad primam dominicis diebus per totum annum, siue fiat officium de dominica, siue de aliquo festo aut octaua in ea incidenti.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiutorium meum. **Hym.**

Vnc sancte nobis spiritus Vnum patri cum filio, Dignare promptus ingeri, Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor Confessionem personent Flammescat igne charitas Accendat ardor proximos.

Præsta pater pijssime Patrique compar vnice Cum spiritu paraclito Regnans per omne seculum. Amen.

Antiphona. Da mihi. **Psalmus. 118.**

LEgem pone mihi domine viam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.

Seduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.

Statue seruo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.

Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.

Et veniat super me misericordia tua domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: quia in iudicijs tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuam semper: in seculum & in seculum seculi.

Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui.

Et loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum: & non confundebam.

Et meditabar in mandatis tuis: quæ dilexi.

Et leuavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iustificationibus tuis. **Psalmus. 118.**

Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me.

Superbi inique agebant vsquequaque: a lege autem tua non declinaui.

Memor fui iudiciorum tuorum a seculo domine: & consolatus sum.

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui domine: & custodiui legem tuam.

Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

Portio mea domine: dixi custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitavi vias meas: & conuerti pedes meos in testimonia tua.

Paratus sum & non sum turbatus: vt custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me:

& legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te: & custodientium mandata tua.

Misericordia tua domine plena est terra: iustificationes tuas doce me.

Ex psalmo 118.

Bonitatem fecisti cum seruo tuo domine secundum verbum tuum.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi, quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.

Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me: da mihi intellectum vt discam mandata tua.

Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua supersperavi.

Cognoui domine, quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua, vt consoletur me: secundum eloquium tuum seruo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam: quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.

Antiphona. Da mihi intellectum, &

scrutabor legem tuam. **Oratio.**

AD SEXTAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiutorium meum. **Hym.**



Ector potens verax Deus, Qui temperas rerum vices: Splendore mane instruis, Et ignibus meridiem

Extingue flammam litium, Aufer calorem noxium, Confer salutem corporum, Veramque pacem cordium.

Præsta, Pater pijssime, Patrique compar vnice, cum spiritu paracleto, Regnans per omne seculum. Amen.

Antiphona. Tuus sum. **Psalmus. 118.**

Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum desperavi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes, quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies serui tui, quando facies de persecutibus me iudicium?

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.

Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me, adiua me.

Paulominus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam viuifica me: & custodiam testimonia oris tui.

In æternum domine, verbum tuum permanet in cœlo.

In generationem & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet.

Ordinatione tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte perijssem in humilitate mea.

In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me.

Tuus sum ego saluum me fac: quoniam

iustificationes tuas exquisiui.

Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

Psalmus. 118.

Quomodo dilexi legem tuam domine? tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui.

Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua.

A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo.

A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen semitis meis.

Iuravi & statui: custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Humiliatus sum vsquequaque domine: viuifica me secundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac domine: & iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erravi.

Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinaui cor meum, ad faciendas iustificationes tuas in æternum: propter retributionem. **Psalmus. 118.**

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.

Adiutor & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperaui.

Declinate a me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, & viam: & non confundas me ab expectatione mea.

Adiuua me & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper.

Spreuisti omnes discedentes a iudicijs tuis: quia iniusta cogitatio eorum.

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas: a iudicijs enim tuis timui.

Feci iudicium & iustitiam: non tradas me calumniantibus me.

Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium iustitiæ tuæ.

Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam: & iustificationes tuas doce me.

Seruus tuus sum ego: da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.


Tempus faciendi domine: dissipauerunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua: super aurum & topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui. **Antiphona.** Tuus sum ego, saluum me fac. **Oratio.**

AD NONAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium meum. **Hym.**

 Erum deus tenax vigor, Immotus in te permanens, Lucis diurnæ tempora, Successibus determinans.

Largire clarum vespere, Quo vita nusquam decidat, Sed præmium mortis sacræ, Perennis instet gloria.

Præsta pater pijssime, Patrique compar vnice, Cum spiritu paracleto, Regnans per omne seculum. Amen.

Antiphona. Declaratio. **Psalmus. 118.**

Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.

Os meum aperui & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me, & miserere mei: secundum iudicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.

Redime me a calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super seruum tuum: & doce me iustificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

Iustus es domine: & rectum iudicium tuum.

Mandasti iustitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus meus: quia obliiti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.

Iustitia tua iustitia in æternum: & lex tua veritas.

Tribulatio & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viam.

Psalmus. 118.

CLamaui in toto corde meo exaudi me domine: iustificationes tuas requiram.

Clamaui ad te, saluum me fac: vt custodiam mandata tua.

Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua supersperaui.

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundum misericordiam tuam domine: & secundum iudicium tuum viuifica me.

Appropinquauerunt persequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu domine, & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognoui de testimonijs tuis: quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.

Iudica iudicium meum & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.

Longe a peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ domine: secundum iudicium tuum viuifica me.

Multi qui persequuntur me, & tribulant me, a testimonijs tuis non declinaui.

Vidi præuaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi domine: in misericordia tua viuifica me.

Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

Psalmus. 118.

P Rincipes persequuti sunt me gratis: & a verbis tuis formidauit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum domine: &

mandata tua dilexi.

Custodiuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.

Seruauit mandata tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua, vt saluet me: quoniam mandata tua elegi.

Concupiui salutare tuum domine: & lex tua meditatio mea est.

Viuit anima mea & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.

Erraui sicut ouis, quæ perijt: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Antiphona. Declaratio sermonum tuorum illuminat. **Oratio.**

AD VESPERAS.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiu.

Hym. antiphona. Psalmus. 109.

Dixit dominus domino meo: sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex vtero ante luciferum genui te.

Iurauit dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput. **Psalmus. 110.**

Confitebor tibi domine in toto corde meo: in concilio iustorum, & congregatione.

Magna opera domini: exquisita in omnes voluntates eius.

Confessio & magnificentia opus eius: et iustitia eius manet in seculum seculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator dominus: escam dedit timentibus se.

Memor erit in seculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo:

Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum eius veritas, & iudicium.

Fidelia omnia mandata eius: confirmata in seculum seculi: facta in veritate & æquitate.

Redemptionem misit populo suo: mandauit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terribile nomen eius: initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi. **Psalmus. 113.**

IN exitu Israel de ægypto, domus Iacob de populo barbaro.

Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israel potestas eius.

Mare vidit & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

Montes exultauerunt vt arietes: & colles sicut agni ouium.

Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ouium.

A facie domini mota est terra, a facie

Dei Iacob.

Qui conuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

Non nobis domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua & veritate tua: nequando dicant gentes, vbi est deus eorum?

Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit fecit.

Simulacra gentium argentum & aurum: opera manuum hominum.

Os habent & non loquentur: oculos habent & non videbunt.

Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel sperauit in domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Domus Aaron sperauit in domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Qui timent dominum sperauerunt in domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis:

Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent dominum: pusillis cum maioribus.

Adiciat dominus super vos: super vos & super filios vestros.

Benedicti vos a domino: qui fecit cœlum, & terram.

Cœlum cœli domino: terram autem dedit filijs hominum.

Non mortui laudabunt te domine: neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui viuimus benedicimus domino: ex hoc nunc & vsque in seculum.

Canticum beatæ virgi. Mariæ & dicitur quotidie ad vesper.

Lu. **M**agnificat anima mea dominum.

1.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.

Et misericordia eius a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.

Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham: & semini eius in secula.

Antiphona & Oratio. & Sub tuum præsi. *vt in. j. dominica adue.*

AD COMPLETORIUM.

Pater noster. Aue maria. Conuerte nos deus saluatoris noster. *R.* Et auerte iram tuam a nobis. *V.* Deus in adiutorium. *Hym.*



Ex lucis ante terminum, Rerum creator poscimus: Vt solita clementia, Sis præsul & custodiam.

Procul recedant somnia, Et noctium phantasmata: Hostemque nostrum comprime, Ne polluantur corpora.

Præsta pater omnipotens, per Iesum Christum dominum: Qui tecum in perpetuum, Regnat cum sancto spiritu. Amen.

Antiphona. Salua nos. *Psalmus. 4.*

CVm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei: & exaudi orationem meam.

Filij hominum, vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Scitote quoniam mirificauit dominus sanctum suum: dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.

Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in domino: multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui domine: dedisti lætitiã in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.

In pace in idipsum: dormiam & requiescam.

Quoniam tu domine singulariter in spe, constituisti me. *Psalmus. 30.*

IN te domine speraui non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me & enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me domine deus veritatis. *Psalmus. 90.*

Qui habitat in adiutorio altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet domino, susceptor meus es tu: & refugium meum, deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium: & a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno,

A sagitta volante in die: a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, & decem milia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Veruntamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me sperauit liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum & ostendam illi salutare meum.

Canticum Simeonis prophetæ & dicit quotidie ad completorium.

Nunc dimittis seruum tuum domine: secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel.

Antiphona. Salua nos domine vigilantes, custodi nos dormientes, vt vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace. **Ÿ.** Domine exaudi. **℞.** Et clamor. Oremus.

Visita quæsumus domine habitationem istam: & omnes insidias inimici ab ea longe repelle: angeli tui sancti habitent in ea: qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per dominum. **Benedicamus do. Fidelium animæ. Salue regina. Loco suo.**

FERIA SECVNDA.

ad matutinum.

Pater noster. Aue ma. Confiteor. Misereator. Indulgen. Domine labia. Deus in adiuto. **Inuita.** Venite exul. **Inuita.** **Hymnus. Antiphona. Psalmus. 30.**

In te domine speraui: non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam accelera vt eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me domine deus veritatis.

Odisti obseruantes vanitates superuacue.

Ego autem in domino speraui: exultabo, & lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem

meam, saluasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus:

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis.

Qui videbant me foras fugerunt a me: obliuioni datus sum tanquam mortuus a corde.

Factus sum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speraui domine. dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua domine, non confundar, quoniam inuocaui te.

Erubescant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia & in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te?

Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.

Benedictus dominus: quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ, Proiectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Diligite dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requirit dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in domino.

Psalmus. 34.

Iudica domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude aduersus eos qui persequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam.

Auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & angelus domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & angelus domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacue exprobrauerunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultabit in domino: & delectabitur super salutari suo.

Omnia ossa mea dicent, domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem a diripientibus

tibus eum.

Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.

Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinu meo conuertetur.

Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens, & contristatus, sic humiliabar.

Et aduersum me lætati sunt & conuenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignorauit.

Dissipati sunt, nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.

Domine quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus vnicam meam.

Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te.

Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi inique, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilatauerunt super me os suum, dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti, domine, ne sileas, domine ne discedas a me.

Exurge, & intende iudicio meo: Deus meus, & dominus meus in causam meam.

Iudica me secundum iustitiam tuam domine deus meus: & non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis, euge, euge, animæ nostræ: nec dicant, Deo-

rauimus eum.

Erubescant, & reuereantur simul qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione & reuerentia, qui magna loquuntur super me.

Exultent, & lætentur qui volunt iustitiam meam: & dicant semper, Magnificetur dominus, qui volunt pacem serui eius.

Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

Psalmus. 104.

Confitemini domino, & inuocate nomen eius: annuntiate inter gentes opera eius.

Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.

Laudamini in nomine sancto eius: lætentur cor quærentium dominum.

Quærite dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.

Mementote mirabilium eius quæ fecit: prodigia eius, & iudicia oris eius.

Semen Abraham, serui eius: filij Iacob electi eius.

Ipse dominus deus noster: in vniuersa terra iudicia eius.

Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi quod mandauit in mille generationes.

Quod disposuit ad Abraham: & iuramenti sui ad Isaac.

Et statuit illud Iacob in præceptum: & Israel in testamentum æternum:

Dicens, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.

Cum essent numero breui, paucissimi, & incolæ eius:

Et pertransierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alterum.

Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges.

Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.

Et vocauit famem super terram: & omne firmamentum panis contriuit.

Misit ante eos virum: in seruum venumdatus est Ioseph.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius, donec veniret verbum eius.

Eloquium domini inflammauit eum: misit rex, & soluit eum, princeps populorum: & dimisit eum.

Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ:

Vt erudiret principes eius sicut semetipsum: & senes eius prudentiam doceret.

Et intrauit Israel in Aegyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.

Et auxit populum suum vehementer: & firmauit eum super inimicos eius.

Conuertit cor eorum vt odirent populum eius: & dolum facerent in seruos eius.

Misit Moysen seruum suum: Aaron quem elegit ipsum.

Posuit in eis verba signorum suorum: & prodigiorum in terra Cham.

Misit tenebras, & obscurauit: & non exacerbauit sermones suos.

Conuertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum.

Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum.

Dixit, & venit cynomya, & ciniphes in omnibus finibus eorum.

Posuit pluuias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum.

Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.

Dixit, & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus.

Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ

eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Aegyptus in profectioe eorum: quia incubuit timor eorum super eos.

Expandit nubem in protectionem eorum: & ignem vt luceret eis per noctem.

Petierunt, & venit coturnix: & pane cœli saturauit eos.

Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.

Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.

Et eduxit populum suum in exultatione & electos suos in lætitia.

Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum possederunt.

Vt custodiant iustificationes eius: & legem eius requirant. **Antiphona.**

AD LAVDES.

Deus in adiu. **Antiphona. Psalmus. 97.**

S Antate domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.

S Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Notum fecit dominus salutare suum in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ, salutare Dei nostri.

Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.

Psallite domino in cithara, in cithara, & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Iubilate in conspectu regis domini:

moueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu domini: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & populos in æquitate. **Psalmus. 103.**

Benedic anima mea domino: Domine deus meus magnificatus es vehementer.

Confessionem & decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem: qui tegis aquis superiora eius.

Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.

Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.

Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi.

Abyssus sicut vestimentum amictus eius: super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient: a voce tonitruui tui formidabunt.

Ascendunt montes: & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.

Terminum posuisti, quem non transgredientur: neque conuertentur operire terram.

Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ.

Potabunt omnes bestię agri, expectabunt onagri in siti sua.

Super ea volucres cœli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra.

Producens fœnum iumentis: & herbam seruituti hominum.

Vt educas panem de terra: & vinum lætificet cor hominis.

Vt exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit: illic passeret nidificabunt.

Herodij domus dux est eorum montes excelsi ceruis: petra refugium herinacis.

Fecit Lunam in tempora: Sol cognouit occasum suum.

Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestię syluæ.

Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant a Deo escam sibi.

Ortus est Sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur.

Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam vsque ad vesperum.

Quam magnificata sunt opera tua domine: omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.

Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia: quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magnis, illic naues pertransibunt.

Draco iste quem formasti ad illudendum ei: omnia a te expectant, vt des illis escam in tempore.

Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.

Emittes spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.

Sit gloria domini in seculum: lætabitur dominus in operibus suis.

Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.

Cantabo domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum.

Iucundum sit ei eloquium meum: ego

vero delectabor in domino.

Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita vt non sint: benedic, anima mea domino.

Canticum Isaiaë prophetæ.

Isa. **C**onfitebor tibi domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me.

Ecce deus saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo.

Quia fortitudo mea, & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris, & dicetis in illa die, Confitemini domino, & inuocate nomen eius.

Notas facite in populis adinventiones eius: mementote quoniam excelsum est nomen eius.

Cantate domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in vniuersa terra.

Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel.

Deinde canticum. Benedictus. folio. 7.

Antiphona Oratio. & Commemoratio.

AD PRIMAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Iam lucis orto. 7. **Antiphona.**

Vias tuas. **Psalmus. 22.**

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.

Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.

Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum.

Nam etsi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: &

calix meus inebrians quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.

Et vt inhabitem in domo domini, in longitudinem dierum. **Psalmus. 23.**

Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.

Quis ascendet in montem domini? aut quis stabit in loco sancto eius.

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo

Hic accipiet benedictionem a domino, & misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? dominus fortis & potens, dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Psalmus. 24.

AD te domine leuauit animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei, etenim vniuersi qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes superuacue.

Vias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum domine, & misericordiarum tuarum, quæ a seculo sunt.

Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris.

Decundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam domine.

Dulcis, & rectus dominus: propter hoc, legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.

Vniuersæ viæ domini, misericordia, & veritas requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.

Propter nomen tuum domine propitiaberis peccato meo: multum est enim. Quis est homo qui timet dominum? legem statuit ei in via quam elegit.

Anima eius in bonis demorabitur: & semen eius hæreditabit terram.

Firmamentum est dominus timentibus eum: & testamentum ipsius vt manifestetur illis.

Oculi mei semper ad dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, & miserere mei: quia vnicus, & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, & erue me: non erubescam, quoniam speraui in te

Innocentes, & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.

Libera deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis. **Antiphona.** Vias tuas domine demonstra mihi.

Symbolum Apostolorum.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.

Et in Iesum Christum filium eius vnicum, dominum nostrum, Qui conceptus est de spiritu sancto. Natus ex Maria virgine. Passus sub pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos. Tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Credo in spiritum sanctum.

Sanctam Ecclesiam catholicam,

Sanctorum communionem,

Remissionem peccatorum,

Carnis resurrectionem,

Vitam æternam. Amen.

¶ Prædictum symbolum dicitur semper ad Primam in omnibus diebus præterquam in Dominicis, ac in triduo ante Pascha.

Domine exaudi ora. Oremus, Domine deus omnipotens. Benedicamus domini. Fidelium. Pretiosa. Sancta maria. Dies & actus nostros in sua pace.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiuto. Nunc sancte. 10. **Antiphona.** Ab occultis. **Psalmus. 13.**

Dixit insipiens in corde suo: non est deus.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum: vt videat si est intellegens aut requires Deum.

Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labijs eorum.

Quorum os maledictione & amaritu-

dine plenum est veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem: qui deorant plebem meam sicut escam panis?

Dominum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

Quoniam dominus in generatione iusta est, consilium inopis confudistis: quoniam dominus spes eius est.

Quis dabit ex Sion salutare Israël? cum auerterit dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel.

Psalmus. 18.

COeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmitermentum.

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultauit vt gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio eius.

Et occursum eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat a calore eius.

Lex domini immaculata, conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis.

Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda: præceptum domini lucidum, illuminans oculos.

Timor domini sanctus permanens in seculum seculi: iudicia domini vera, iustificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum, & lapidem

pretiosum multum: & dulciora super mel, & fauum.

Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intellegit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce seruo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo.

Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adiutor meus, & redemptor meus. *Psalmus. 19.*

EXaudiat te dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam saluum fecit dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ eius.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.

Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

Antiphona. Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

Oratio.

AD SEXTAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Rector potens. 12.

Antiphona. In Deo. **Psalmus. 38.**

DIxi, custodiam vias meas:
vt non delinquam in lingua
mea.

Posui ori meo custodiam,
cum consisteret peccator aduersum me.
Obmutui, & humiliatus sum, & silui a
bonis: & dolor meus renouatus est.

Concaluit cor meum intra me, & in
meditatione mea exardescet ignis.

Loquutus sum in lingua mea: notum
fac mihi domine finem meum.

Et numerum dierum meorum quis est:
vt sciam quid desit mihi?

Ecce, mensurabiles posuisti dies meos:
& substantia mea tanquam nihilum
ante te.

Veruntamen vniuersa vanitas, omnis
homo viuens.

Veruntamen in imagine pertransit
homo: sed & frustra conturbatur.

Thesaurizat: & ignorat cui congregabit
ea.

Et nunc, quæ est expectatio mea?
nonne dominus, & substantia mea apud
te est?

Ab omnibus iniquitatibus meis erue
me, opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, & non aperui os meum, quo-
niam tu fecisti: amoue a me plagas
tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci
in increpationibus: propter iniquitatem
corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam ani-
mam eius: veruntamen vane contur-
batur omnis homo.

Exaudi orationem meam domine &
deprecationem meam, auribus percipe
lachrymas meas.

Ne sileas quoniam aduena ego sum
apud te, & peregrinus, sicut omnes pa-
tres mei.

Remitte mihi, vt refrigerer priusquam

abeam, & amplius non ero.

Psalmus. 61.

Nonne deo subiecta erit anima
mea? ab ipso enim salutare
meum.

Nam & ipse deus meus, & salutaris
meus: susceptor meus, non mouebor
amplius.

Quousque irruitis in hominem? inter-
ficitis vniuersi vos: tanquam parieti
inclinato, & macerix depulsæ?

Veruntamen pretium meum cogi-
tauerunt repellere, cucurri in siti:
ore suo benedicebant, & corde suo
maledicebant.

Veruntamen Deo subiecta esto anima
mea: quoniam ab ipso patientia mea.

Quia ipse Deus meus, & saluator meus:
adiutor meus, non emigrabo.

In Deo salutare meum, & gloria mea,
Deus auxiliij mei, & spes mea in Deo
est.

Sperate in eo omnis congregatio populi,
effundite coram illo corda vestra: Deus
adiutor noster in æternum.

Veruntamen vani filij hominum, men-
daces filij hominum in stateris: vt de-
cipiant ipsi de vanitate in idipsum.

Nolite sperare in iniquitate, & rapinas
nolite concupiscere: diuitiæ si affluant,
nolite cor apponere.

Semel locutus est deus, duo hæc audiui,
quia potestas Dei est, & tibi domine
misericordia: quia tu reddes vnicuique
iuxta opera sua. **Psalmus. 114.**

DIlexi, quoniam exaudiet dominus
vocem orationis meæ.

Quia inclinauit aurem suam mihi: & in
diebus meis inuocabo.

Circunderunt me dolores mortis: &
pericula inferni inuenerunt me.

Tribulationem, & dolorem inueni: &
nomen domini inuocaui.

O domine, libera animam meam: mis-

ericors dominus, & iustus: & deus nos-
ter miseretur.

Custodiens paruulos dominus: humilia-
tus sum, & liberauit me.

Conuertere anima mea in requiem
tuam: quia dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte,
oculos meos a lachrymis: pedes meos a
lapsu.

Placebo domino in regione viuorum.

Antiphona. In Deo salutare meum, &
gloria mea. **Oratio.**

AD NONAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adi-
utorium. Rerum deus. 13.

Antiphona. Deus. **Psalmus. 79.**

Qui regis Israel intende: qui
deducis velut ouem Ioseph.
Qui sedes super Cherubim,
manifestare coram Ephraim,
Beniamin, & Manasse.

Excita potentiam tuam, & veni, vt
saluos facias nos.

Deus, conuerte nos: & ostende faciem
tuam, & salui erimus.

Domine deus virtutum, quousque
irasceris super orationem serui tui?

Cibabis nos pane lachrymarum: & po-
tum dabis nobis in lachrymis in men-
sura.

Posuisti nos in contradictionem vici-
nis nostris: & inimici nostri subsan-
nauerunt nos.

Deus virtutum conuerte nos: & ostende
faciem tuam, & salui erimus.

Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti
gentes, & plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu eius: &
plantasti radices eius, & impleuit ter-
ram.

Operuit montes vmbra eius: & arbusta
eius cedros Dei.

Extendit palmites suos vsque ad mare:
& vsque ad flumen propagines eius.

Vt quid destruxisti maceriam eius: &
vindemiant eam omnes, qui præter-
grediuntur viam?

Exterminauit eam aper de sylua: &
singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum conuertere: respice de
cælo: & vide, & visita vineam istam.

Et perfice eam, quam plantauit dextera
tua: & super filium hominis, quem con-
firmasti tibi.

Incensa igni, & suffossa: ab increpa-
tione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexteræ
tuæ, & super filium hominis, quem con-
firmasti tibi.

Et non discedimus a te: viuificabis nos,
& nomen tuum inuocabimus.

Domine deus virtutum conuerte nos: &
ostende faciem tuam, & salui erimus.

Psalmus. 98.

Dominus regnauit, irascantur pop-
uli: qui sedet super Cherubim,
moueatur terra.

Dominus in Sion magnus: & excelsus
super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo magno, quo-
niam terribile, & sanctum est: & honor
regis iudicium diligit.

Tu parasti directiones: iudicium, &
iustitiam in Iacob tu fecisti.

Exaltate dominum Deum nostrum, &
adorate scabellum pedum eius, quo-
niam sanctum est.

Moyses & Aaron in sacerdotibus eius:
& Samuel inter eos, qui inuocant nomen
eius.

Inuocabant dominum, & ipse ex-
audiebat eos: in columna nubis loque-
batur ad eos.

Custodiebant testimonia eius, & præ-
ceptum quod dedit illis.

Domine deus noster tu exaudiebas eos:
Deus tu propitius fuisti eis, & vlscens
in omnes adinventiones eorum.

Exaltate dominum Deum nostrum, & adorare in monte sancto eius: quoniam sanctus dominus deus noster.

Psalmus. 125.

IN conuertendo dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes, Magnificauit dominus facere cum eis.

Magnificauit dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Conuerte domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Antiphona. Deus virtutum conuerte nos. **Oratio.**

AD VESPERAS.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiuto. **Hymn. Antiphona. Psalmus. 76.**

DOce mea ad dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus.

Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum loquutus.

Cogitauit dies antiquos: & annos æternos in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum.

Nunquid in æternum proiciet deus? aut non apponet vt complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?

Aut obliuiscetur misereri deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

Et dixi, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.

Memor fui operum domini quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinventionibus tuis exercebor.

Deus, in sancto via tua: quis deus magnus sicut deus noster? tu es deus qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioseph.

Viderunt te aquæ, deus, viderunt te aquæ, & timuerunt: & turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitruui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra.

In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscuntur.

Deduxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysi & Aaron. **Psalmus. 115.**

CRedidi, propter quod loquutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.

Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: & nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius.

O domine quia ego seruus tuus, ego

seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atrijs domus domini: in medio tui Ierusalem.

Psalmus. 142.

Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persequutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocauit me in obscuris, sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditati sum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me domine: defecit spiritus meus.

Non auertas faciem tuam a me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis: domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum domine viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

Deinde. Magnificat. folio. 16.

Antiphona. Oratio. & Commemoratio.

AD COMPLETORIUM.

Pater noster. Aue maria. Conuerte. Deus. Te lucis. Salua nos. **Psalmus. 7.**

Sperauit in te domine deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Nequando rapiat, vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.

Domine deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuendis mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Exurge domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge domine deus meus in præcepto quod mandasti: & synagoga populorum circundabit te.

Et propter hanc in altum regredere: dominus iudicat populos.

Iudica me domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum, scrutans corda & renes deus.

Iustum adiutorium meum a domino, qui saluos facit rectos corde.

Deus iudex iustus, fortis, & patiens, nunquid irascitur per singulos dies?

Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem: & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Confitebor domino secundum iustitiam eius: & psallam nomini domini altissimi. *Psalmus. 14.*

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat.

Qui iurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum. *Psalmus. 124.*

Qui confidunt in domino: sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

Montes in circuitu eius: & dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in seculum.

Quia non relinquet dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Benefac domine bonis, & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Deinde. Nunc dimittis. fo. 17. Salua

nos. Domine exaudi Oremus Visita quæsumus. domine. Benedica. Fidelium. Salue regina mater misericordiae vita dulce.

FERIA TERTIA.

Ad matutinum.

Pater noster. Aue maria. Confiteor. Misereatur. Indulgen. Domine labia. Deus in adiutorium. *Inuita.* Venite exulte. *Inuita.* *Hym.* *Antiphona.* *Psalmus. 36.*

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.

Spera in domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius.

Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Reuela domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet.

Et educet quasi lumen iustitiam tuam: & iudicium tuum tanquam meridiem: subditus esto domino, & ora eum.

Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.

Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari, vt maligneris.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem dominum ipsi hæreditabunt terram.

Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies.

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

Obseruabit peccator iustum: & stridebit super eum dentibus suis.

Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit, quod veniet dies eius.

Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum.

Vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde.

Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur.

Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.

Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iustos dominus.

Nouit dominus dies immaculatum: & hæreditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.

Inimici vero domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.

Mutuabitur peccator, & non soluet: iustus autem miseretur, & tribuet.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.

Apud dominum gressus hominis dirigentur: & viam eius volet.

Cum ceciderit, non collidetur: quia dominus supponit manum suam.

Iunior fui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Tota die miseretur, & commodat: & semen illius in benedictione erit.

Declina a malo, & fac bonum: & inhabitabit in seculum seculi.

Quia dominus amat iudicium: & non derelinquet sanctos suos in æternum conseruabuntur.

Iniusti punientur: & semen impiorum peribit.

Iusti autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in seculum seculi super eam.

Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius.

Considerat peccator iustum: & quærit mortificare eum.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cum iudicabitur illi.

Expecta dominum, & custodi viam eius: & exaltabit te, vt hæreditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.

Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros libani.

Et transiui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

Custodi innocentiam, & vide æquitatem quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Iniusti autem disperibunt: simul reliquiæ impiorum peribunt.

Salus autem iustorum a domino: & protector eorum in tempore tribulationis.

Et adiuuabit eos dominus, & liberabit eos: & eruet eos a peccatoribus, & saluabit eos: quia sperauerunt in eo.

Psalmus. 43.

DEus, auribus nostris audiuius: patres nostri annuntiauerunt nobis.

Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.

Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos.

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus & deus meus: qui mandas salutes Iacob.

In te inimicos nostros ventilabimus

cornu: & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me.

Saluasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.

In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in seculum.

Nunc autem repulisti, & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris.

Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos diripiebant sibi.

Dedisti nos tanquam oves escarum: & in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.

Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrantis & obloquentis, a facie inimici & persequentis.

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: & inique non egimus in testamento tuo.

Et non recessit retro cor nostrum: & declinasti semitas nostras a via tua.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis: & cooperuit nos vmbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri: & si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

Nonne deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.

Exurge, quare obdormis domine? exurge, & ne repellas in finem.

Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?

Quoniam humiliata est in puluere anima nostra: conglutinator est in terra venter noster.

Exurge domine adiua nos: & redime nos propter nomen tuum.

Psalmus. 108.

DEus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circunderunt me, & expugnauerunt me gratis.

Pro eo vt me diligenter, detrahebant mihi: ego autem orabam.

Et posuerunt aduersum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

Constituere super eum peccatorem: & diabolus stet a dextris eius.

Cum iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

Fiant dies eius pauci: & episcopatum eius accipiat alter.

Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.

Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: & eiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœerator omnem substantiam eius: & diripiant alieni labores eius.

Non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupillis eius.

Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini: & peccatum matris eius non deleatur.

Fiant contra dominum semper, & dispareat de terra memoria eorum: pro eo

quod non est recordatus facere misericordiam.

Et persequutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.

Fiat ei sicut vestimentum quo operitur: & sicut zona, qua semper præcingitur.

Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud dominum: & qui loquuntur mala aduersus animam meam.

Et tu domine domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.

Libera me, quia egenus & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.

Sicut vmbra cum declinat, ablatus sum: & excussus sum sicut locustæ.

Genua mea infirmata sunt a ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum.

Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & mouerunt capita sua.

Adiuua me domine deus meus: saluum me fac secundum misericordiam tuam.

Et sciant, quia manus tua hæc: & tu domine fecisti eam.

Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur: seruus autem tuus lætabitur.

Induantur, qui detrahunt mihi pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua.

Confitebor domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

Quia astitit a dextris pauperis: vt saluam faceret a persequentibus ani-

mam meam. **Antiphona.**

AD LAVDES.

Deus in adiu. **Antiphona. Psalmus. 94.**

Enite, exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro.

Præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis iubilemus ei.

Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus super omnes Deos.

Quia in manu eius sunt fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit ilud: & siccam manus eius formauerunt.

Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante dominum qui fecit nos: quia ipse est dominus deus noster.

Et nos populus pascuæ eius & oues manus eius.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto.

Vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt, & viderunt opera mea.

Quadragesima annis offensus fui generationi illi: & dixi, semper hi errant corde.

Et isti non cognouerunt vias mea: vt iuravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam. **Psalmus. 144.**

Exaltabo te deus meus rex: & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi.

Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi.

Magnus dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.

Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent:

& magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiae suauitatis tuae eructabunt: & iustitia tua exultabunt.

Miserator, & misericors dominus: patiens, & multum misericors.

Suauis dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.

Confiteantur tibi domine omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.

Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiae regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationem.

Fidelis dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

Alleuat dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

Iustus dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & saluos faciet eos.

Custodit dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.

Laudationem domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto eius in seculum, & in seculum seculi.

Canticum Ezechiae.

Isa. **E**Go dixi, In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.

Quaesiui residuum annorum meorum:

Dixi, Non videbo dominum Deum in terra viuentium.

Non aspiciam hominem vltra: & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est: & conuoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est, velut a texente, vita mea: dum adhuc ordire, succidit me: de mane vsque ad vesperam finies me.

Sperabam vsque ad mane, quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.

De mane vsque ad vesperam finies me. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba.

Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me. Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animae meae.

Domine, si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & viuificabis me ecce, in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.

Viuens viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam.

Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitae nostrae in domo domini.

Deinde. Benedictus. folio. 7. Antiphona. Oratio. & Commemoratio.

AD PRIMAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Iam lucis orto. 7. Antiphona.

Mane astabo. **Psalmus. 5.**

Erba mea auribus percipe domine: intellege clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus.

Quoniam ad te orabo domine: mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, & videbo: quoniam non deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, & dolosum abominabitur dominus.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, iudica illos deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto.

Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos. **Psalmus. 16.**

EXaudi domine iustitiam meam: intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, non in labijs dolosis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.

Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.

Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueantur vestigia mea.

Ego clamaui, quoniam exaudisti me deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ, custodi me vt pupillam oculi.

Sub vmbra alarum tuarum protege me a facie impiorum qui me affligerunt.

Inimici mei animam meam circunderunt, adipem suum concluderunt: os eorum loquutum est superbiam.

Proijcientes me, nunc circundederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge domine, præueni eum, & supplantata eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine, a paucis de terra diuide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filijs: & dimiserunt reliquias suas paruulis suis.

Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua. **Psalmus. 25.**

Iudica me domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in

domino sperans non infirmabor.

Proba me domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.

Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

Odiu ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.

Lauabo inter innocentes manus meas: & circundabo altare tuum domine.

Vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impijs Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesijs benedicam te domine.

Antiphona. Mane astbo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. **Deinde.** Credo in Deum. &c. Domine exau. Oremus. Domine deus omnipotens. Benedica. Fidelium. Pretiosa. Sancta maria. Dies & actus.

AD TERTIAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Nunc sancte. 10. **Antiphona.** Cantabimus. **Psalmus. 20.**

Somine in virtute tua lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Vitam petijt a te: & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi.

Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam, & magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in domino: & in misericordia altissimi non commouebitur.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum a filijs hominum.

Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt consilia quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: in reliquijs tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare domine in virtute tua, cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

Psalmus 28.

Afferte domino filij Dei: afferte domino filios arietum.

Afferte domino gloriam & honorem, afferte domino gloriam nomini eius: adorate dominum in atrio sancto eius.

Vox domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: dominus super aquas multas.

Vox domini in virtute: vox domini in magnificentia.

Vox domini confringentis cedros: & confringet dominus cedros libani.

Et comminuet eas, tanquam vitulum libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.

Vox domini intercidentis flammam ig-

nis: vox domini concutientis desertum: & commouebit dominus desertum cades.

Vox domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa: & in templo eius omnes dicent gloriam.

Dominus diluuium inhabitare facit: & sedebit dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: dominus benedicet populo suo in pace.

Psalmus. 31.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Veruntamen in diluuiio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea: erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri, sicut equus, & mulus: quibus non est intellectus.

In chamo & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in domino misericordia circumdabit.

Lætamini in domino, & exultate iusti:

& gloriamini omnes recti corde.

Antipho. Cantabimus, & psalemus virtutes tuas. **Oratio.**

AD SEXTAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Rector potens. 12. **Antiphona.**

Sit nomen. **Psalmus. 52.**

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum: vt videat si est intellegens, aut requires Deum.

Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui deorant plebem meam vt cibum panis?

Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam deus spreuit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum conuerterit deus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel. **Psalmus. 71.**

DEus iudicium tuum Regi da: & iustitiam tuam filio regis.

Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.

Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.

Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem.

Descendet sicut pluuiam in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus eius iustitia, & abun-

dantia pacis: donec auferatur Luna.

Et dominabitur a mari vsque ad mare: & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent.

Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.

Quia liberabit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adiutor.

Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum saluas faciet.

Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.

Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiae, & adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super libanum fructus:eius & florebut de ciuitate, sicut fœnum terræ.

Sit nomen eius benedictum in secula: ante Solem permanet nomen eius.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus dominus deus Israel, qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum: & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat.

Psalmus. 120.

LEuauit oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a domino, qui fecit cœlum, & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet, qui custodit te.

Ecce, non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Dominus custodit te, dominus protectio tua: super manum dexteram tuam. Per diem Sol non vret te: neque Luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & vsque in seculum. *Antiphona.* Sit nomen domini benedictum in secula. *Oratio.*

AD NONAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Rerum deus tenax. 13. *Antiphona.* Sit splendor. *Psalmus. 89.*

Domine, refugium factus es nobis: a generatione in generationem.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis: a seculo, & vsque in seculum tu es Deus.

Ne auertas hominem in humilitatem: & dixisti, conuertimini filij hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternæ quæ præterijt.

Et custodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & arescat.

Quia defecimus in ira tua: & in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: seculum nostrum in illuminatione vultus tui

Quoniam omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus.

Anni nostri, sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.

Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.

Quoniam superuenit mansuetudo: & corripiemur.

Quis nouit potestatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac: & eruditos corde in sapientia.

Conuertere domine, vsquequo: & deprecabilis esto super seruos tuos.

Repleti sumus mane misericordia tua: & exultauius, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.

Respice in seruos tuos: & in opera tua: & dirige filios eorum.

Et sit splendor domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige. *Psalmus. 96.*

Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu eius: iustitia, & iudicium correctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota est terra.

Montes, sicut cera, fluxerunt a facie domini: a facie domini omnis terra.

Annuntiauerunt cœli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulachris suis.

Adorate eum omnes angeli eius: audiuit, & lætata est Sion.

Et exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua domine.

Quoniam tu dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis dominum, odite malum: custodit dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est iusto: & rectis corde læti-

tia.

Lætamini iusti in domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.

Psalmus. 126.

Nisi dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Nisi dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas domini, filij, merces fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.

Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Antiphona. Sit splendor domini Dei nostri super nos. *Oratio.*

AD VESPERAS.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiu.

Hym. Antiphona. Psalmus. 33.

Benedicam dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.

In domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.

Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.

Exquisiui dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamauit: & dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.

Immittet angelus domini in circuitu mentium eum: & eripiet eos.

Gustate, & videte, quoniam suauis est dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Timete dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.

Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem dominum, non minuentur omni bono.

Venite filij, audite me, timorem domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.

Diuerte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & perseguere eam.

Oculi domini super iustos: & aures eius in preces eorum.

Vultus autem domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.

Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Iuxta est dominus ijs, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit.

Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos dominus.

Custodit dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: & qui oderunt iustum, delinquent.

Redimet dominus animas seruorum suorum: & non delinquent omnes qui sperant in eo. **Psalmus. 40.**

BEatus vir, qui intellegit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum dominus.

Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius, versasti in infirmitate eius.

Ego dixi, domine miserere mei: sana

animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur, & peribit nomen eius?

Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur cor eius: congregauit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipsum.

Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt aduersum me, Nunquid qui dormit, non adiciet, vt resurgat?

Et enim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos: magnificauit super me supplantationem.

Tu autem domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.

In hoc cognoui, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus dominus deus Israel a seculo, & vsque in seculum: fiat, fiat.

Psalmus. 112.

LAudate pueri dominum: laudate nomen domini.

Sit nomen domini benedictum, ex hoc, nunc, & vsque in seculum.

A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen domini.

Excelsus super omnes gentes dominus: & super cœlos gloria eius.

Quis sicut dominus deus noster qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo, & in terra?

Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem.


Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Deinde canticum. Magnificat. folio. 16. Antiphona. Oratio. & Commemoratio.

AD COMPLETORIVM.

Pater noster. Aue maria. Conuerte nos. Deus in adiu. Te lucis ante. 16. Antiphona. Salua nos. Psalmus. 10.

 N domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam, quæ perfecisti, destruxerunt: iustus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: Dominus in cœlo sedes eius.

Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iustum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam iustus dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Psalmus. 15.

Conserua me domine, quoniam speraui in te: dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egēs.

Sanctis, qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus, pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam dominum, qui tribuit mihi intellectum, insuper & vsque ad noctem increpauerunt me renes mei.

Prouidebam dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commouear.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem.

Psalmus. 29.

EXaltabo te domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamaui ad te: & sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me a descendentibus in lacum.

Psallite domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

Quoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius.

Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum.

Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.

Auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.

Ad te domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?

Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?

Audiuit dominus, & misertus est mei: dominus factus est adiutor meus.

Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. **Deinde.** Nunc dimittis. fo. 17. Salua nos. Domine exaudi. Oremus Visita quæsumus. domine. Benedica. Fidelium.

FERIA QVARTA.

Ad matutinum.

Pater noster. Ave maria. Confiteor. Misereatur. Indulgen. Domine labia. Deus in adiu. **Inuita.** Venite. **Inuit.** Hym. Antiphona. **Psalmus. 48.**

A Vdite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.

Quique terrigenæ, & filij hominum: simul in vnum diues & pauper.

Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.

Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me:

Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.

Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam.

Et pretium redemptionis animæ suæ: & laborabit in æternum: & viuet adhuc in finem.

Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens, & stultus peribunt.

Et relinquent alienis diuitias suas: &

sepulchra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie & progenie, vocauerunt nomina sua in terris suis.

Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus: & similis factus est illis.

Hæc via illorum scandalum ipsis: & postea in ore suo complacebunt.

Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos.

Et dominabuntur eorum iusti in matutino: & auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

Verumtamen deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.

Ne timueris, cum diues factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.

Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.

Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei.

Introibit vsque in progenies patrum suorum: & vsque in æternum non videbit lumen.

Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Psalmus. 58.

ERipe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum salua me.

Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum domine, sine iniquitate cucurri, & direxi.

Exurge in occursum meum, & vide, & tu domine Deus virtutum Deus Israel, Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem.

Ecce, loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit?

Et tu domine deridebis eos: & ad nihilum deduces omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te custodiam, quia deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia eius præueniet me.

Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliuiscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus domine.

Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, & comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione, & mendacio annuntiabuntur in consummatione, in ira consummationis, & non erunt.

Et scient, quia deus dominabitur Iacob, & finium terræ.

Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes: & circuibunt ciuitatem.

Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, murmurabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam: & exultabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.

Adiutor meus tibi psallam, quia deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea. **Psalmus. 77.**

ATtendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram

in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.

Quanta audiuiimus, & cognouiimus ea: & patres nostri narrauerunt nobis?

Non sunt occultata a filijs eorum, in generatione altera.

Narrantes laudes domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit.

Et suscitauit testimonium in Iacob: & legem posuit in Israel.

Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis: vt cognoscat generatio altera?

Filij qui nascentur, & exurgent & narrabunt filijs suis.

Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.

Ne fiant sicut patres eorum, generatio praua & exasperans.

Generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius.

Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum: conuersi sunt in die belli.

Non custodierunt testamentum Dei: & in lege eius noluerunt ambulare.

Et obliuiscuntur beneficia eius: & mirabilium eius, quæ ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti: in campo Taneos.

Interrupit mare, & perduxit eos: & statuit aquas quasi in vtre.

Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.

Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abyssu multa.

Et eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.

Et apposuerunt adhuc peccare ei in iram: excitauerunt excelsum in iniquo.

Et tentauerunt Deum in cordibus suis,

vt peterent escas animabus suis.

Et male locuti sunt de Deo: dixerunt, nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?

Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ: & torrentes inundauerunt.

Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

Ideo audiuit dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel.

Quia non crediderunt in Deo: nec sperauerunt in salutari eius.

Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit.

Et pluit illis manna ad manducandum: & panem cœli dedit eis.

Panem Angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia.

Transtulit Austrum de cœlo: & induxit in virtute sua Africum.

Et pluit super eos, sicut puluerem, carnes: & sicut arenam maris, volatilia pennata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo.

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos.

Et occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.

In omnibus his peccauerunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus eius.

Et defecerunt in vanitate dies eorum: & anni eorum cum festinatione.

Cum occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.

Et rememorati sunt, quia deus adiutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est.

Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius.

Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos.

Et abundauit, vt auerteret iram suam: & non accendit omnem iram suam.

Et recordatus est, quia caro sunt: spiritus vadens, & non rediens.

Quoties exacerbauerunt eum in deserto: in iram concitauerunt eum in inaquoso?

Et conuersi sunt, & tentauerunt Deum: & sanctum Israel exacerbauerunt.

Non sunt recordati manus eius, die, qua redemit eos de manu tribulantis.

Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.

Et conuertit in sanguinem flumina eorum & imbres eorum, ne biberent.

Misit in eos cynomyam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.

Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ.

Et occidit in grandine vineas eorum: & moros eorum in pruina.

Et tradidit grandini iumenta eorum: & possessionem eorum igni.

Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram & tribulationem: immissiones per angelos malos.

Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte conclusit.

Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Et abstulit, sicut oues populum sum, & perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.

Et induxit eos in montem sanctificationis suæ: montem, quem acquisiuit dextera eius.

Et eiecit a facie eorum gentes: & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.

Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum: & testimonia eius non custodierunt.

Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum conuersi sunt in arcum prauum.

In iram concitauerunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.

Audiuit deus, & spreuit: & ad nihilum redegit valde Israel.

Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus.

Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici.

Et conclusit in gladio populum suum, & hæreditatem suam spreuit.

Iuuenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non sunt lamentatæ.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: & viduæ eorum non plorabantur.

Et excitatus est tanquam dormiens dominus: tanquam potens crapulatus a vino.

Et percussit inimicos suos in postero: opprobrium sempiternum dedit illis.

Et repulit tabernaculum Ioseph: & tribum Ephraim non elegit.

Sed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit.

Et ædificauit, sicut vnicornium, sanctificium suum in terra: quam fundauit in secula.

Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post foetantes accepit eum.

Pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.

Et paut eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos. **Antiphona.**

AD LAVDES.

Deus in adiu. **Antiphona. Psalmus 80.**

SXultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.

Sumite psalmum, & date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.

Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ.

Quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob.

Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra

Ægypti: linguam, quam non nouerat, audiuit.

Diuertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino seruiuerunt.

In tribulatione inuocasti me, & liberaui te, exaudiui te in abscondito tempestatis: probaui te apud aquam contradictionis.

Audi populus meus, & contestabor te: Israel, si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis Deum alienum.

Ego enim sum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.

Et non audiuit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me: Israel si in vijs meis ambulasset.

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in secula.

Et cibavit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle saturavit eos.

Psalmus. 134.

Laudate nomen domini, laudate serui dominum.

Qui statis in domo domini, in atrijs domus Dei nostri.

Laudate dominum, quia bonus dominus: psallite nomini eius, quoniam suaue.

Quoniam Iacob elegit sibi dominus, Israel in possessionem sibi.

Quia ego cognoui, quod magnus est dominus: & deus noster præ omnibus dijs.

Omnia, quæcunque voluit dominus, fecit in cælo, & in terra: in mari, & in omnibus abyssis.

Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis: qui percussit primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus.

Et misit signa, & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaonem, & in omnes seruos eius.

Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes.

Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.

Domine, nomen tuum in æternum: Domine, memoriale tuum in generationem, & generationem.

Quia iudicabit dominus populum suum: & in seruis suis deprecabitur.

Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel benedicite domino: domus Aaron benedicite domino.

Domus leui benedicite domino: qui timetis dominum, benedicite domino.

Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Ierusalem.

Canticum Annæ.

Exultauit cor meum in domino: & j. reg. exaltatum est cornu meum in 2. domino.

Dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo.

Non est sanctus, vt est dominus: neque enim est alius extra te: & non est fortis, sicut deus noster.

Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.

Recedant vetera de ore vestro, quia deus scientiarum dominus est: & ipsi præparantur cogitationes.

Arcus fortium superatus est: & infirmi accincti sunt robore.

Repleti prius, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt.

Donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est.

Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.

Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & subleuat.

Suscitat de puluere egenum: & de stercore eleuat pauperem.

Vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.

Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

Pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent: quia non

in fortitudine sua roborabitur vir.

Dominum formidabunt aduersarij eius: & super ipsos in cœlis tonabit.

Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

Deinde canticum. Benedictus. folio. 7. Antiphona. Oratio. & Commemoratio.

AD PRIMAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Iam lucis orto. 7. Antiphona. Deus. Psalmus. 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miserere mei domine, quoniam infirmus sum: sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu domine vsquequo?

Conuertere domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit dominus deprecationem meam: dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur, & erubescant valde velociter.

Psalmus. 117.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in seculum misericordia eius.

Dicant nunc, qui timent dominum: quoniam in seculum misericordia eius.

De tribulatione inuocaui: dominum: & exaudiuit me in latitudine dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in domino: quam confidere in homine.

Bonum est sperare in domino: quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine domini, quia vltus sum in eos.

Circundantes circundederunt me: & in nomine domini, quia vltus sum in eos.

Circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine domini, quia vltus sum in eos.

Impulsus euersus sum, vt caderem: & dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum.

Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me: dextera domini fecit virtutem.

Non moriar, sed viuam: & narrabo opera domini.

Castigans castigauit me dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor domino: hæc porta domini, iusti intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

A domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O domine saluum me fac, o domine, bene prosperare: benedictus qui venit in nomine domini.

Benediximus vobis de domo domini: Deus dominus, & illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis: vsque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me & factus es mihi in salutem.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Psalmus. 130.

Domine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis: neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam:

Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.

Speret Israel in domino, ex hoc nunc, & vsque in seculum.

Antipho. Deus dominus, & illuxit nobis. **Deinde Symbolum.** Credo in vnum Deum. &c. Domine exau. Oremus. Domine deus omnipotens. Benedicamus. Fidelium. Pretiosa. Sancta ma. Dies & actus.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiuto. Nunc sancte nobis. 10. **Antiphona.** Emitte. **Psalmus. 42.**



Vdica me deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, & doloso erue me.

Quia tu es deus fortitudo mea: quare

me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat iuventutem meam.

Confitebor tibi in cithara deus deus meus: quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & deus meus. **Psalmus. 44.**

ERuctavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.

Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

Specie tua, & pulchritudine tua, intendente prospere, procede, & regna.

Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis.

Sedes tua deus in seculum seculi: virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vixit te deus deus tuus oleo lætitiae, præ consortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & casia a vestimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, &

domum patris tui.

Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est dominus deus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri, in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus.

Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.

Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui in omni generatione, & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.

Psalmus. 59.

Deus repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es: & misertus es nobis.

Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est.

Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.

Dedisti metuentibus te significationem: vt fugiant a facie arcus.

Vt liberentur dilecti tui: saluum fac dextera tua, & exaudi me.

Deus loquutus est in sancto suo, lætabor, & partabor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor.

Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis mei.

Iuda Rex meus: Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.

Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in

Idumæam?

Nonne tu Deus qui repulisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Antiphona. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. **Oratio.**

AD SEXTAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiutorium. Rector potens. 12. **Antiphona.** Spera. **Psalmus. 41.**

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi est deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonij a monte modico.

Abyssus abyssum inuocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.

In die mandauit dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.

Apud me, oratio deo vitæ meæ: dicam

Deo, susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, Vbi est deus tuus? quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & deus meus. **Psalmus. 64.**

TE decet hymnus deus in Sion: & tibi reddetur votum in Ierusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos deus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longe.

Preparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.

Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos, a signis tuis: exitus matutini, & vespere delectabis.

Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio eius.

Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius: in stillicidijs eius, lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.

Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent. **Psalmus. 121.**

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, in atrijs tuis Ierusalem.

Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini: testimonium Israel, ad confitendum nomini domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.

Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te:

Propter domum domini Dei nostri, quæsiui bona tibi.

Antiphona. Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi. **Oratio.**

AD NONAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiutorium. Rerum deus. 13. **Antiphona.** Gloriosa. **Psalmus. 81.**

Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem Deos diiudicat.

Vsquequo iudicatis iniquitatem: & facies peccatorum sumitis?

Iudicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem iustificare.

Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.

Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.

Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.

Vos autem sicut homines moriemini: & sicut vnus de principibus cadetis.

Surge Deus, iudica terram: quoniam tu

hæreditabis in omnibus gentibus.

Psalmus. 86.

Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.

Memor ero Raab, & Babylonis scientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium, habitatio est in te. **Psalmus. 93.**

Deus vltionum dominus: Deus vltionum libere egit.

Exaltare, qui iudicas terram: redde retributionem superbis.

Vsquequo peccatores domine, vsquequo peccatores gloriabuntur?

Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniustitiam?

Populum tuum domine humiliauerunt: & hæreditatem tuam vexauerunt.

Viduam & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.

Et dixerunt, Non videbit dominus: nec intelletget deus Iacob.

Intellegite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite.

Qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum.

Vt mitiges ei a diebus malis: donec fo-

diatur peccatori fouea.

Quia non repellet dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet.

Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium: & qui iuxta illam? omnes qui recto sunt corde?

Quis consurget mihi aduersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?

Nisi quia dominus adiuuit me: paulominus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam, Motus est pes meus: misericordia tua domine adiuuabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto?

Captabunt in animam iusti: & sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi dominus in refugium: & deus meus in adiutorium spei meæ.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos dominus deus noster.

Antiphona. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. **Oratio.**

AD VESPERAS.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiu.

Hym. Antiphona. Psalmus. 32.

Sultate iusti in domino: re-
tos decet collaudatio.

Confitemini domino in
cithara: in psalterio decem
chordarum psallite illi.

**Cantate ei canticum nouum: bene psal-
lite ei in vociferatione.**

**Quia rectum est verbum domini, & om-
nia opera eius in fide.**

**Diligit misericordiam, & iudicium: mis-
ericordia domini plena est terra.**

**Verbo domini cœli firmati sunt: & spir-
itu oris eius omnis virtus eorum.**

Congregans, sicut in vtre, aquas maris: ponens in thesauris abyssos.

Timeat dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Dominus dissipat consilia gentium: reprobatur autem cogitationes populorum, & reprobatur consilia principum.

Consilium autem domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.

Beata gens, cuius est dominus Deus eius: populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

De cælo respexit dominus: vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo suo respexit super omnes: qui habitant terram.

Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intellegit omnia opera eorum.

Non saluatur rex per multam virtutem: & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.

Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.

Ecce oculi domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.

Vt eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame.

Anima nostra sustinet dominum: quoniam adiutor, & protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto eius sperauimus.

Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.

Psalmus. 83.

Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria domini.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Et enim passer inuenit sibi domum: & turtur nidum vbi reponat pullos suos.

Altaria tua domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua domine: in secula seculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco, quem posuit.

Et enim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Protector noster aspice deus, & respice in faciem Christi tui:

Quia melior est dies vna in atrijs tuis, super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, & veritatem diligit deus: gratiam, & gloriam dabit dominus.

Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Psalmus. 111.

Beatus vir qui timet dominum: in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.

Gloria, & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in seculum seculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors & miserator & iustus.

Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.

In memoria æterna erit iustus: ab au-

ditione mala non timebit.

Paratum cor eius sperare in domino confirmatum est cor eius: non commouebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi: cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit & irascetur dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit. **Deinde canticum.**

Magnificat anima. folio. 16. **Antiphona. Oratio. Commemoratio.**

AD COMPLETORIUM.

Pater noster. Aue maria. Conuerte nos. Deus in adiuto. Te lucis. 16. Salua nos. **Psalmus. 39.**

Spectans expectaui dominum, & intendit mihi.

Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseræ, & de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.

Videbunt multi, & timebunt: & sperabunt in domino.

Beatus vir, cuius est nomen domini spes eius: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

Multa fecisti tu domine deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi.

Annuntiaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium, & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiaui iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam a concilio multo.

Tu autem domine ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ: & non potui vt viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi domine vt eruas me: domine ad adiuuandum me respice.

Confundantur, & reuereantur simul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam.

Conuertantur retrorsum, & reuereantur, qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, Euge, Euge.

Exultent, & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, Magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: dominus sollicitus est mei.

Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

Psalmus. 119.

AD dominum, cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me.

Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.

Hei mihi, quia incolatus meus prolon-

gatus est, habitauit cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. **Psalmus. 133.**

ECce nunc benedicite dominum, omnes serui domini.

Qui statis in domo domini, in atrijs domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite dominum.

Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit cœlum, & terram.

Deinde. Nunc dimittis fo 17. Salua nos. Domine exau. Oremus Visita quæsumus domi. Benedica. Fidelium. Salue regina.

FERIA QUINTA.

Ad matutinum.

Pater noster. Aue maria. Confiteor. Misereatur. Indulg. Domine labia mea. Deus in adiu. **Inuit.** Venite. **Inuit.** Hym. **Antiphona.** **Psalmus. 67.**

EXurgat deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, a facie eius.

Sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum: dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eius, turbabuntur a facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnus moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.

Terra mota est: etenim cœli distillauerunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

Pluuiam voluntariam segregabis deus hæreditati tuæ: & infirmata est, tu vero perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi deus.

Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos?

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: dominus in eis in Sinai in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes inhabitare dominum Deum.

Benedictus dominus die quotidie: prosuperum iter faciet nobis deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus saluos faciendi: & domini domini exitus mortis.

Verumtamen deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit dominus, Ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris.

Vt intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

Viderunt ingressus tuos deus, ingressus

Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuencularum tympanistiarum.

In ecclesijs benedicite Deo, domino de fontibus Israel.

Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.

Manda deus, virtuti tuæ: confirma hoc deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt, uenient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cœli, ad orientem.

Ecce, dabit voci suæ uocem uirtutis: date gloriam Deo, super Israel: magnificentia eius, & uirtus eius in nubibus.

Mirabilis deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit uirtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus deus.

Psalmus. 72.

Quam bonus Israel deus, his, qui recto sunt corde?

Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.

Quia zelau super iniquos, pacem peccatorum uidens.

Quia non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.

In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos superbia: operati sunt iniquitate & impietate sua.

Prodiit, quasi ex adipe, iniquitas eo-

rum: transierunt in affectum cordis.

Cogitauerunt, & loquuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso loquuti sunt.

Posuerunt in cælum os suum: & lingua eorum transiuit in terra.

Ideo conuertetur populus meus hic: & dies pleni inuenientur in eis.

Et dixerunt, Quomodo scit deus, & si est scientia in excelso?

Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias.

Et dixi, Ergo sine causa iustificauit cor meum: & laui inter innocentes manus meas.

Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.

Si dicebam, Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.

Existimabam: vt cognoscerem hoc labor est ante me.

Donec intrem in sanctuarium Dei & intellegam in nouissimis eorum.

Veruntamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur.

Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.

Velut somnium surgentium domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Quia inflammatum est cor meum & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.

Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.

Tenuisti manum dexteram meam: & in uoluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo? & a te quid uolui super terram?

Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea deus in æter-

num.

Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in domino Deo spem meam.

Vt annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion. **Psalmus. 88.**

Misericordias domini in æternum cantabo.

In generationem, & generationem, annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur in cœlis præparabitur veritas tua in eis.

Disposui testamentum electis meis, iuravi Daud seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum.

Et ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabilia tua domine: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur domino? similis erit Deo in filijs Dei?

Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus, & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.

Domine deus virtutum, quis similis tibi? potens es domine, & veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem, & mare tu creasti.

Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: iustitia, & iudicium præpara-

tio sedis tuæ.

Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus, qui scit iubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exultabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia domini est assumptio nostra, & sancti Israel regis nostri.

Tunc loquutus es in visione sanctis tuis, & dixisti, Posui adiutorium in potente: & exaltaui electum de plebe mea.

Inueni Daud seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Et concidam a facie ipsius inimicos eius: & odientes eum in fugam conuertam.

Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Et ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius.

Ipsè inuocabit me, Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum: excelsum præ regibus terræ.

In æternum seruabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi.

Et ponam in seculum seculi semen eius: & thronum eius sicut dies cœli.

Si autem dereliquerint filij eius legem meam: & in iudicijs meis non ambulauerint.

Si iustitias meas profanauerint: & mandata mea non custodierint.

Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.

Neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita.

Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar: semen eius in æternum manebit.

Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum: & testis in cœlo fidelis.

Tu vero repulisti, & despexisti: distulisti Christum tuum.

Euertisti testamentum serui tui: prophanasti in terra sanctuarium eius.

Destruxisti omnes sæpes eius: posuisti firmamentum eius formidinem.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius.

Auertisti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatione: & sedem eius in terram collisisti.

Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione.

Vsquequo domine auertis in finem: exardescet, sicut ignis, ira tua?

Memorare, quæ mea substantia: nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

Quis est homo, qui viuere, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?

Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ domine: sicut iurasti David in veritate tua?

Memor esto domine opprobrij seruo-


rum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium.


Quod exprobrauerunt inimici tui domine, quod exprobrauerunt commutationem Christi tui.

Benedictus dominus in æternum: fiat, fiat.

AD LAVDES.

Deus in adiu. *Antiphona. Psalmus. 99.*

Vbilate Deo omnis terra: seruite domino in lætitia.

Introite in conspectu eius in exultatione.

Scitote quoniam dominus ipse est deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus eius, & oues pascuæ eius: introite portas eius in confessione: atria eius in hymnis confitemini illi.

Laudate nomen eius, quoniam suavis est dominus, in æternum misericordia eius, & vsque in generationem, & generationem veritas eius. *Psalmus. 102.*

Benedic anima mea domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic anima mea domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua.

Faciens misericordias dominus: & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi: filijs Israel voluntates suas.

Miserator, & misericors dominus: longanimis, & multum misericors.

Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nos-

tras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum: dies eius, tanquam flos agri, sic efflorescit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.

Et iustitia illius in filios filiorum: his, qui seruant testamentum eius.

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

Dominus in cœlo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite domino omnes angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.

Benedicite domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius: benedic anima mea domino.

Canticum Moysi.

CAntemus domino: gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.

Fortitudo mea, & laus mea dominus: & factus est mihi in salutem.

Iste deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.

Dominus quasi vir pugnator, om-

nipotens nomen eius, currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.

Electi principes eius submersi sunt in mari rubro: Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum, quasi lapis.

Dextera tua domine magnificata est in fortitudine: dextera tua domine percussit inimicum.

Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.

Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.

Stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.

Dixit inimicus, Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea.

Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis similis tui in fortibus domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia?

Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.

Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti:

Et portasti eum in fortitudine tua: ad habitaculum sanctum tuum.

Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.

Tunc conturbati sunt principes Edom: robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaam.

Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui.

Fiant immobiles, quasi lapis: donec

pertranseat populus tuus domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine.

Sanctuarium tuum domine, quod firmauerunt manus tuæ.

Dominus regnabit in æternum & vltra.

Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare: & reduxit super eos dominus aquas maris.

Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius.

Deinde canticum. Benedictus. fol. 7.

Antiphona. Oratio Commemoratio.

AD PRIMAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Iam lucis. 7. Antiphona.

Dominus. Psalmus. 8.

Domine dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?

Quoniam eleuata est magnificentia tua, super cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: vt destruas inimicum, & vltorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas: insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris: qui perambulant semitas maris.

Domine dominus noster, quam ad-

mirabile est nomen tuum in vniuersa terra? **Psalmus. 26.**

Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Si consistant aduersum me castra: non timebit cor meum.

Si exurgat aduersum me prælium: in hoc ego sperabo.

Vnam petij a domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.

Vt videam voluptatem domini, & visitem templum eius.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.

Circuiui, & immolauit in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam domino.

Exaudi domine vocem meam, qua clamaui ad te: miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam domine requiram.

Ne auertas faciem tuam a me: ne declines in ira a seruo tuo.

Adiutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi domine in via tua: & dirige me in semita recta propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me

testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona domini, in terra viventium.

Expecta dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominum.

Psalmus. 27.

AD te domine clamabo, Deus meus ne sileas a me: nequando taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera domini, & in opera manuum eius: destrues illos, & non ædificabis eos.

Benedictus dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

Dominus adiutor meus, & protector meus: in ipso speravit cor meum, & adiutus sum.

Et refluuit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suæ: & protector saluationum Christi sui est.

Saluum fac populum tuum domine: & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vsque in æternum.

Antiphona. Dominus illuminatio mea, & salus mea. **Deinde Symbolum.** Credo. &c. Domine exau. Oremus. Domine deus omnipotens. Benedica-

mus. Fidelium. Pretiosa. Sancta maria. Dies & actus.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiuto. Nunc sancte nobis. 10. **Antiphona.** Confitebor. **Psalmus. 91.**

Dominum est confiteri domino: & psallere nomini tuo altissime.

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

In decachordo psalterio cum cantico, in cithara.

Quia delectasti me domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.

Quam magnificata sunt opera tua domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intellet hæc.

Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.

Vt intereant in seculum seculi: (tu autem altissimus in æternum domine.)

Quoniam ecce inimici tui domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut vnicornis, cornu meum: & senectus mea in misericordia vberi.

Et despexit oculus meus inimicos meos: & in insurgentibus in me malignantibus, audiet auris mea.

Iustus vt palma florebit: sicut cedrus libani multiplicabitur.

Plantati in domo domini, in atrijs domus Dei nostri florebut.

Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & bene patientes erunt: vt annuntient.

Quoniam rectus dominus deus noster: & non est iniquitas in eo. **Psalmus. 92.**

Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ: qui non commouebitur.

Parata sedes tua Deus ex tunc: a seculo tu es.

Eleuauerunt flumina domine: eleuauerunt flumina vocem suam.

Eleuauerunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo domine in longitudinem dierum.

Psalmus. 107.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam in gloria mea.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis domine, & psallam tibi in nationibus.

Quia magna est super cœlos misericordia tua: & vsque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua: vt liberentur dilecti tui.

Saluum fac dextera tua, & exaudi me: Deus loquutus est in sancto suo.

Exultabo, & diuidam Sichimam: & conuallem tabernaculorum dimetiar.

Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei.

Iuda Rex meus: Moab lebes spei meæ.

In Idumeam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.

Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulisti nos? & non exhibis deus in virtutibus nostris.

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Antiphona. Confitebor tibi in populis domine. **Oratio.**

AD SEXTAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Rector potens. 12. **Antipho.** Immola. **Psalmus. 49.**

Deus deorum dominus loquutus est: & vocauit terram.

A solis ortu vsque ad occasum: ex Sion species decoris eius.

Deus manifeste veniet: Deus noster, & non silebit.

Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida.

Aduocabit cœlum desursum: & terram discernere populum suum.

Congregate illi sanctos eius: qui ordinant testamentum eius super sacrificia.

Et annuntiabunt cœli iustitiam eius: quoniam deus iudex est.

Audi populus meus, & loquar: Israel, & testificabor tibi: Deus deus tuus ego sum.

Non in sacrificijs tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum: iumenta in montibus, & boues.

Cognoui omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.

Nunquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?

Immola Deo sacrificium laudis: &

redde altissimo vota tua.

Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

Tu vero odisti disciplinam: & proiecisti sermones meos retrorsum.

Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos.

Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum, hæc fecisti, & tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.

Intellegite hæc qui obliuiscimini Deum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat.

Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Psalmus. 74.

Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.

Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.

Dixi iniquis, Nolite inique agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus: quoniam deus Iudex est.

Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu domini vini meri plenus misto.

Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in seculum: cantabo Deo Iacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.

Psalmus. 122.

AD te leuauit oculos meos, qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis. **Antiphona.** Im-

mola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. **Oratio.**

AD NONAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiuto. Rerum deus tenax. 13. **Antipho.** Apud te. **Psalmus. 35.**

Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.

Quoniam dolose egit in conspectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium.

Verba oris eius iniquitas, & dolus: noluit intellegere, vt bene ageret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.

Domine, in cœlo misericordia tua: & veritas tua vsque ad nubes.

Iustitia tua, sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa.

Homines, & iumenta saluabis domine:

quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

Filij autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

Prætende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moueat me.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare. **Psalmus. 82.**

Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput.

Super populum tuum malignauerunt consilium: & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.

Dixerunt, Venite, & disperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Israel vltra.

Quoniam cogitauerunt vnanimiter, simul aduersum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismahelitæ.

Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filijs Lot.

Fac illis sicut Madian & Sisaræ: sicut Iabin in torrente Cisson.

Disperierunt in Endor: facti sunt vt stercus terræ.

Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana.

Omnes principes eorum qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.

Sicut ignis, qui comburit syluam: & sicut flamma comburens montes.

Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos.

Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum domine.

Erubescant, & conturbentur in seculum seculi: & confundantur, & pereant.

Et cognoscant quia nomen tibi dominus, tu solus altissimus in omni terra.

Psalmus. 100.

Misericordiam, & iudicium cantabo tibi domine.

Psallam, & intellegam in via immaculata: quando venies ad me?

Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes prævaricationes odiui.

Non adhæsit mihi cor prauum: declinantem a me malignum non cognoscebam.

Detrahentem secreto proximo suo: hunc persequer.

Superbo oculo, & insatiabili corde: cum hoc non edebam.

Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.

Antiphona. Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Oratio.

AD VESPERAS.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiuto. **Hym. Antiphona. Psalmus. 131.**

Memento domine Daud, & omnis mansuetudinis eius. Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.

Si dederò somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.

Ecce, audiuius eam in Ephratha: inuenimus eam in campis syluæ.

Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.

Surge domine in requiem tuam: tu, & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iustitia: & sancti tui exultent.

Propter Daud seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.

Iurauit dominus Daud veritatem, & non frustrabitur eum.

De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filij tui testamentum meum: & testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filij eorum vsque in seculum sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.

Sacerdotes eius induam salutari: & sancti eius exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu Daud, paraui lucernam Christo meo.

Inimicos eius induam confusione: su-

per ipsum autem effloret sanctificatio mea. **Psalmus. 136.**

SVper flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cum recordamur Sion.

In salicibus in medio eius: suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.

Et qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum domini, in terra aliena?

Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

Si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.

Memor esto domine filiorum Edom in die Ierusalem.

Qui dicunt, Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. **Psalmus. 145.**

LAuda anima mea dominum, laudabo dominum in vita mea: psallam Deo meo, quandiu fuero.

Nolite confidere in principibus: in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in domino Deo ipsius: qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in seculum, facit iudicium iniuriis patientibus: dat escam esurientibus.

Dominus soluit compeditos: dominus

illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos: dominus diligit iustos.

Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.

Regnabit dominus in secula Deus tuus Sion, in generationem, & generationem.

Deinde. Magnificat. folio. 16. **Antiphona. Oratio. Commemoratio.**

AD COMPLETORIUM.

Pater noster. Aue maria. Conuerte nos. Deus in adiu. Te lucis ante. 16. Salua nos. **Psalmus. 45.**

Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Venite, & videte opera domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella vsque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.

Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob. **Psalmus. 46.**

OMnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.

Subiecit populos nobis: & gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam: speciem Iacob, quam dilexit.

Ascendit deus in iubilo: & dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.

Regnabit deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

Princes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.

Psalmus. 47.

Magnus dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.

Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion: latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.

Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: conuenerunt in vnum.

Ipsi videntes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos.

Ibi dolores vt parturientis: in spiritu vehementi conteres naues Tharsis.

Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum.

Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, & exultent filię

Iudæ: propter iudicia tua domine.

Circundate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius.

Ponite corda vestra in virtute eius: & distribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum & in seculum seculi: ipse reget nos in secula.

Deinde canticum. Nunc dimittis fo. 17. Salua nos. Domine exau. Oremus. Visita quæsumus. Benedicamus. Fidelium. Salue re.

FERIA SEXTA.

Ad matutinum.

Pater noster. Aue maria. Confiteor. Misereatur Indulgen. Domine labia. Deus in adiutorium. **Inuita.** Venite exulte. **Inuita.** **Hymnus Antipho.** **Psalmus. 21.**

Deus deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, laus Israel.

In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.

Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: loquuti sunt labijs, & mouerunt caput.

Sperauit in domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est, quo-

niam non est, qui adiuuet.

Circumderunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens, & rugiens.

Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum, taaquam cera liquescens, in medio ventris mei.

Aruit, tanquam testa, virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.

Quoniam circumderunt me: canes multi: concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.

Ipsi vero considerauerunt, & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem domine ne elongaueris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.

Salua me ex ore leonis: & a cornibus vnicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis dominum, laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem suam a me: & cum clamarem ad eum, exaudiuit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt dominum, qui requirit eum: viuent corda eorum in seculum

seculi.

Remiscentur, & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.

Quoniam domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi.

Annuntiabitur domino generatio ventura: & annuntiabunt cœli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit dominus. **Psalmus. 68.**

SAluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi: & non est substantia.

Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.

Laborauī clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc exolvebam.

Deus tu scis insipientiam meam: & delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me qui expectant te domine: domine virtutum.

Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in ieiunio animam meam: & factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam.

Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta: & in me psallebant qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te domine: tempus beneplaciti Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me: in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum.

Exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne auertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improprium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improprium expectauit cor meum & miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.

Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua.

Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: & in

tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnere meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam.

Deleantur de libro viuentium: & cum iustis non scribantur.

Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum nouellum: cornua producentem, & vngulas.

Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & viuere anima vestra.

Quoniam exaudiuit pauperes dominus: & victos suos non despexit.

Laudent illum cœli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus saluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iudæ.

Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirant eam.

Et semen seruorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea. **Psalmus. 70.**

IN te domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam, & salua me.

Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitum, vt saluum me facias.

Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.

Quoniam tu es patientia mea domine: domine spes mea a iuuentute mea.

In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper: tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis.

Repleatur os meum laude: vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Ne proicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum.

Dicentes, Deus dereliquit eum: persequimini, & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.

Deus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice.

Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione, & pudore, qui quærent mala mihi.

Ego autem semper sperabo: & adiciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.

Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias domini: domine memorabor iustitiæ tuæ solius.

Deus, docuisti me a iuuentute mea: & vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Et vsque in senectam & senium: Deus ne derelinquas me.

Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.

Potentiam tuam, & iustitiam tuam Deus vsque in altissima quæ fecisti, magnalia: Deus quis similis tibi?

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas: & conuersus viuificasti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me?

Multiplicasti magnificentiam tuam: & conuersus consolatus es me.

Nam & ego confitebor tibi in vasis

psalmi veritatem tuam Deus: psallam tibi in cithara sanctus Israel.

Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemisti.

Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam, cum confusi, & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi. *Ant.*

AD LAVDES.

Deus in adiuto. *Ant. Psalmus. 148.*

Audate dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum Sol, & Luna: laudate eum omnes stellæ & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate dominum de terra: dracones, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.

Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ.

Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen domini: quia exaltatum est nomen eius solius.

Confessio eius super cœlum & terram: & exaltauit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis eius: filijs Israel populo appropinquanti sibi.

Psalmus. 149.

Cantate domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum.

Lætetur Israel in eo qui fecit eum: & filiæ Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen eius in choro: in tympano & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.

Canticum Habacuc.

Domine audiui auditionem tuam, & timui. Haba. 3.

Domine opus tuum in medio annorum, viuifica illud.

In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan.

Operuit cœlos gloria eius: & laudis eius plena est terra.

Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius.

Ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes eius. Stetit, & mensus est terram.

Aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt montes seculi.

Incuruati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

Nunquid in fluminibus iratus es domine? aut in fluminibus furor tuus?

vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos: & quadrigæ tuæ saluatio?

Suscitans suscitabis arcum tuum: iuramenta tribubus, quæ loquutus es.

Fluuios scindes terræ. Viderunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum transijt.

Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuauit.

Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

In fremitu conculcabis terram: & in furore obstupefacies gentes.

Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.

Percussisti caput de domo impij: denudasti fundamentum eius vsque ad collum.

Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.

Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

Audiui, & conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.

Vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.

Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis.

Mentietur opus oliuæ: & arua non afferent cibum.

Abscindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præsepibus.

Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.

Deus dominus fortitudo mea, & ponet

pedes meos quasi ceruorum.

Et super excelsa mea deducet me victor, in psalmis canentem.

Deinde canticum. Benedictus. fol. 7.

Antiphona. Oratio. Commemoratio.

AD PRIMAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Iam lucis orto. 7. Antiphona. Cor mundum. Psalmus. 2.

Quare fremuerunt gentes: & populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius.

Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: & dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.

Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intellegite: erudimini, qui iudicatis terram.

Seruite domino in timore, & exultate eicum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur dominus: & pereatis de via iusta.

Cum exarserit in breui ira eius: beati omnes, qui confidunt in eo.

Psalmus. 11.

Saluum me fac domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ

sunt veritates a filijs hominum.

Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde loquuti sunt.

Disperdat dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.

Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus: labia nostra a nobis sunt: quis noster dominus est?

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit dominus.

Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.

Eloquia domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Tu domine seruabis nos: & custodies nos a generatione hac in æternum.

In circuitu impij ambulans: secundum altitudinem tuam, multiplicasti filios hominum. **Psalmus. 50.**

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor, lauabis me: & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & læti-

tiam: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proicias me a facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam, si voluisses sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes, & holocausta: tunc impo-
nent super altare tuum vitulos.

Antiphona. Cor mundum crea in me Deus. **Deinde.** Credo. Domine exau. Oremus. Domine deus omnipotens. Benedicamus. Fidelium. Pretiosa. Sancta ma. Dies & actus.

AD TERTIAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiuto. Nunc sancte nobis. 10. **Antiphona.** Ne derelinquas. **Psalmus. 3.**

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.

Multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego dormiui, & soporatus sum: & exurrexi, quia dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge domine: saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuiisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua. **Psalmus. 37.**

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue, grauata sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi: loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te domine speraui, tu exaudies me domine Deus meus.

Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna loquuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adiutorium meum, domine Deus salutis meæ. **Psalmus. 55.**

Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me.

Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me.

Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui: non timebo, quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur: aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt, & abscondent: ipsi cal-

caneum meum obseruabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo saluos facies illos: in ira populos confringes.

Deus vitam meam annuntiaui tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo. Sicut & in promissione tua: tunc conuertentur inimici mei retrorsum.

In quacunq; die inuocauero te: ecce cognoui, quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in domino laudabo sermonem: in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: vt placeam coram Deo in lumine viuentium. **An.** Ne derelinquas me domine Deus meus. **Oratio.**

AD SEXTAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Rector potens. 12. **Antiphona.** Clamabo. **Psalmus. 56.**



Iserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in vmbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi.

Misit de cœlo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.

Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos Deus: & super omnem terram gloria tua.

Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis domine: & psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus: & super omnem terram gloria tua. **Psalmus. 63.**

EXaudi Deus orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conuentu malignantium: a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam.

Narrauerunt, vt absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus.

Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum: & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: & timuit omnis homo.

Et annuntiauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt.

Lætabitur iustus in domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. **Psalmus. 139.**

ERipe me domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me.

Qui cogitauerunt iniquitates in corde:

tota die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labijs eorum.

Custodi me domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitauerunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi domino, Deus meus es tu: exaudi domine vocem deprecationis meæ.

Domine Deus virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me domine a desiderio meo peccatori: cogitauerunt contra me: ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones: in ignem deijcies eos, in miserijs non subsistent.

Vir linguosus non dirigitur in terra: virum iniustum mala capient in interitu.

Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis: & vindictam pauperum.

Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo. **An.** Clamabo ad Deum altissimum. **Oratio.**

AD NONAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiut. Rerum deus tenax. 13. **Antiphona.** Rex noster. **Psalmus.** 60.

Xaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ. **A** finibus terræ ad te clamaui, dum anxietur cor meum in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula: protegar in velamento alarum tu-

arum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adijcies: annos eius vsque in diem generationis, & generationis.

Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam, & veritatem eius quis requiret?

Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi: vt reddam vota mea de die in diem. **Psalmus.** 69.

Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper, Magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, & pauper sum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: domine ne moreris. **Psalmus.** 73.

VT quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?

Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ: mons Sion in quo habitasti in eo.

Leua manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto?

Et gloriati sunt, qui oderunt te, in medio solennitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa: & non cognouerunt sicut in exitu super summum.

Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum: in securi, & ascia deiecerunt eam.

Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra: polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul, Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: & nos non cognoscat amplius.

Vsquequo Deus improperebit inimicus: irritat aduersarius nomen tuum in finem?

Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ.

Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram, & solem.

Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver tu plasmasti ea.

Memor esto huius, inimicus impropereauit domino: & populus insipiens incitauit nomen tuum.

Ne tradas bestijs animas confitentium tibi: & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Respice in testamentum tuum quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

Ne auertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.

Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto impropriorum tuorum,

eorum, quæ ab insipiente sunt tota die. Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. **An.** Rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ. **Oratio.**

AD VESPERAS.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiu. **Hym. Antiphona. Psalmus. 137.**

Sonfitebor tibi domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacunque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in vijs domini: quoniam magna est gloria domini.

Quoniam excelsus dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit.

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: domine misericordia tua in seculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Psalmus. 138.

Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & funiculum meum inuestigasti.

Et omnes vias meas præuidisti: quia non est sermo in lingua mea.

Ecce domine, tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in delitijs meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris meæ.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognosceat nimis.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate a me.

Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate ciuitates suas.

Nonne, qui oderunt te domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos: & inimici

facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna. **Psalmus. 141.**

VOce mea ad dominum clamaui: voce mea ad dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognouisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognosceret me.

Perijt fuga a me: & non est qui requirat animam meam.

Clamaui ad te domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.

Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi.

Deinde. Magnificat. fo. 16.

AD COMPLETORIUM.

Pater noster. Aue maria. Conuerte. Deus in adiu. Te lucis. 16. **Antiphona.** Salua nos. **Psalmus. 12.**

SSquequo domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam a me?

Quandiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: nequando dicat in-

imicus meus, Præualui aduersus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.

Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo domino, qui bona tribuit mihi: & psallam nomini domini altissimi.

Psalmus. 85.

Incлина domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.

Miserere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te domine animam meam leuaui.

Quoniam tu domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in dijs domine, & non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascunque fecisti, uenient, & adorabunt coram te domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me domine in uia tua, & ingrediar in ueritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me: & synagoga potentium quæsierunt ani-

mam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu domine Deus miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & uerax.

Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut uideant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu domine adiuuisti me, & consolatus es me. **Psalmus. 140.**

Domine, clamaui ad te, exaudi me: intende uoci meæ, cum clamaui ad te.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum.

Pone domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labijs meis.

Non declines cor meum in uerba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc, & oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.

Audient uerba mea, quoniam potuerunt: sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: quia ad te domine, domine oculi mei, in te speraui non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: & a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego, donec transeam.

Deinde. Nunc dimit. fo. 17. Salua nos. Domine exau. Oremus. Visita quæsumus domine. Benedica. Fidelium. Salue regi.

S A B B A T O.

Ad matutinum.

Pater noster. Aue maria. Confiteor. Misereatur. Indulgen. Domine labia. Deus in adiutorium. **Inuitat.** Venite exul. **Inuitato.** **Hymnus.** **Antiphona.** **Psalmus.** 54.

EXaudi deus orationem meam & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

Timor, & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ.

Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: & volabo & requiescam?

Ecce elongaui fugiens: & mansi in solitudine.

Expectabam eum, qui saluum me fecit a pusillanimitate spiritus, & tempestate.

Præcipita domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.

Die, ac nocte circundabit eam super muros eius: iniquitas & labor in medio eius, & iniustitia.

Et non defecit de plateis eius vsura, & dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi: sustinuissem vtique.

Et si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.

Tu vero homo vnanimis, dux meus, &

notus meus.

Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu.

Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes.

Quoniam nequitiae in habitaculis eorum, in medio eorum.

Ego autem ad Deum clamaui: & dominus saluabit me.

Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante secula.

Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.

Contaminauerunt testamentum eius, diuisi sunt ab ira vultus eius: & appropinquauit cor illius.

Molliti sunt sermones eius super oleum: & ipsi sunt iacula.

Iacta super dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.

Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te domine. **Psalmus.** 105.

Confitemini domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Quis loquetur potentias domini: auditas faciet omnes laudes eius?

Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.

Memento nostri domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

Ad videndum in bonitate electorum

tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua.

Peccaui cum patribus nostris: iniuste egimus, iniquitatem fecimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

Et irritauerunt ascendentes in mare, mare rubrum.

Et saluauit eos propter nomen suum: vt notam faceret potentiam suam.

Et increpuit mare rubrum, & exiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.

Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit.

Et crediderunt verbis eius: & laudauerunt laudem eius.

Cito fecerunt, obliti sunt operum eius: & non sustinuerunt consilium eius.

Et concupierunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt Deum in iniquo.

Et dedit eis petitionem ipsorum: & misit saturitatem in animas eorum.

Et irritauerunt Moysen in castris: Aaron sanctum domini.

Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron.

Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.

Et fecerunt vitulum in Horeb: & adorauerunt sculptile.

Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham terribilia in mari rubro.

Et dixit, vt disperderet eos: si non

Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.

Vt auerteret iram eius ne disperderet eos, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem domini:

Et eleuauit manum suam super eos: vt prosterneret eos in deserto.

Et vt deijceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus.

Et initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum.

Et irritauerunt eum in adinventionibus suis: & multiplicata est in eis ruina.

Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio.

Et reputatum est ei in iustitiam in generationem & generationem, vsque in sempiternum.

Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est.

Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius.

Et distinxit in labijs suis, non disperdiderunt gentes, quas dixit dominus illis.

Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruiuerunt sculptilibus eorum: & factum est illis in scandalum.

Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs.

Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum: quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum: & fornicati sunt in adinventionibus suis.

Et iratus est furore dominus in populum suum: & abominatus est hæredi-

tatem suam.

Et tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum qui oderunt eos.

Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum: sæpe liberauit eos.

Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo: & humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Et vidit cum tribularentur: & audiuit orationem eorum.

Et memor fuit testamenti sui: & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui cœperant eos.

Saluos nos fac domine Deus noster: & congrega nos de nationibus.

Vt confiteamur nomini sancto tuo: & gloriemur in laude tua.

Benedictus dominus deus Israel a seculo, & vsque in seculum: & dicet omnis populus, fiat, fiat.

Psalmus. 106.

Confitemini domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Dicant, qui redempti sunt a domino, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregauit eos.

A solis ortu, & occasu, ab Aquilone & mari.

Errauerunt in solitudine in iniquo: viam ciuitatis habitaculi non inuenierunt.

Esurientes, & sitientes: anima eorum in ipsis defecit.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis.

Confiteantur domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Quia satiauit animam inanem: & animam esurientem satiauit bonis.

Sedentes in tenebris, & vmbra mortis: vinctos in mendicitate, & ferro.

Quia exacerbauerunt eloquia Dei: & consilium altissimi irritauerunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit, qui adiuuaret.

Et clamauerunt ad dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.

Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis: & vincula eorum dirupit.

Confiteantur domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniustitias enim suas humiliati sunt.

Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.

Misit verbum suum, & sanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.

Confiteantur domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Et sacrificent sacrificium laudis: & annuntient opera eius in exultatione.

Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.

Ipsi viderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo

Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus eius.

Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius:

& omnis sapientia eorum deuorata est. Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et statuit procellam eius in auram: & siluerunt fluctus eius.

Et lætati sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Et exaltent eum in ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum: & exitus aquarum in sitim.

Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum: & terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocauit illic esurientes: & constituerunt ciuitatem habitationis.

Et seminauerunt agros, & plantauerunt vineas: & fecerunt fructum natiuitatis.

Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis: & iumenta eorum non minoraui.

Et pauci facti sunt, & vexati sunt a tribulatione malorum & dolore.

Effusa est contentio super principes: & errare fecit eos in inuio, & non in via.

Et adiuuit pauperem de inopia: & posuit, sicut oues, familias.

Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os suum.

Quis sapiens, & custodiet hæc: & intelletget misericordias domini?

AD LAVDES.

Deus in adiu. An. Psalmus. 116.

Audate dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi:

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas domini manet in æternum.

Psalmus. 150.

LAudate dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet dominum.

Canticum Moysi.

AVdite cœli quæ loquor: audiat terra verba oris mei.

Concrescat vt pluuiæ doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum.

Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina, quia nomen domini inuocabo.

Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera: & omnes viæ eius iudicia.

Deus fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus & rectus: Peccauerunt ei, & non filij eius, in sordibus.

Generatio praua, atque peruersa: Hæcine reddis domino popule stulte, & insipiens?

Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?

Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas.

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.

Quando diuidebat altissimus gentes: quando separabat filios Adam.

Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.

Pars autem domini, populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius.

Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.

Circunduxit eum, & docuit: & custodiuit quasi pupillam oculi sui.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.

Expandit alas suas: & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.

Dominus solus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.

Constituit eum super excelsam terram: vt comederet fructus agrorum.

Vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan.

Et hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuae biberet meracissimum.

Incrassatus est dilectus, & recalci-trauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.

Dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.

Prouocauerunt eum in dijs alienis: & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.

Immolauerunt daemonijs, & non Deo: dijs quos ignorabant.

Noui, recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.

Deum, qui te genuit, dereliquisti: & oblitus es domini creatoris tui.

Vidit dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui, & filiae.

Et ait, abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum.

Generatio enim peruersa est, & infidèles filij.

Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatis suis.

Et ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo

illos.

Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.

Deurabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.

Congregabo super eos mala: & sagittas meas complebo in eis.

Consumentur fame, & deurabunt eos aues morsu amarissimo.

Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, iuuenem simul ac virginem, lac-tantem cum homine sene.

Et dixi, vbinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Sed propter iram inimicorum distul-
ne forte superbirent hostes eorum.

Et dicerent, manus nostra excelsa, & non dominus, fecit haec omnia.

Gens absque consilio est, & sine prudentia: vtinam saperent, & intel-
legerent, ac nouissima prouiderent.

Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?

Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & dominus conclusit illos?

Non enim est Deus noster vt dij eorum: & inimici nostri sunt iudices.

De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ.

Vua eorum vua fellis, & botri amarissimus.

Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

Nonne haec condita sunt apud me: & signata in thesauris meis?

Mea est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum.

Iuxta est dies perditionis: & adesse festinant tempora.

Iudicabit dominus populum suum: &

in seruis suis miserebitur.

Videbit, quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

Et dicet, Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?

De quorum victimis comedebant adipēs, & bibebant vinum libaminum.

Surgant, & opitulentur vobis: & in necessitate vos protegant.

Videte quod ego sim solus: & non sit alius Deus præter me.

Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere.

Leuabo ad cœlum manum meam & dicam, Viuo ego in æternum.

Si acuero vt fulgur gladium meum: & arripuerit iudicium manus mea.

Reddam vltionem hostibus meis: & his, qui oderunt me, retribuam.

Inebriabo sagittas meas sanguine: & gladius meus deuorabit carnes.

De cruore occisorum: & de captiuitate nudati inimicorum capitis.

Laudate gentes populum eius: quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur.

Et vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.

Deinde. Benedictus. fo. 7. *Antiphona.*

Oratio. Commemoratio.

AD PRIMAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Iam lucis orto 7. *Antiphona.*

Deus. *Psalmus. 62.*

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea

In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua

super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam: introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalmus. 66.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. *Psalmus. 135.*

Confitemini domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.

Confitemini Deo Deorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Confitemini domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui facit mirabilia magna solus: quo-

niam in æternum misericordia eius.

Qui fecit cœlos in intellectu: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui firmavit terram super aquas: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia eius.

Solem in potestatem diei: quoniam in æternum misericordia eius.

Lunam, & stellas in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia eius.

In manu potenti, & brachio excelso: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui diuisit mare rubrum in diuisiones: quoniam in æternum misericordia eius.

Et eduxit Israel per medium eius: quoniam in æternum misericordia eius.

Et excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia eius.

Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia eius.

Seon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia eius.

Et dedit terram eorum hæreditatem: quoniam in æternum misericordia eius.

Hæreditatem Israel seruo suo: quoniam in æternum misericordia eius.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia eius.

Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia eius.

Qui dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia eius.

Confitemini Deo cœli: quoniam in æternum misericordia eius.

Confitemini domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Antiphona. Deus deus meus, ad te de luce vigilo. **Deinde Symbolum** Credo. Domine exau. Oremus. Domine deus omnipotens. Benedica. Fidelium. Pretiosa. Sancta ma. Dies & actus.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave maria. Deus in adiuto. Nunc sancte no. 10. **Antiphona.** Inclina. **Psalmus. 51.**

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quam loqui æquitatem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in finem: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra umentium.

Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt: & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.

Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: & prævaluit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei: speraui in misericordia Dei in æternum, & in seculum seculi.

Confitebor tibi in seculum, quia fecisti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum. **Psalmus. 57.**

SI vere vtique iustitiam loquimini: recta iudicate filij hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra: iniustitias manus vestræ concinnant.

Alienati sunt peccatores a vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa.

Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas.

Quæ non exaudiet vocem incantantium: & venefici incantantis sapienter.

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet dominus.

Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum, donec infirmentur.

Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.

Priusquam intellegerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.

Lætabitur iustus, cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.

Et dicet homo, Si vtique est fructus iusto? vtique est Deus iudicans eos in terra. *Psalmus. 87.*

Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam:

Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebris, & in vmbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus:

& omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.

Clamaui ad te domine tota die: expandi ad te manus meas.

Nunquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?

Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: & veritatem tuam in perditione?

Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & iustitia tua in terra obliuionis?

Et ego ad te domine clamaui: & mane oratio mea præueniet te.

Vt quid domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, & in laboribus a iuuentute mea: exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbauerunt me.

Circunderunt me, sicut aqua: tota die circunderunt me simul.

Elongasti a me amicum, & proximum: & notos meos a miseria. *Antipho.* Inclina aurem tuam ad precem meam.

Oratio.

AD SEXTAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. Rector po. 12. *Antipho.* Adiuua. *Psalmus. 75.*

Motus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius.

Et factus est in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.

Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes

corde.

Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

De cœlo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, & quieuit.

Cum exurgeret in iudicium Deus: vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vouete, & reddite domino Deo vestro: omnes, qui in circuitu eius affertis munera.

Terribili & ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.

Psalmus. 78.

DEus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Vsquequo domine irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt.

Ne memineris iniquitatumstrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus

nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus, Vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachij tui posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improprium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in seculum.

In generationem, & generationem annuntiabimus laudem tuam.

Psalmus. 123.

Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia dominus erat in nobis.

Cum exurgerent homines in nos: forte viuos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cœlum, & terram.

Ant. Adiuua nos Deus salutaris noster.

Oratio.

AD NONAM.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiut. Rerum Deus tenax. 13. *Ant.*

Non auertas. **Psalmus. 101.**

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam a me: in quacunq̄ue die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunq̄ue die inuocauero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt, sicut fumus dies mei: & ossa mea, sicut cremium, aruerunt.

Percussus sum, vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilauī, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, aduersum me iurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.

Dies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fœnum arui.

Tu autem domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem, & generationem.

Tu exurgens misereberis, Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit dominus Sion, & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo, dominus de cœlo in terram aspexit.

Vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum.

Vt annuntient in Sion nomen domini, & laudem eius in Ierusalem.

In conueniendo populos in vnum, & reges, vt seruiant domino.

Respondit ei in via virtutis suæ, Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, & generationem anni tui.

Initio tu domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes, sicut vestimentum, veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum dirigitur.

Psalmus. 127.

BEati omnes, qui timent dominum, qui ambulant in vijs eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Vxor tua, sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Filij tui, sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominum.

Benedicat tibi dominus ex Sion: & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel. **Psalmus. 132.**

ECce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.

Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandauit dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum.

Antiphona. Non auertas faciem tuam a me in quacunque die tribulor. **Oratio.**

AD VESPERAS.

Pater noster. Aue maria. Deus in adiu.

Hym. Antiphona. Psalmus. 143.

Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus.

Protector meus, & in ipso speraui: qui subdit populum meum sub me.

Domine, quid est homo quia innotuisti ei: aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati similis factus est: dies eius, sicut umbra, prætereunt.

Domine, inclina cœlos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.

Fulgura coruscationem, & dissipabis eos, emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.

Quorum os loquutum est vanitatem: & dextera eorum dextera iniquitatis.

Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui das salutem regibus: qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno, eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem: &

dextera eorum dextera iniquitatis.

Quorum filij, sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua.

Filiæ eorum compositæ: circumornatæ, vt similitudo templi.

Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud.

Oues eorum foetosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ, neque transitus: neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cuius dominus Deus eius. **Psalmus. 146.**

LAudate dominum, quoniam bonus est Psalmus: Deo nostro sit iucunda, decoraque laudatio.

Ædificans Ierusalem dominus: dispersiones Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat.

Magnus dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus.

Suscipiens mansuetos dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram.

Præcinite domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.

Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. **Psalmus. 147.**

LAuda Ierusalem dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortauit seras portarum
tuarum: benedixit filijs tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & adipe
frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ, ve-
lociter currit sermo eius.

Qui dat niuem, sicut lanam: nebulam
sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam, sicut buc-
cellas, ante faciem frigoris eius quis
sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea:
flabit spiritus eius, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Iacob:
iustitias, & iudicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: & iudi-
cia sua non manifestauit eis.

Deinde canticum. Magnificat. fol. 16.

Antiphona. Oratio.

AD COMPLETORIUM.

Pater noster. Aue maria. Conuerte nos
deus. Deus in adiu. Te lucis ante 16.
Salua nos. **Psalmus. 84.**



Benedixisti domine terram
tuam: auertisti captiuitatem
Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis
tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: auertisti
ab ira indignationis tuæ.

Conuerte nos Deus salutaris noster: &
auerte iram tuam a nobis.

Nunquid in æternum irasceris nobis?
aut extends iram tuam a generatione
in generationem?

Deus tu conuersus viuificabis nos: &
plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis domine misericordiam
tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me domi-
nus Deus: quoniam loquetur pacem in
plebem suam.

Et super sanctos suos, & in eos, qui
conuertuntur ad cor.

Veruntamen prope timentes eum
salutare ipsius: vt inhabitet gloria in
terra nostra.

Misericordia, & veritas obuiau-
erunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: & iustitia de
cœlo prospexit.

Etenim dominus dabit benignitatem:
& terra nostra dabit fructum suum.

Iustitia ante eum ambulabit: & ponet
in via gressus suos. **Psalmus. 128.**

Sæpe expugnauerunt me a iuuentute
mea, dicat nunc Israel.

Sæpe expugnauerunt me a iuuentute
mea, etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricauerunt
peccatores: prolongauerunt iniqui-
tatem suam.

Dominus iustus concidit ceruices pec-
catorum: confundantur, & conuertan-
tur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum: quod
priusquam euellatur, exaruit.

De quo non impleuit manum suam qui
metit: & sinum suum, qui manipulos
colligit.

Et non dixerunt qui præteribant, Bene-
dictio domini super vos, benediximus
vobis in nomine domini. **Psalmus. 129.**

DE profundis clamaui ad te domine:
domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem
deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris domine:
domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter
legem tuam sustinui te domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius:
speraui anima mea in domino.

A custodia matutina vsque ad noctem,
speret Israel in domino.

Quia apud dominum misericordia, &
copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, ex omnibus in-

iquitatibus eius.

Deinde canticum. Nunc dimittis. fo.
17. Salua nos. Domine exau. Oremus.
Visita quæsumus. Benedica. Fidelium.
Salue regi.

Finis Psalterij.



A D V E N T V S D O M I N I

semper incipit in Dominica proxima vltimæ diei
 Nouembris ante, vel post: aut, in ipsa die vltima,
 si fuerit Dominica, & festum duplex in
 ea, vel in sequentibus Dominicis
 Aduentus incidens transferendum
 est in diem sequentem,
 vt supra in regulis
 generalibus.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS

A D M A T V T I N V M.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. **A**dueniat regnum tuum. **F**iat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. **P**anem nostrum quotidianum da nobis hodie. **E**t dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. **E**t ne nos inducas in tentionem. **S**ed libera nos a malo. Amen.

Ave Maria gratia plena. Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus. **S**ancta Maria mater Dei Ora pro nobis peccatoribus. Amen.

Notandum, quod Pater noster. & Ave maria. non tantum in Matutino, sed etiam in singulis alijs horis dicuntur semper in principio per totum annum.

Confessio.

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaeli archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis apostolis Petro & Paulo, omnibus sanctis, & tibi pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere. Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam

semper virginem, beatum Michaelem archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes sanctos, & te pater orare pro me. dominum nostrum. **Absolutio.**

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam. **℞.** Amen. **℣.**

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, & misericors dominus. **℞.** Amen.

℥ Notandum quod confessio cum absolutione dicitur ad matutinum tantum singulis diebus totius anni præterquam in triduo ante Pascha, prædicto vel alio modo pro cuiusque deuotione. Est autem aduertendum, quod si ab vno solo dicatur officium, omittitur tibi pater & te pater. & in absolutione loco tui & tuis dicitur nostris: & nostri, Si vero dicatur officium a duobus, aut pluribus, iteranda est inuicem confessio, vt fit in Missa.

℥ Deinde finita confessione dicitur Verus.

Domine labia mea aperies. *R.* Et os meum annuntiabit laudem tuam. & hoc dicens interim munit se signo crucis, & similiter in alijs horis cum dicit Deus in adiutorium. &c. & Conuerte nos. &c.

C Deinde dicitur *Ps.* Deus in adiutorium meum intende. *R.* Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri. Sicut erat. Haleluiah. & sic dicitur Haleluiah. ad omnes horas per totum annum, præterquam a dominica in septuagesima vsque ad Pascha, loco cuius illo tempore vsque ad feriam quintam in cœna domini dicitur Laus tibi domine, Rex æternæ gloriæ. Consequenter dicitur inuita. tempori vel festo conueniens. Inuita. Domine præstolamur aduentum tuum, vt cito venias, & dissolvas iugum captiuitatis nostræ.

C Hoc inuitatorium dicitur vsque ad vigiliam Natiuitatis exclusiue tam in dominicis, quam in ferijs, nisi agatur de aliquo sancto.

C Notandum autem quod si officium dicatur ab vno solo, inuitatorium dicitur semel tantum ante psalmum. Venite exultemus. & non repetitur vsque in finem eiusdem psalmi. Si vero officium dicatur a duobus, aut pluribus, inuita. dicitur ab vno, & repetitur statim ab alio, vel alijs simul ante prædictum psalmum: in fine autem psalmi omnes simul dicunt inuitatorium semel tantum. Psalmus.

Venite exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione & in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus dominus, & rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet dominus plebem suam, quia in manu eius sunt omnes fines

terræ, & altitudines montium ipse conspicit.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram domino, qui fecit nos: quia ipse est dominus Deus noster, nos autem populus eius, et oues pascuæ eius.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt, & viderunt opera mea.

Quadragesima annis proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde, ipsi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuravi in ira mea: si introibunt in requiem meam.

Gloria patri. Sicut erat. &c.

C Deinde repetitur inuitato. Domine præstolamur. &c.

Prædictus psalmus modo prædicto dicitur per totum annum cum Inuitatorio tempori, vel festo accommodato, præterquam in triduo ante Pascha. Deinde dicitur Hymnus tempori, seu festo conueniens. Hymnus.

Vox clara ecce intonat, Obscura quæque increpat: pellantur eminus somnia: Ab æthere Christus promicat.

Mens iam resurgat torpida, Quæ sorde extat saucia: Sydus refulget iam nouum, Vt tollat omne noxium.

E sursum agnus mittitur, Laxare gratis debitum: Omnes pro indulgentia, vocem demus cum lachrymis.

Secundo vt cum fulserit Mundumque horror cinxerit, Non pro reatu puniatur, Sed pius nos tunc protegat.

Laus, honor, virtus, gloria Deo patri, & filio, Sancto simul paracleto, In seculo-

rum secula. Amen.

C Prædictis hymnus dicitur ad matutinum vsque ad vigiliam Natiuitatis inclusiue tam in Dominicis quam in Ferijs, nisi agatur de sancto. Post hymnum incipitur antiphona tempori, vel festo accommodata, & si fuerit festum duplex, dicitur integra antiphona Veniet ecce rex. Deinde dicuntur tres psalmi, vt sunt distributi in Psalterio, quibus finitis semper dicitur antiphona integra, siue fit de festo, siue de dominica vel Feria. Antiphona. Veniet ecce Rex excelsus cum potestate magna ad saluandas gentes. Haleluiah. Hæc antiphona dicitur ad matuti vsque ad dominicam tertiam aduentus exclusiue, quando fit officium de dominica vel de feriam. Finita antiphona dicitur. Pater noster, &c. Et ne nos. Sed libera. Deinde dicuntur tres lectiones, & cuilibet earum præmittitur **Ÿ**. Iube domine benedicere. Et ad primam, quæ semper est veteris testamenti, semper etiam dicitur benedictio. Deus pater omnipotens sit nobis propitius, & clemens. **R̄**. Amen.

Prophetia Isaiæ. **Lectio prima.**

ca. 1. **I**sio Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam & Ierusalem in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda. Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam dominus loquutus est, Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Dereliquerunt dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam

vos vltra, addentes prævaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens: non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Terra vestra deserta: ciuitates vestræ succensæ igni: Regionem vestram coram vobis alieni deuorant: & desolabitur, sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Audite verbum domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ, Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit dominus? Plenus sum: holocausta arietum: & adipem pinguium: & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris: vt ambularetis in atrijs meis? Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias, non feram: iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta: laboraui sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Tu autem domine miserere nostri. **R̄**. Deo gratias. **Et sic terminantur omnes lectiones per totum annum, præterquam in triduo ante Pascha. Ad secundam lectionem versus.** Iube

domine benedicere. **Benedictio.** Vni-
genitus Dei filius, nos benedicere, &
adiuuare dignetur. **R̄.** Amen.

**Et hæc similiter benedictio dicitur
per totum annum ad secundam lec-
tionem, quem est semper noui testa-
menti. Sanctum Iesu Christi euan-
gelium secundum Lucam. Lectio. ij.**

Quoniam quidem multi conati sunt
ordinare narrationem, quæ in
nobis completæ sunt rerum, sicut
tradiderunt nobis qui ab initio ipsi
viderunt, & ministri fuerunt sermo-
nis: visum est & mihi assequuto om-
nia, a principio diligenter ex ordine
tibi scribere, optime Theophile, vt
cognoscas eorum verborum, de quibus
eruditus es, veritatem. † Fuit in diebus
Herodis regis Iudææ, sacerdos quidam
nomine Zacharias, de vice Abia: &
vxor illius de filiabus Aaron, & nomen
eius Elisabeth. Erant autem iusti
ambo ante Deum, incedentes in om-
nibus mandatis & iustificationibus do-
mini sine querela, & non erat illis filius:
eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo
processissent in diebus suis. Factum est
autem, cum sacerdotio fungeretur in
ordine vicis suæ ante Deum, secundum
consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt
incensum poneret ingressus in templum
domini: & omnis multitudo populi erat
orans foris hora incensi. Apparuit
autem illi angelus domini, stans a dex-
tris altaris incensi. Et Zacharias tur-
batus est, videns: & timor irruit super
eum. Ait autem ad illum angelus, Ne
timeas Zacharia, quoniam exaudita est
deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth
pariet tibi filium, & vocabis nomen eius
Ioannem: & erit gaudium tibi & exul-
tatio: & multi in natiuitate eius gaude-
bunt. Erit enim magnus coram domino:
& vinum & siceram non bibet: & spir-

itu sancto replebitur adhuc ex vtero
matris suæ: & multos filiorum Israel
conuertet ad dominum Deum ipsorum:
& ipse præcedet ante illum in spiritu,
& virtute Eliæ: vt conuertat corda pa-
trum in filios, & incredulos ad pruden-
tiam iustorum, parare domino plebem
perfectam.] Et dixit Zacharias ad an-
gelum: Vnde hoc sciam? ego enim
sum senex: & vxor mea processit in
diebus suis. Et respondens angelus,
dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto
ante Deum: & missus sum loqui ad
te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce,
eris tacens, & non poteris loqui vsque
in diem quo hæc fiant: pro eo quod
non credidisti verbis meis, quæ imple-
buntur in tempore suo. Et erat plebs
expectans Zachariam: & mirabantur,
quod tardaret ipse in templo. Egres-
sus autem non poterat loqui ad illos:
& cognouerunt, quod visionem vidisset
in templo. Et ipse erat innuens illis:
& permansit mutus. Et factum est vt
impleti sunt dies officij eius, abijt in do-
mum suam. Post hos autem dies con-
cepit Elisabeth vxor eius: & occultabat
se mensibus quinque, dicens: Quia sic
fecit mihi dominus in diebus quibus re-
spexit auferre opprobrium meum inter
homines.

Tu autem domine, &c. vt supra.

¶ Ad tertiam lectionem V̄. Iube domine
benedicere. &c. **Benedictio.** Spiritus
sancti gratia illuminet sensus, & corda
nostra. **R̄.** Amen.

Secundum Lucam. Lectio iij.

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis
suis, Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium.

Et reliqua.

Homilia sancti Gregorij Papæ.

**Lectioni sancti euangelij, quam modo
vestra fraternitas audiuit, paulo su-**

B

Lu.
21.

perius dominus præmisit, dicens: Exurget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum: & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentia, & fames. Et quibusdam interpositis, hoc quod modo audistis, adiunxit: Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum. Ex quibus profecto omnibus alia iam facta cernimus: alia e proximo ventura formidamus. Nam gentem contra gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plus iam in nostris tribulationibus cernimus, quam in codicibus legimus. Quod terræmotus vrbes innumeras subruat, ex alijs mundi partibus scitis quam frequenter audiuius. Pestilentiam sine cessatione patimur. Signa vero in Sole & Luna, & Stellis adhuc aperte minime vidimus. Sed quia & hæc non longe sint, ex ipsa iam aeris immutatione colligimus. Quauis priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in coelo acies vidimus, ipsum qui postea effusus est humani generis sanguinem coruscantes. Confusio autem maris & fluctuum necdum noua exorta est. Sed cum multa iam prænuntiata completa sint: dubium non est, quod sequantur etiam pauca quæ restant. Quia sequentium rerum certitudo, est præteritarum exhibitio. Hæc nos fratres charissimi idcirco dicimus, vt ad cautelam studium vestrae mentes euigilent, ne securitate torpeant, ne ignorantia languescant: sed semper eas & timor sollicitet, & in bono opere sollicitudo confirmet. Pensantes hoc quod redemptotis nostri voce subiungitur, Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum

commouebuntur. Tu autem, &c.

☩ **Notandum, quod quodocunque agitur officium de dominica, seu de feria, aut de aliquo festo Domini siue eius octaua.**

☩ **Item in festis inuentionis, & exaltationis Crucis, & in dedicationibus Basilicarum ad tertiam lectionem dicenda est Benedictio, Spiritus sancti gratia. &c. vt supra. Quando vero agitur officium de aliquo sanctorum, aut sanctis aut eorum octauis dicitur benedictio, Cuius, vel quorum, vel quarum festum colimus, ipse, vel ipsi, vel ipsa, vel ipsæ intercedat, vel intercedant pro nobis ad dominum. R̄. Amen.**

☩ **Si autem tertia lectio fuerit de beata virgine, tam in sabbatis, quam in eius festiuitatibus, & octa. dicenda est benedictio. Per virginem matrem concedat nobis dominus salutem, & pacem. R̄. Amen.**

☩ **Sciendum insuper quod quodocunque fit officium de dominica per totum annum, aut de aliquo ex festis domini, mobilibus, seu eorum octauis.**

☩ **Item quodocunque agitur officium de feria in aduentu, & in Quadragesima semper in prædictis diebus tertiam lectionem inuenietur assignata in hoc dominicali statim post secundam lectionem. Quando vero fit officium de aliquo festo aut octaua, ex contentis in Calendario, tertia lectio, si fuerit propria inuenietur in ea parte Breuiarij, quæ continet historias sanctorum. Et si non fuerit assignata propria, dicitur de communi.**

☩ **Item quando agitur officium de feria extra Aduentum, & Quadragesimam tertia lectio dicitur ex Epistolis, vt assignata fuerit in Calendario. Similiter in Sabbatis, in quibus agitur officium de beata virgine, tertia lec-**

tio inuenietur in officio eidem assignato pro Sabbatis in fine Breuiarij. Quando autem debeat fieri officium de dominica, seu de feria, aut de festo supra in regulis generalibus poteris videre. Finitis tribus lectionibus in aduentu, & a dominica in septuagesima vsque ad feriam quintam in cœna domini quando fit officium de dominica vel de feriam dicitur psalmus. Miserere. fo. 70. Quando autem fit de aliquo festo in prædictis temporibus, & in toto reliquo anni tempore, siue fiat officium de dominica, siue de feria, siue de aliquo festo aut oct. semper dicitur. Te Deum laudamus, &c. fo. 5. Præterquam in triduo ante Pascha. Ad laud. V̇.

DEus in adiutorium meum intende. **Ṙ.** Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri, & filio & spiritui sancto. Sicut erat in principio. Haleluiah.

Et non dicitur hym. quia laudes non hora diuersa, sed pars matutini reputantur. Post Haleluiah. statim dicitur antiphona tempori vel festo accommodata. Antiphona. Emitte agnum. deinde dicuntur tres psalmi, vt in Psalterio, quibus adiungitur quotidie canticum Benedictus quo finito dicitur integra antiphona. Emitte agnum domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Hæc antiphona dicitur ad laudes vsque ad dominicam tertiam aduentus quando fit officium de dominica vel de feriam. Deinde V̇. Domine exaudi orationem meam. **Ṙ.** Et clamor meus ad te veniat. Deinde. Oremus. Oratio.

EXcita quæsumus domine potentiam tuam: & veni, vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis: te mereamur protegente eripi, te liberante saluari: qui viuis, & regnas

cum Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. **Ṙ.** Amen.

Hæc oratio dicitur per totam hanc hebdomadam quando fit de feria. Et semper quando aigitur officium de feria, cui non est assignata propria oratio, dicitur oratio dominicæ præcedentis. Notandum, quod finita oratione diei fiunt commemorationes sequentes de beata virgine, & omnibus sanctis modo infrascripto. In aduentu antiphona. Spiritus sanctus in te descendet Maria, ne timeas, habebis in vtero filium Dei, Haleluiah. V̇. Ora pro nobis sancta Dei genetrix. **Ṙ.** Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oremus. Oratio.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis vtero verbum tuum angelo nuntiante carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, vt qui vere eam Dei genetricem credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur, per eundem Christum dominum nostrum. **Ṙ.** Amen.

Deinde pro sanctis antiphona. Ecce dominus veniet, & omnes sancti eius cum eo: & erit in die illa lux magna, Haleluiah. V̇. Ecce apparebit dominus super nubem candidam. Et cum eo sanctorum millia. Oremus. Oratio.

Conscientias nostras quæsumus domine visitando purifica, vt veniens Iesus Christus filius tuus dominus noster cum omnibus sanctis, paratam sibi in nobis inueniat mansionem, qui tecum viuit, & in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. **Ṙ.** Amen.

Deinde dicitur V̇. Benedicamus domino. **Ṙ.** Deo gratias. V̇. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. **Ṙ.** Amen.

Et est aduertendum quod omnes horæ finiuntur per Benedicamus, &c. Haleluiah, &c. Per totum annum præterquam in triduo ante Pascha. Post aduentum reliquo anni tempore fiunt commemorationes modo infrascripto. **Antiphona.** Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei genitrix: nostras de preces ne despicias in necessitatibus: sed a periculis cunctis libera nos semper virgo gloriosa, & benedicta. **Ÿ.** Ora pro nobis sancta Dei genitrix. **℞.** Vt digni efficiamur promissionibus Christi. **Oremus.**

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæsumus domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, a præsentis liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum dominum nostrum. **℞.** Amen.

De apostolis, & omnibus sanctis antiphona. Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra, omniumque salute. **Ÿ.** Lætamini in domino, & exultate iusti. **℞.** Et gloriamini omnes recti corde. **Oremus. Oratio.**

EXaudi nos Deus salutaris noster: & apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apostolorum nos tuere perfidijs, quorum dona sti fideles esse doctrinis. **Oratio.**

OMnes sancti tui, quæsumus domine, nos vbique adiuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: & pacem tuam nostris concede temporibus: & ab ecclesiam tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue: &

omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per dominum.

℥ Prædictæ commemorationes prædicto modo dicuntur semper in laudibus & vesperis post orationem diei, præterquam in festis duplicibus, & quandocunque fit officium aut commemo. de aliqua octaua, & in triduo ante Pascha. Est autem aduertendum, quod in sabbatis in quibus fit officium de beata virgine omittitur eius commemoratio, & fit tantum de sanctis. Aduertendum præterea quod quando in aliqua dominica fit officium de aliquo festo duplici, vel de aliqua octaua, post orationem diei dicenda est etiam oratio illius Dominicæ pro eius commemoratione in laudibus, & vesperis. Deinde dicitur Benedicamus. & Fidelium. vt supra. **Ad primam.** Pater noster. Ave maria. **Ÿ.** Deus in adiutorium. **Hymnus.**

Iam lucis orto sydere:
Deum precemur supplices,
Vt in diurnis actibus:
Nos seruet a nocentibus.
Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror insonet:
Visum fouendo contegat,
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Absistat & vecordia:
Carnis terat superbiam,
Potus cique parcitas.
Vt cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit:
Mundi per abstinentiam,
Ipsi canamus gloriam.
Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paracleto,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

℥ Deinde dicuntur antiphona & Psalmi, vt in Psalterio cum symbolo Athanasij

in Dominicis diebus, in alijs autem cum symbolo apostolorum. Deinde. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. Oremus. *Oratio.*

Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire fecisti, tua nos hodie salua virtute: vt in hac die ad nullum declinemus peccatum: sed semper ad tuam iustitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera. Per dominum. Benedic. &c. Fidelium. vt supra. Et sic finita Prima dicitur *Ps.* Pretiosa in conspectu domini. *R.* Mors sanctorum eius. *Oratio.*

Sancta Maria & omnes sancti intercedant pro nobis ad dominum, vt nos mereamur ab eo adiuuari, & saluari, qui viuit, & regnat in secula seculorum. *R.* Amen. *Ps.* Dies & actus nostros in sua pace disponat dominus omnipotens. *R.* Amen. Et hoc modo dicitur Pretiosa. Per totum annum præterquam in triduo ante Pascha.

C Aduertendum tamen quod si in aliquo sabbato, aut dominica, aut infra octauas Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes & corporis Christi, vel in Ferijs Quadragesimæ, excepto triduo ante Pascha inciderit aliquod festum simplex, finita Prima, antequam dicatur Pretiosa. Pro commemoratione illius festi simplicis dicitur *Ps.* Ora pro nobis sancte. *N.* vel Orate pro nobis sancti. *N.* & *N.* *R.* Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oremus. Et dicitur oratio propria si eam habuerit: alioquin de communi, qua finita dicitur Pretiosa. &c. vt sup.

C Ad tertiam.

NVnc sancte nobis, spiritus. Vnum patri cum filio, Dignare promptus ingeri,

Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor,

Confessionem personent:

Flammescat igne charitas,

Accendat ardor priximos.

Præsta pater pijssime,

Patrique compar vnice,

Cum spiritu paraclito,

Regnans per omne seculum. Amen.

C Deinde antiphona, & psalmi vt in Psalterio, quibus finitis dicitur *Ps.*

Domine exaudi orationem meam. *R.*

Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

Oratio. Excita quæsumus. vt supra.

C Ad laudes. Notandum quod ad tertiam, sextam, & nonam semper dicitur oratio, quæ dicta duerit ad laudes.

Deinde. Benedicamus. &c. Fidelium.

&c.

C Ad sextam. Pater noster. Aue maria.

Ps. Deus in adiutorium meum

intende. *Hymnus.*

REctor potens, verax Deus,

Qui temperas rerum vices:

Splendore mane instruis,

Et ignibus meridiem

Extingue flammas litium,

Aufer calorem noxium,

Confer salutem corporum,

Veramque pacem cordium.

Præsta pater pijssime. &c.

C Deinde antiphona, & in psalmi vt in Psalterio, &c. vt sup. Ad tertiam.

C Ad nonam. Pater noster. Aue

maria. *Ps.* Deus in adiutorium meum

intende. &c. *Hymnus.*

RERUM Deus tenax vigor,

Immotus in te permanens.

Lucis diurnæ tempora:

Successibus determinans.

Largire clarum vespere,

Quo vita nusquam decadat:

Sed præmium mortis sacræ,

Perennis instet gloria.

Præsta pater pijssime, &c.

Deinde antiphona & psalmi vt in Psalterio, &c. vt in supra ad tertiam.

☩ Ad vespervas. Pater noster. Aue maria. ̄. Deus in adiuto. &c.

☩ Deinde dicitur hym. tempori, vel festo conueniens. Hym.

Conditor alme syderum,
Æterna lux credentium,
Christe redemptor omnium:
Exaudi preces supplicum.

Qui condolens interitu,
Mortis perire seculum,
Saluasti mundum languidum,
Donans reis remedium.

Vergente mundi vespere,
Vti sponsus de thalamo,
Egressus honestissima,
Virginis matris clausula.

Cuius forti potentia,
Genu curuantur omnia:
Cœlestia, terrestria,
Nutu fatentur subdita.

Te deprecamur agie,
Venture iudex seculi:
Conserua nos in tempore:
Hostis a telo perfidi.

Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri, & filio,
Sancto simul paracleto:
In seculorum secula. Amen.

☩ Prædictus hymnus dicitur ad vespervas vsque ad vigiliam Natiuitatis Domini exclusiue quando non agitur de sancto.

☩ Post hymnum dicitur antiphona tempori, vel festo accommodata, quæ in festis duplicibus ad matuti. laudes, & vespervas dicenda est in principio integra, in alijs autem diebus incipienda tantum antiphona. Rorate cœli desuper. &c. Deinde dicuntur tres psalmi vt in psalterio, quibus adiungitur quotidie Canticum. Magnificat anima mea

dominum. quo finito semper antiphona dicitur integra antiphona. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiat terra, & germinet saluatorem.

☩ Hæc antiphona dicenda est ad vesp. vsque ad dominicam tertiam aduentus exclusiue, quando fit officium de dominica, vel de feria. Deinde ̄. Domine exaudi orationem meam. &c. cum oratione & commemorationibus, vt supra ad laudes.

Notandum quod in vespervis semper dicitur oratio quæ dicta fuerit ad laudes, nisi vespervæ dicendæ sint de aliquo festo duplici sequentis diei: tunc enim hymnus, antiphona, & oratio dicendæ sunt de ipso festo sequenti.

☩ Ad completorium. Pater noster. Aue maria gra. **Versus.**

Conuerte nos Deus salutaris noster.
̄. Et auerte iram tuam a nobis.
̄. Deus in adiutorium. &c. **Hymnus.**

TE lucis ante terminum
Rerum creator poscimus:

Vt solita clementia,
Sis præsul ad custodiam.

Procul recedant somnia.

Et noctium phantasmata:

Hostemque nostrum comprime,

Ne polluantur corpora.

Præsta pater omnipotens,

Per Iesum Christum dominum, Qui tecum in perpetuum Regnat cum sancto spiritu. Amen.

☩ Post hymnum incipitur antiphona. Salua nos. Deinde dicuntur tres psalmi, vt in Psalterio, quibus quotidie adiungitur canticum. Nunc dimittis seruum tuum do. 17. quo finito dicitur integra antiphona. Salua nos domine vigilantes, custodi nos dormientes, vt vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.

☩ Hæc antiphona dicitur per totum an-

num ad completorium, præterquam in triduo ante Pascha. Deinde dicitur *Ÿ*. Domine exaudi orationem meam. *℞*. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

Oratio.

Visita quæsumus domine habitationem istam: & omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio tua sit super nos semper. Per dominum nostrum. *Ÿ*. Benedicamus domino. *℞*. Deo gratias. *Ÿ*. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *℞*. Amen.

Et sic finito completorio dicitur.

Salue regina misericordiæ: vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Euæ: ad te suspiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria. *Ÿ*. Ora pro nobis sancta Dei genitrix. *℞*. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oremus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ virginis Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, spiritu sancto cooperante præparasti: da vt cuius commemoratione lætamur, eius pia intercessione ab instantibus malis, & a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum dominum nostrum. *℞*. Amen. *Ÿ*. Diuinum auxilium maneat semper nobiscum. *℞*. Amen.

℄ Prædicto modo dicitur Salue regina. &c. cum oratione Omnipotens sempiterne. &c. in fine completorij per totum annum, præterquam a Dominica resurrectionis vsque ad Ascensionem:

quo tempore earum loco dicuntur infrascripta.

Regina cœli lætare Haleluiah. Quia quem meruisti portare haleluiah, Resurrexit sicut dixit haleluiah. Ora pro nobis Deum haleluiah. Oremus.

Oratio.

Gratiam tuam quæsumus domine mentibus nostris infunde: vt qui angelo nuntiante Christi filij tui incarnationem cognouimus, per passionem eius & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum dominum nostrum. *℞*. Amen. *Ÿ*. Diuinum auxilium maneat. &c.

℄ Sciendum quod hymni supra assignati ad primam, tertiam, sextam, nonam & completorium, necnon orationes. Domine Deus omnipotens. Ad primam, & Visita quæsumus. Ad completorium. nunquam mutantur in toto anno præterquam in triduo ante Pascha.

℄ Notandum quod per totum annum, præterquam in triduo ante Pascha tam in Dominicis quam in Ferijs, & festis diebus semper horæ dicuntur ordine in hac prima dominica aduentus explicato. Exempli gratia, vt ad matutinum infrascripta dicantur per ordinem. Pater noster. Ave maria. Confiteor. cum absolutione Domine labia. Deus in adiutorium. Haleluiah. vel Laus tibi domine. Inuita. cum psalmo. Venite exultemus. rursus inuita. hym. antiphona tres psalmi, rursus antiphona integra. Pater noster. Tres lectiones cum suis benedictionibus, & Tu autem. Te Deum laudamus. vel Misere mei Deus. Deinde statim ad laudes. Deus in adiu. Antiphona. Tres psalmi cum cantico. Benedictus. Rursus antiphona integra. Domine exaudi orationem. Oratio cum commem-

orationibus de beata virgine &c. nisi sint omittendæ, vt supra. Benedicamus. Fidelium. &c. **Item ad primam, tertiam, sextam, nonam, & vesperas.** Pater noster. Aue maria. Deus in adiutorium. &c. **seruato ordine in eisdem horis contento.**

C **Item ad completorium.** Pater noster. Aue maria. Conuerte nos. Deus in adiutorium. &c. **vt in eadem hora continetur.**

Feria secunda, ex Isaia. Lectio. j.

ca. 1. **E** †Auamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruerse: discite benefacere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum: quasi nix, dealbabuntur, & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana, alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comeditis.] Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os domini loquutum est. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua. Principes tui infideles, socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait dominus Deus exercituum fortis Israel, Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis: & conuertam manum meam ad te, & excoquam ad puram scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, & restituum iudices tuos vt fuerunt prius, & con-

siliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustita. Et conteret scelestos, & peccatores simul, & qui dereliquerunt dominum, consumentur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt: & erubescetis super hortis, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus absque aqua. Et erit fortitudo vestra vt fauilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. **Secundum Lucam. Lectio. ij.**

IN mense autem sexto † missus est **C** Angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David: & nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit: Aue, gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit illi dominus Deus sedem David patris eius: & regnabit in domo Iacob, in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis, sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossi-

ca. 1.

bile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.] Et discessit ab illa angelus. † Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est spiritu sancto Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: & beata, quæ credidisti: quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a domino. Et ait Maria, Magnificat anima mea dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.] Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius. Et misericordia eius a progenie in progenies, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, memoratus misericordiæ suæ. Sicut loquutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam.

☞ *Sequens tertia lectio dicenda est in omnibus secundis ferijs aduentus quando nullum occurrit festum, excipitur vigilia Natiuitatis, si inciderit in fe-*

ria secunda.

Sermo sancti August. episc. Lectio. iij.
Sanctam & desiderabilem, gloriosam, ac singularem solennitatem, hoc est natiuitatem domini saluatoris, fratres dilectissimi, deuotione fidelissima suscepturi, totis viribus nos debemus cum ipsius adiutorio præparare, & omnes latebras animæ nostræ diligenter aspicere, ne forte sit in nobis aliquod peccatum absconditum, quod & concientiam nostram confundat, ac mordeat, & oculos diuinæ maiestatis offendat. Nam licet Christus dominus noster post passionem suam resurrexerit, & in cœlum ascenderit, considerat tamen, vt credimus, & diligenter attendit, qualiter se vnusquisque seruorum eius sine auaritia, sine ira, sine superbia atque luxuria ad celebrandam eius natiuitatem studeat præparare atque componere, & secundum quod vnumquemque ornatum bonis moribus viderit ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit. Si enim viderit charitatis luce vestitum, iustitiæ vel misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, misericordem, benignum & sobrium, si talem agnouerit, corpus & sanguinem suum ei non ad iudicium, sed ad remedium per sacerdotum suorum ministerium, dispensabit. Si vero aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum & superbum, timeo ne hoc illi dicatur, quod in euangelio dominus ipse dixit, Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Et, quod dominus auertat, fiat illud quod sequitur, Ligat illi manus & pedes, & projicite in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium. Ecce qualem sententiam in die iudicij excipiet, qui sine remedio pœnitentiæ ad festiuitatem do-

mini vitiorum sordibus inquinatus accesserit. In natali enim domini, fratres dilectissimi, quasi in nuptijs spiritualibus sponsæ suæ ecclesiæ Christus adiunctus est. Tunc veritas de terra orta est, tunc iustitia de cœlo prospexit, tunc processit sponsus de thalamo suo, hoc est, verbum Dei de vtero virginali. Processit enim cum sponsa sua ecclesia, id est, humanam carnem suscepit. Ad istas ergo tam sanctas nuptias inuitati, & ad conuiuium Patris & Filij & Spiritus sancti intraturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et ideo mundemus quantum possumus cum Dei adiutorio corda simul & corpora nostra: vt cœlestis ille inuitator nihil in nobis sordidum, nihil fœdum, nihil obscœnum, nihil oculis suis deprehendat indignum.

C *Feria tertia, ex Isaia. Lectio. j.*

c.2.a **N** Erbum quod vidit Isaia filius Amos super Iudam & Ierusalem. † Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exhibit lex, & verbum domini de Ierusalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine domini.] Proiecisti enim populum tuum domum Iacob: quia repleti sunt vt olim, & augeres habuerunt vt Philistiim, & pueris alienis ad-

hæserunt. Et repleta est terra argento & auro: & non est finis thesaurorum eius. Et repleta est terra eius equis & innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta est terra eius idolis. Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir. Ne ergo dimittas eis. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo a facie timoris domini, & a gloria maiestatis eius. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem dominus solus in die illa. *Secundum Lucam. Lectio. ij.*

E † Lisabeth autem impletum est c.1.f tempus pariendi: & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est: in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui, Zachariam. Et respondens mater eius dixit, Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam, quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens, Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierant, in corde suo dicentes, Quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto: & prophetauit, dicens. Benedictus dominus Deus Israel: quia visitauit & fecit redemptionem plebis

suæ.] Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, sicut loquutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt prophetarum eius, Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos, Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et tu puer, propheta altissimi vocaberis: præbis enim ante faciem domini parare vias eius, Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum/ Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.

¶ Sequens tertia lectio dicenda est in omnibus tertijs Ferijs aduentus, in quibus nullum occurrerit festum: excipitur vigilia Natiuitatis, in incidit in feria tertia.


Ex sermone sancti Aug. episc. L. iij.

Audite fratres, audite non meum, sed domini commune præceptum. Sic enim ait in Euangelio, cum facis prandium aut cœnam, noli inuitare diuites qui te iterum inuitent, & fiat tibi retributio, sed voca pauperes & claudos, & beatus eris, quia non habent vnde retribuunt tibi, retribuetur autem tibi in retributione iustorum. Sed dicit aliquis, Ergo amicos aut parentes non debeo ad conuiuium reuocare? Rogandi sunt & parentes & vicini, sed rar-

ius rogandi sunt. Et non minus sumptuosa & delitiosa, sed tam parca, & sobria vel honesta illis debent conuiuia præparari, vt remaneat vnde possint pauperes refici, vnde possit aliquid indigentibus erogari: vt cum dies iudicij venerit, non cum impijs, qui nunc pauperes despiciunt, audiamus, Discedite a me maledicti, in ignem æternum: sed cum iustis & misericordibus audire mereamur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum: quia esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, simul etiam nobis illa vox desiderabilis dirigatur, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Sed vt hæc, quæ suggessimus, sensibus vestræ charitatis tenacius inhæreant, breuiter quæ dicta sunt iteramus. Hoc enim admonuimus fratres, vt quia natalis domini imminet, tanquam ad nuptiale & cœleste conuiuium ab omni luxuria alieni, & bonis operibus adornati, nos per Christi adiutorium præparemus, eleemosynas pauperibus erogemus, iracundiam vel odium velut venenum, de cordibus nostris respuamus. Castitatem fideliter conseruate, ad conuiuia vestra frequentius pauperes reuocate, ad vigiliis maturius surgite, in ecclesia stantes, aut orate, aut psallite, verba otiosa aut scurrilia, nec ipsi proferte, & eos qui proferre voluerint castigate. Pacem cum omnibus custodite, & quos discordes agnoscetis, ad concordiam reuocate. Hæc si fideliter Christo adiuuante volueritis implere, & in hoc seculo ad altare dominicum cum securâ conscientia poteritis accedere, & in futuro ad æternam beatitudinem feliciter peruenire, præstante domino

nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat in secula seculorum. Amen.

☩ **Feria quarta ex Isaia. Lectio. j.**

ca. 4.  N die illa erit germen domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israel. Et erit: omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem, si abluerit dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris. Et creabit dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte. Super omnem enim gloriam protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsonem a turbine & a pluua.

ca. 5. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ: Vineam factam est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit vineam electam: & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea. Et expectauit vt faceret uas, & fecit labruscas. Nunc ergo habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui vt faceret uas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent super eam vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Vineam enim domini exercituum, domus Israel est: &

vir Iuda, germen eius delectabile.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

FActum est autem: in diebus illis † c.2.a
 exijt edictum a Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est a præside Syriæ Cirino: Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph a Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce, Angelus domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus, Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ coelestis, laudantium Deum & dicentium, Gloria in altissimis Deo: & in terra, pax hominibus bonæ voluntatis.] Et factum est, vt discesserunt ab eis angeli in cælum, † pastores loquebantur ad inuicem, Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit dominus, & ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes

autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati sunt, & de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant: sicut dictum est ad illos.]

¶ Sequens tertia lectio dicenda est in omnibus quartis ferijs aduentus, quando non occurrit festum: excipitur vigilia Natiuitatis, si inciderit in feria quarta.

Sermone sancti Aug. episc. Lectio. iij.

Appropinquante iam sacratissima solennitate, qua Saluator noster inter homines nasci misericorditer voluit, fratres charissimi, attentius considerate, qualiter oporteat nos in aduentu tantæ potentiæ præparari, vt regem & dominum nostrum læti atque gaudentes cum gloria & laudibus mereamur suscipere, & in conspectu eius inter cœtus felices sanctorum gratulando exultare magis quam ab eo propter foeditatem nostram repulsi inter peccatores æternam confusionem mereri. Et ideo rogo & moneo, vt quantum possumus cum Dei adiutorio laboremus, vt in illo die cum syncera & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore ad altare domini posimus accedere, & corpus & sanguinem eius non ad iudicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit, sicut ipse dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, &

magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur: magis occiditur, quam viuificetur. Sic enim dixit apostolus: Qui manducat corpus domini, & bibit sanguinem eius indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Et licet nos omni tempore bonis operibus ornatos ac splendidos esse conueniat, præcipue tamen in die natalis domini, sicut in euangelio ipse dixit, lucere debent hominibus opera vestra. Considerate, quæso fratres, quando aliquis homo potens aut nobilis natalem aut suum aut filij sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quicquid in domo sua sordium inuenerit, ordinat emundari, quicquid ineptum & incongruum proijci, quicquid vtile & necessarium præcipit exhiberi. Domus etiam si obscura fuerit, dealbatur, pauimenta scopis mundantur, & diuersis respersa floribus adornantur. Quicquid etiam ad lætitiã animæ & corporis delicias pertinet, omni sollicitudine prouidetur. Vt quid ista, fratres charissimi, nisi vt dies natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri? Si ergo tanta præparas in natalitio tuo aut filij tui, quanta & qualia præparare debes suscepturus natalem domini tui? Si talia præparas morituro, qualia præparare debes æterno? Quicquid ergo non vis inuenire in domo tua, quantum potes labora vt non inueniat Deus in anima tua.

¶ Feria quinta, ex Isaia. Lectio. j.

ST factum est in diebus Achaz filij Ioatham, filij Oziaë, regis Iuda, ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Ierusalem: ad præliandum contra eam: & non potuerunt debellare eam. Et nuntiauerunt domui Dauid, dicentes: Requieuit Syria super Ephraim, & com-

motum est cor eius, & cor populi eius: sicut mouentur ligna syluarum a facie venti. Et dixit dominus ad Isaiam: Egredere in occursum Achaz, tu, & qui derelictus est, Iasub filius tuus, ad extremum aquæ ductus piscinæ superioris in via agri fullonis, & dices ad eum, Vide vt sileas: noli timere, & cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, & filij Romeliæ: eo quod consilium inierit contra te Syria in malum Ephraim, & filius Romeliæ, dicentes: Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos, & ponamus regem in medio eius filium Tabeel. Hæc dicit dominus Deus: Non stabit, & non erit istud: Sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin. Et adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus, & caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ fili Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis. † Et adiecit dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo dominum. Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.]

Secundum Lucam. *Lectio. ij.*

c.2.c **E**†T postquam consummati sunt dies octo vt circuncideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in D vtero conciperetur.] † Et postquam im-

pleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum domino vocabitur, & vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce: homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel: & spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum, Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.]† Et erat pater eius & mater **E** eius mirantes super ijs quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce, positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

C Sequens tertia lectio dicenda est in omnibus quintis Ferijs aduentus, quando non occurrit festum: excipitur vigilia Natiuitatis, si inciderit in Feria quinta.

Ex sermone sancti Aug. episc. L. iij.

CErte si te Rex terrenus aut quicumque paterfamilias ad suum natalitium inuitaret, qualibus ves-

timentis studeres ornatus incedere? quam nouis vel nitidis, quam splendidis, quorum nec vetustas, nec vilitas, nec aliqua foeditas oculos inuitantis offenderet? Tali ergo studio in quantum præuales (Christo auxiliante) contende, vt diuersis virtutum ornamentis anima tua composita, simplicitatis gemmis & sobrietatis floribus adornata, ad solennitatem regis æterni, id est, ad natalem domini saluatoris cum secura conscientia procedat, castitate nitida, charitate splendida, eleemosynis candida. Christus enim dominus si te ita compositum natalitium suum celebrare cognouerit, ipse per se venire, & animam tuam non solum visitare, sed etiam requiescere, & in perpetuum in illa dignabitur habitare, sicut scriptum est, Et inhabitabo in illis, & inambulabo. Et iterum, Ecce sto ad ostium, & pulso: siquis surrexerit & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Quam felix est illa anima quæ vitam suam ita Deo auxiliante studuerit gubernare, vt Christum hospitem & habitorem mereatur excipere, sicut econtrario, quam infelix est illa conscientia, toto lachrymarum fonte lugenda, quæ se ita malis operibus cruentauit, vt in ea Christus non requiescere, sed diabolus incipiat dominari? Talis enim anima, si medicamentum pœnitentiæ non cito subuenerit: a luce relinquitur, a tenebris occupatur, vacuatur dulcedine, impletur amaritudine, a morte inuaditur, a vita repudiatur. Non tamen de domini pietate diffidat qui talis est, nec mortifera desperatione frangatur, sed magis ad pœnitentiam cito fugiat, & dum adhuc noua sunt & calent peccatorum suorum vulnera, sic sibi adhibeat

medicamenta salubria, quia medicus noster omnipotens est, & sic consuevit plagas nostras curare, vt nec cicatricum vestigium post ipsius medicamina remaneant. Ideo etiam ab omni inquinamento ante eius natalem multis diebus abstinere debetis.

Quotiescunque autem natalem domini, aut reliquas solennitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiæ quasi bestię crudelissimæ repugnetate, odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite, & tanta sit in vobis charitas, quæ non solum vsque ad amicos, sed etiam vsque ad ipsos perueniat inimicos, vt secure possitis dicere in oratione dominica: dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

¶ **Feria sexta, ex Isaia. Lectio. j.**

B T † egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.] Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus, & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus

c. 11.
a
B

fuerit, manum suam mittet. Non nocent, & non occidunt in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia domini, sicut aqua maris operientes. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

c.2.f **E**T † erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octogintaquatuor: quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hac ipsa hora superueniens, confitebatur domino: & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Et vt perfecterunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, & confortabatur: plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.] Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solenni paschæ. † Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est: post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad

illum, Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod loquutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia, apud Deum & homines.]

Sequens tertia lectio dicenda est in omnibus sextis ferijs aduentus, quando non occurrerit festum: excipitur vigilia Natiuitatis, si inciderit in feria sexta.

Sermone sancti Ambrosij episc. L. iij.

Satis abundeque dixisse me credo superiori tractatu, quem admodum compti vel nitidi natalem domini suscipere debeamus, & superuenientem festiuitatem eius ab omni ambitione retinere. Retinere (inquam) vt si dies natalis eius transeat: apud nos tamen sanctificationis eius beatitudo permaneat. Hæc enim gratia natalis est domini saluatoris, vt in futurum ad prædestinatos transeat: & in præteritum maneat ad deuotos. Oportet ergo nos esse sanctitate puros, mundos pudicitia, nitidos honestate: vt quo diem festum aduenire propinquius cernimus, accuratius incedamus. Si enim mulierculæ solent aliquas ferias suscepturæ, maculas vestium suarum aqua diluere: cur non magis nos excepturi natalem domini, maculas animarum nostrarum fletibus abluamus? Et illæ quidem si adeo infectæ res cellulæ sordibus extiterint, quod maculas sola aqua non purgat: addunt mollitiem olei: saponis etiam acrimoniam. Nos quoque si tam graue peccatum fuerit vt minime solis fletibus abluatur, addamus mis-

ericordiæ oleum acrimoniamque ieiunij. Nullum enim tam graue delictum est, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis extinguitur. Ait enim sanctus propheta, Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Magna ergo est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum: vt quamuis offensus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis: cogitur enim a nobis quodammodo dum compellitur pro actibus nostris mutare sententiam, & in vno eodemque homine, nunc patris pietate blandiri, Pater enim nobis Deus est, cum bene agimus: iudex noster est, cum peccamus.

C Sabbato, ex Isaia.

Lectio. j.

c. 28.


Sacerdos & propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita vt non esset vltra locus. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, auulsos ab vberibus: quia Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta: expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. In loquela enim labij: & lingua altera loquetur ad populum istum: cui dixit, Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium: & noluerunt audire, & erit eis verbum domini, Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi: modicum ibi, vt vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. Propter hoc audite

verbum domini viri illusores, qui dominamini super populum meum qui est in Ierusalem. Dixistis enim, percussimus foedus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Idcirco hæc dicit dominus Deus. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet. Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura. Et subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur foedus vestrum cum morte: & pactum vestrum cum inferno non stabit. **Secundum Lucam. Lectio. ij.**

A† Nno autem quintodecimo imperij c.3.a Tyberij Cæsaris procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Traconitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Chaipha, factum est verbum domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaïæ prophetæ, Vox clamantis in deserto, Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei.] Dicebat ergo B ad turbas, quæ exhibant vt baptizarentur ab ipso, Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere, Patrem

habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas similiter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur: & dixerunt ad illum. Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos. Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes, Quid faciemus & nos? Et ait illis, Neminem conculatiis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus: respondit Ioannes dicens omnibus, Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni: cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo. Herodes autem tetrarcha cum corripere ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes: adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem.

¶ **Dominica. ij. aduen. ex Isaia. L. j.**

c. 35. a  † Ætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebunt quasi liliū. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. Gloria

Libani data, est ei, decor Carmeli & Saron, Ipsi videbunt gloriam domini, & decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis, Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ: & torrentes in solitudine, & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.] In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci: & erit ibi semita & via: & via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint, & redempti a domino, conuertentur & venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

FActum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante apertum est cælum: & descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est. Tu es filius meus dilectus: in te complacui mihi. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta: vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Semei, qui fuit

Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Rhesia, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Ieso, qui fuit Eliezer, qui fuit Ioram, qui fuit Mattha, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliachim, qui fuit Melea, qui fuit Menam, qui fuit Matthatha, qui fuit Nathan, qui fuit Daudid, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Hesron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Nœ, qui fuit Lamech, qui fuit Metusala, qui fuit Enoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainam, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 11. **I**N illo tempore: cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi. Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Et reliqua. Homilia sancti Grego papæ.

Quærendum nobis est fratres charissimi: Ioannes propheta & plusquam propheta, qui venientem ad Iordanis baptismum dominum ostendit, dicens. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: qui & humilitatem suam & diuinitatis eius potentiam considerans, dicit, Qui de terra est, de terra loquitur: qui autem de cœlo venit, super omnes est, Cur in carcere positus mittens discipulos requirit: tu es qui venturus es, an alium expectamus?

tanquam si ignoret, quem ostenderat, & an ipse sit nesciat: quem ipse esse prophetando, baptizando, ostendendo clamauerat. Sed hæc citius quæstio soluitur, si gestæ rei tempus & ordo pensatur. Ad Iordanis enim fluenta positus, quia ipse redemptor mundi esset: asseruit. Missus vero in carcerem vtrum alium expectent, an ipse veniat, requirit. Non quia ipsum esse mundi redemptorem dubitet: sed quærit vt sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. Quem enim præcurrens mundo nuntiauerat, hunc moriendo, & ad inferos descendendo præcurrebat. Ait ergo, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Ac si aperte dicat, Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori digneris infinua, vt qui natiuitatis tuæ præcursor extiti, mortis etiam præcursor fiam, & venturum inferno te nuntiem, quem iam venisse mundo nuntiaui. Vnde & inquisitus dominus: enumerastis potentiam suam miraculis, de mortis suæ protinus humilitate respondit, dicens: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Visis tot signis tantisque virtutibus non scandalizari quisque potuit, sed admirari. Sed infidelium mens graue in illo scandalum pertulit, cum eum morientem post tot miracula vidit. Vnde & Paulus dicit, Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Stulti quippe hominibus visum est vt pro hominibus a thor vitæ moreretur: & inde contra eum homo scandalum sumpsit, vnde ei amplius debitor fieri

debut. **Oratio.**

EXcita domine corda nostra ad præparandas vnigeniti tui vias: vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus seruire mereamur: qui tecum viuit, & regnat in vnitæte Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.

¶ Feria secunda ex Isaia. Lectio. j.

c. 40. **S**onsolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam: quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto, Parate viam domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et reuelabitur gloria domini, & videbit omnis caro pariter quod os domini loquutum est. Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus domini sufflauit in eo. Vere fœnum est populus. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos: verbum autem domini Dei nostri manet in æternum. † Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester, ecce dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit,] foetas ipse portabit. Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit

tribus digitis molem terræ, & liberauit in pondere montes, & colles in statera? Quis adiuuit spiritum domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniijt consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam, et viam prudentiæ ostendit illi?

Secundum Lucam. Lectio. ij.

Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Iordane: & agebatur in spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur a diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis: & consummatis illis esuriijt. Dixit autem illi diabolus, Si filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. Et respondit ad illum Iesus, Scriptum est, Quia non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis: & ait illi, Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Tu ergo procidens si adoraueris coram me, erunt tua omnia. Et respondens Iesus, dixit illi, Scriptum est, dominum Deum tuum adorabis: & illi soli seruies. Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi: & dixit illi, Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum. Scriptum est enim quod angelis suis mandauit de te, vt conseruent te: & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens Iesus, ait illi, Dictum est, Non tentabis dominum Deum tuum. Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.

Et regressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam: & fama exijt per vniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum: & magnifica-


ca. 4.

batur ab omnibus. Et venit Nazareth vbi erat nutritus: & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaïæ prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat, Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere con fractos in remissionem, prædicare annum domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentés in eum. Cœpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant, Nonne hic est filius Ioseph? Et ait illis, Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice, cura teipsum.

B † Quanta audiuius facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

Tertia lectio quando agitur de fer. Sanctam & desiderabi. vt su. f. 102.

¶ Feria tertia ex Isaia. Lectio. j.

c. 42.  Cce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus donec ponat in terra iudicium: & legem eius insulæ expectabunt. Hæc, dicit dominus Deus creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo,

qui est super eam, & spiritum calcantibus eam. Ego dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruauit te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Ego dominus, hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt, noua quoque ego annuntio: antequam orientur, audita vobis faciam. Cantate domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ, qui descenditis in mare, & plenitudo eius, insulæ, & habitatores earum. Lætetur desertum, & ciuitates eius in domibus habitabit Cedar. Laudate habitatores petræ: de vertice montium clamabunt. Ponent domino gloriam, & laudem eius in insulis nuntiabunt. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum. Vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur. Tacui, semper silui: patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul: desertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exiccabo: & ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam. Et educam cæcos in viam quam nesciunt: & in semitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem, & praua, in recta.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

A It autem, Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi

in Sarepta Sidonis ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Sirus. Et repleti sunt omnes in synagoga, ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.] Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ: ibique docebat illos sabbatis. Et stupebant in doctrina eius: quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum: & exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio te quis sis sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce & exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilque illum nocuit. Et factus est pavor in omnibus, & colloquebantur adinuicem, dicentes, Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? Et diulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. † Surgens autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam imperauit febrim: & dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Exhibant autem dæmonia a multis clamantia & dicentia, Quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum

esse Christum. Facta autem die egressus ibat in desertum locum: & turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum: & detinebant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait, Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

Tertia lectio quando agitur de feria.
Audite fratres. &c. vt supra. fo. 104.

¶ Feria. iiij. ex Isaia. Lectio. j.

Ere tu es Deus absconditus: Deus Israel saluator: Confusi sunt, & erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum: Israel saluatus est in domino salute æterna. Non confundemini, & non erubescetis vsque in seculum seculi: quia hæc dicit dominus creans cœlos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse plastes eius. Non in vanum creauit eam: vt habitetur formauit eam. Ego dominus, & non est alius. Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso. Non dixi semini Iacob, Frustra quærite me. Ego dominus loquens iustitiam, annuntians recta. Congregamini, & venite, & accedite simul qui saluati estis ex gentibus. Nescierunt qui leuant lignum sculpturæ suæ, & rogant Deum non saluantem. Annuntiate & venite, & consiliamini simul. Quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? Nunquid non ego dominus, & non est vltra Deus absque me? Deus iustus & saluans non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus: & non est alius. In memetipso iuravi, Egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu: & iurabit omnis lingua. Ergo in domino

dicet, meæ sunt iustitiæ & imperium. Ad eum venient & confundentur omnes qui repugnant ei. In domino iustificabitur & laudabitur omne semen Israel.

Secundum Lucam. **Lectio. ij.**

c.5.a

FActum est autem † cum turbæ irruerunt in eum vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauebant retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent concluderunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas: ita vt pene mergerentur. Quod cum vidisset Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens, Exi a me domine. quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erunt socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus, Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus sequuti sunt eum.] Et factum est, cum esset in vna ciuitatum: & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidens in faciem suam, rogauit eum, dicens, Domine, si vis potes me mundare. Et exten-

dens manum, tetigit eum: dicens, volo. Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo, & ipse præcepit illi vt nemini diceret: sed vade, ostende te sacerdoti: & offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses in testimonium illis. Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turbæ multæ vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

Tertia lectio quando fit officium de feria. Appropinquante. &c. vt supra. fo. 106.

¶ Feria quinta ex Isaia. **Lectio. j.**

V†Vdite insulæ, & attendite populi de longe, dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me, & dixit mihi, Seruus meus es tu Israel, quia in te glorificabor. Et ego dixi: In vacuum laboraui, sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudicium meum cum domino, & opus meum cum Deo meo. Et nunc hæc dicit dominus, formans me ex vtero seruuum sibi, vt reducam Iacob ad eum, & Israel non congregabitur: & glorificatus sum in oculis domini, & Deus meus factus est fortitudo mea Et dixit: Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc dicit dominus redemptor Israel, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruuum dominorum. Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter dominum, quia fi-

c. 49.

a

B

delis est, & sanctum Israel qui elegit te.]
 B Hæc dicit dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui. Et seruauit te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, vt diceres his qui vincti sunt, Exite: & his qui in tenebris, Reuelamini. Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce, isti de longe venient, & ecce illi ab aquilone & mari, & isti de terra australi. Laudate cœli, & exulta terra: iubilare montes laudem: quia consolatus est dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

c.5.c **E**T † factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes & legis doctores qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ & Ierusalem: & virtus domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos? Quid cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere, dimittuntur tibi pec-

cata: an dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat, & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.] Et post hæc exijt, & vidit publicanum nomine Leui, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum: & fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua, & erat turba multa Publicanorum & aliorum qui cum illis erant discumbentes. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ eorum, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt, medico: sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Tertia lectio quando fit de fer. Certe si te rex. &c. vt supra. fo. 107.

¶ Feria sexta ex Isaia.

Lectio. j.

Vidite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis dominum: attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Consolabitur ergo dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius: & ponet desertum eius quasi delitias, & solitudinem eius quasi hortum domini. Gaudium & lætitia inuenietur in ea: gratiarum actio, & vox laudis. Attendite ad me popule meus,

D

c. 51.

& tribus mea me audite: quia lex a me exiet: & iudicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est iustus meus, egressus est saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt. Me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt. Leuate in cœlum oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. Audite me qui scitis iustum, populus meus lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tineæ. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationum. Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Nunquid non tu siccasti mare aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt a domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiā tenebunt, fugiet dolor & gemitus.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ca. 5.

AT illi dixerunt ad eum Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt & bibunt? Quibus ipse ait: Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient autem dies, cum ablati fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram a nouo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura a nouo Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & vinum effundetur. & vtres peribunt: sed vinum nouum in vtres novos mittendum est: & vtraque conseruantur: Et nemo bibens vetus, statim vult nouum: dixit enim, Vetus melius est. Factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus, Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in sabbatis? Et respondens Iesus, ad eos dixit: Non hoc legistis quod fecit Daud, cum esurisset ipse & qui cum illo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant, quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? Et dicebat illis: Quia dominus est filius hominis, etiam sabbati. Factum est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam, & doceret: Et erat ibi homo: & manus eius dextera erat arida. Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi si in sabbato curaret: vt inuenirent vnde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum: & ait homini qui habebat manum aridam, Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere an male? animam saluam facere, an perdere? Et circumspectis omnibus, dixit homini, extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus eius. Ipsi autem

ca. 6.

repleti sunt insipientia: & colloquebantur ad inuicem quidnam facerent Iesu.

Tertia lectio quando fit de fer. Satis abundeque. &c. vt supra. fo. 109.

℣ Sabbato ex Isaia. Lectio. j.

c. 52.

Sonurge, consurge, induere fortitudini tua Sion: induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancti, quia non adijciet vltra vt pertranseat per te incircuncisus & immandus. Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem: Solue vincula colli tui captiua filia Sion, quia hæc dicit dominus: Gratis vendati estis & sine argento redimimini. Quia hæc dicit dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio, vt colonus esset ibi: & Assur absque vlla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est hic, dicit dominus? quoniam ablati sunt populus meus gratis. Dominatores eius inique agunt, dicit dominus: & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. Vox speculatorum tuorum leuauerunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit dominus Sion. Gaudete & laudate simul deserta Ierusalem: quia consolatus est dominus populum suum, redemit Ierusalem. Parauit dominus brachium: sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. Exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa domini. Quoniam non

in tumultu exhibitis, nec in fuga proferabitis. Præcedet enim vos dominus, & congregabit vos Deus Israel. Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi: sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

FActum est autem: in illis diebus ca. 6.

exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis, quos & apostolos nominauit: Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philip-pum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor. Et descendens, cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Ierusalem, & maritima & Tyri & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat, Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eicerint nomen vestrum

tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. Veruntamen vœ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Vœ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Vœ vobis qui rideatis nunc, quia lugebitis & flebitis. Vœ cum benedixerint vobis omnes homines: secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos vestros: benefacite his qui vos oderunt Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam præbe illi & alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.


☩ **Dominica. iij. aduen. ad matu. an.**

O oriens splendor lucis æternæ, & sol iustitiæ, veni, & illumina sedentes in tenebris, & vmbra mortis.

Hæc antiphona dicitur ad matu. vsque ad vigiliam natiuitatis exclusiue quando fit officium de dominica, vel de feria.

☩ **Ex Isaia.**

Lectio prima.

c. 56.  **S**æc dicit dominus, Custodite iudicium, & facite iustitiam: quia iuxta est salus mea vt veniat, & iustitia mea vt reueletur. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud. Custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum. Et non dicat filius aduenæ qui adhæret domino dicens, Separatione diuidet me dominus a populo suo. Et non dicat eunuchus, Ecce ego lignum

aridum, Quia hæc dicit dominus eunuchis. Qui custodierint sabbata mea & elegerint quæ ego volui, & tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Et filios aduenæ qui adhærent domino vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, & tenentem foedus meum: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. Ait dominus Deus qui congregat dispersos Israel, Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. Omnes bestię agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestię saltus. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. Et canes imprudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, a summo vsque ad nouissimum. Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ET si diligitis eos qui vos diligunt: quæ vobis est gratia? nam & peccatores, diligentes se, diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt: quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuam dederitis his a quibus speratis recipere: quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus foenerantur: vt recipiant æqualia. Veruntamen diligite

ca. 6.

inimicos vestros: benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos
 D & malos. † Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimitte, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita: eijce primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de
 E oculo fratris tui.] Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant vuam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quid autem vocatis me: domine domine: & non facitis quæ dico? Omnis qui venit ad me: & audit sermones meos, & facit eos: ostendam vobis cui similis sit: similis est homini ædificanti domum, qui fodit in

altum, & posuit fundamentum super petram, inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi: & non potuit eam mouere, fundata enim erat super petram. Qui autem audit & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluuius: & continuo cecidit: & facta est ruina domus illius magna.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

IN illo tempore miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes, & levitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? ca. 1.

Et rel. Homilia sancti Grego papæ.

Ex huius nobis lectionis verbis, fratres charissimi, Ioannis humilitas commendatur. Qui cum tantæ virtutis esset vt Christus credi potuisset: elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. Nam confessus est, & non negauit: confessus est: quia non sum ego Christus: sed quia dixit, non sum: negauit plane quod non erat: sed non negauit quod erat, vt veritatem loquens eius membrum fieret, cuius sibi nomen fallaciter non usurparet. Cum ergo non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi. Quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere: illius celsitudinem meruit veraciter obtinere. Sed cum ex lectione alia redemptoris nostri sententia ad mentem reducitur: ex huius nobis lectionis verbis quæstio valde implexa generatur. Alio quippe in loco inquisitus a discipulis dominus, de Eliæ aduentu respondit, Elias iam venit, & non cognouerunt eum: sed fecerunt in eo quodcunque voluerunt. Et si vultis scire, Ioannes ipse est Elias. Requisitus autem Ioannes dicit: non sum Elias.

Quid est hoc fratres charissimi: quia quod veritas affirmat, hoc propheta veritatis negat? Valde nanque inter se diuersa sunt, ipse est: & non sum. Quomodo ergo propheta veritatis est, si eiusdem veritatis sermonibus concors non est? Sed si subtiliter veritas ipsa requiratur, hoc quod inter se contrarium sonuit, quomodo contrarium non sit inuenitur. Ad Zachariam nanque de Ioannis promissione angelus dixit, Ipse præibit ante illum, in spiritu & virtute Eliæ. Qui idcirco venturus in spiritu & virtute Eliæ dicitur, quia sicut Elias secundum domini aduentum præueniet, ita Ioannes præuenit primum. Sicut ille præcursor venturus est iudicis, ita iste præcursor factus est redemptoris. Ioannes igitur in spiritu Elias erat: in persona Elias non erat: Quod ergo dominus fatetur de spiritu, hoc Ioannes denegat de persona. Quia & iustum sic erat vt discipulis dominus spiritualem de Ioanne sententiam diceret & Ioannes idem turbis carnalibus non de suo spiritu, sed de corpore responderet. Contrarium ergo videtur esse veritati quod Ioannes sonuit: sed tamen a veritatis tramite non recessit.

Hæc antiphona dicenda est ad laudes vsque ad vigiliam natiui. exclusiue quando non agitur de sancto Oro.

A Vrem tuam, quæsumus domine, precibus nostris accommoda: & mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Qui viuus. &c. *Ad vespervas an.* O Emmanuel rex, & legifer noster, expectatio gentium, & saluator earum, veni ad saluandum nos, domine Deus noster.

Hæc antiphona dicitur ad vespervas vsque ad vigiliam natiuitatis quando non fit de sancto.

C *Feria secunda, ex Isaia. Lectio. j.*

S ¶Lama, ne cesses, quasi tuba c. 58.
exalta vocem tuam, & an- a
nuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliuimus animas nostras, & nescisti? Ecce, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce, ad lites, & ad contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te. Tunc inuocabis, & dominus exaudiet te clamabis, & dicet, Ecce adsum.] Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest, cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut merides. Et

requiem tibi dabit dominus semper: & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit.

Secundum Lucam. **Lectio. ij.**

ca. 7. **C**Vm autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & saluaret seruum eius. At illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum solícite, dicentes ei, Quia dignus est vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens, domine, noli vexari. Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres, propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus vt venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alio, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Quo audito, Iesus miratus est: & conuersus, sequentibus se turbis dixit, Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni. Et reuersi qui missi fuerant, domum, inuenerunt seruum qui languerat, sanum. Et factum est: deinceps † ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui porta-

bant steterunt. Et ait, Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.]

Tertia lectio quando fit de fer. Sanctam, & desiderabi. vt su. f. 102.

¶ Feria tertia, ex Isaia. **Lectio. j.**

Spiritus domini super me, eo quod vnixerit dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vt prædicarem annum placabilem domino, & diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Et vocabuntur in ea fortes iustitiæ plantatio domini ad glorificandum. Et ædificabunt deserta a seculo: & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas, dissipatas in generationem & generationem. Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra: & filij peregrinorum, agricolæ & vinitores vestri erunt. Vos autem sacerdotes domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis. Pro confusione vestra duplici & rubore laudabunt patrem eorum: propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis: quia ego dominus diligens iudicium, odio habens rapinam in holocaustum. Et dabo opus eorum in veritate: & fœdus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia

c. 61.

isti sunt semen cui benedixit dominus. Gaudens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimentis salutis: & indumento iustitiæ circudedit me, quasi sponsam decoratum corona & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ca. 7. **E**T exijt hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem. Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens, Tu es qui venturus es: an alium expectamus? Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt, Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens, Tu es qui venturus es: an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curauit a languoribus & plagis, & spiritibus malis: & cæcis multis donauit visum. Et respondens dixit illis, Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. Et cum discessissent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas, Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem molibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & delicijs, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? prophetam? Vtique dico vobis & plusquam prophetam. Hic est de quo scriptum est, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui

præparabit viam tuam ante te. Dico enim vobis, maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. Qui autem minor est in regno Dei, maior est illo. Et omnis populus audiens, & publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem & legisperiti, consilium Dei spreuerunt in semetipsos non baptizati ab eo. Ait autem dominus, Cui ergo similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus adinuicem, & dicentibus, Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis. Venit autem Ioannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum: & dicitis, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens: & dicitis, Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum. Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.

Tertia lectio quando agitur de feria.
Audite fratres cha. &c. **vt supra in feria tertia. fol. 104.**

¶ Feria quarta, ex Isaia. Lectio. j.

Ropter Sion non tacebo & c. 62.
propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata: quia complacuit domino in te: & terra tua inhabitabitur: Habitabit enim iuuenis

cum virgine, & habitabunt in te filij tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: tota die & tota nocte perpetuo non tacebunt. Qui reminiscimini domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem in terra. Iurauit dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ, Si dederò triticum tuum vltra cibum inimicis tuis: & si biberint filij alieni vinum tuum in quo laborasti. Quia qui congregabunt illud, comedent, & laudabunt dominum: & qui comportant illud, bibent in atrijs sanctis meis. Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter: & eligite lapides, & eleuate signum ad populos. Ecce dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion, Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus, redempti a domino: Tu autem vocaberis, Quæsita ciuitas, & non derelicta.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

c.7.f **R**†Ogabatur autem illum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & obsculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens, Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum, Si-

mon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Et respondens Simon dixit, Exitimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnixisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbabant, dicere intra se, quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem, Fides tua te saluam fecit: vade in pace.]

Tertia lectio quando fit de feria. Appropinquante. vt sup. fol. 106.

¶ Feria quinta, ex Isaia. Lectio. j.

VTinam dirumperes cœlos, & descenderes: a facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni: vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tua gentes turbarentur. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus. Descendisti & a facie tua montes defluerunt. A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Occurristi lætanti, & facienti iustitiam: in vijs tuis record-

c. 64.

abuntur tui. Ecce, tu iratus es, & peccauimus: in ipsis fuimus semper, & saluabimur. Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Et cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui inuocet nomen tuum: qui consurgat, & teneat te. Abscondisti faciem tuam a nobis, & illusisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et nunc domine, pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris domine satis, & ne vltra memineris iniquitatis: ecce, respice, populus tuus omnes nos. Ciuitas sancti tui facta est deserta. Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nunquid super his continebis te Domine, tacebis & affliges nos vehementer?

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ca. 8. **E**T factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ a spiritibus malignis, & infirmatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis. † Cum autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem, Exijt qui seminat seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram:

& natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas: & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat. Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola, Semen, est verbum Dei. Qui autem secus viam: hi sunt qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram: hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt qui audierunt, & a sollicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram: hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.] Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat. Videte ergo quid audiatis. Qui enim habet, dabitur illi, & quicumque non habet, etiam quod putat se habere auferetur ab illo. Venerunt autem ad illum mater & fratres eius: & non poterant audire eum præ turba. Et nuntiatum est illi, Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre. Qui respondens dixit

C

ad eos, Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.

Tertia lectio quando agitur de feria. Certe si te rex. **vt supra.** fol. 107.

¶ Feria sexta ex Ieremia. Lectio. j.

c. 23.

NÆ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ dicit dominus. Ideo hæc dicit dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum meum, Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait dominus. Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos: & non formidabunt vltra, & non pauebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit dominus. Ecce dies veniunt, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, dominus iustus noster. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit dominus: & non dicent vltra, Viuit dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti: sed, Viuit dominus qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eiecero eos illuc: & habitabunt in terra sua.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

ca. 8.

FActum est autem in vna dierum, & ipse ascendit in nauculam, & discipuli eius: & ait ad illos, Transfretemus transtagnum. Et ascenderunt. Et nauigantibus illis, obdormiuit: & descendit procella venti in stagnum,

& complebantur, & periclitabantur. Accedentes autem, suscitauerunt eum, dicentes Præceptor, perimus. At ille surgens increpauit ventum & tempestatem aquæ: & cessauit, & facta est tranquillitas. Dixit autem illis, Vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt, adinuicem dicentes, Quis putas hic est? quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei? Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is vt vidit Iesum, procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit, Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei altissimi? obsecro te ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserto. Interrogauit autem illum Iesus, dicens, Quod tibi nomen est? At ille dixit, Legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum. Et rogauerunt illum ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum vt permetteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est. Quod vt viderunt factum qui pascebant, fugerunt: & nuntiauerunt in ciuitatem & in villas. Exierunt autem videre quod factum est: & venerunt ad Iesum: & inuenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia ex-

ierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes eius, & timuerunt. Nuntiauerunt autem illis, & qui viderant, quomodo sanus factus fuisset a legione. Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens nauim, reuersus est. Et rogabat illum vir a quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.

Tertia lectio quando agitur fer. Satis abundeque. &c. vt sup. fo. 109.

Notandum, quod in ferijs hebdomadæ sequentis, quo ad tertiam lectionem seruandus est idem ordo, qui seruatus est in præcedentibus ferijs, donec vigilia Natiui. occurrat.

℥ Sabbato, ex Ezechiele. Lectio. j.

- c. 34. **E**T factum est verbum domini ad
a me, dicens: Fili hominis propheta de pastoribus Israel: propheta, & dices pastoribus: Hæc dicit dominus Deus, Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abactum est non reduxistis, & quod perierat non quæsitistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle ex-

celso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat inquam qui requireret. Propterea pastores audite verbum domini, Viuo ego, dicit dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor (neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum: sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant) propterea pastores audite verbum domini: Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos faciam vt vltra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam. †

B

Quia hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas: & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis, & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oues meas: & ego eas accubare faciam, dicit dominus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abactum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue, & forte, custodiam, & pascam illas in iu-

dicio.]

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ca. 8.

FActum est autem: cum redijsset Iesus, excepit illum turba. Erunt autem omnes expectantes eum. Et ecce venit vir cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit dum iret, a turba comprimebatur. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari: accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius: & confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus: Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dicit Petrus, & qui cum illo erant. Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt: & dicis, Quis me tetigit? Et dicit Iesus: Tetigit me aliquis, nam & ego noui virtutem de me exijsse. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei: Filia, fides tua saluam te fecit. Vade in pace. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. Iesus autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ, Noli timere: crede tantum, & salua erit. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quenquam, nisi Petrum: & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit, Nolite flere: non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. Ipse autem

tenens manum eius clamauit, dicens: Puella surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo. Et iussit illi dari manducare. Et stupuerunt parentes eius: quibus præcepit ne alicui dicerent, quod factum erat.

¶ Dominica quarta aduentus, ex Ezechiele. Lectio prima.

Os autem greges mei, Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus & pecus arietum & hircorum. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vstrarum conculcastis pedibus vestris: & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Et oues meæ his quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant. Propterea hæc dicit dominus Deus ad vos: Ecce, ego ipse iudico inter pecus pingue & macilentum. Pro eo quod lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras: saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus. Et suscitabo super ea pastorem vnum, qui pascat ea, seruum meum Dauid: ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem dominus ero eis in Deum: & seruus meus Dauid princeps in medio eorum: ego dominus loquutus sum. Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra: & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. Et ponam eos in circumitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore suo: pluuiæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra sua absque

timore, & scient, quia ego dominus, cum contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi. Et non erunt vltra in rapinam in gentibus, neque bestiae terrae deuorabunt eos: sed habitabunt confidenter absque vllo terrore. Et suscitabo eis germen nominatum: & non erunt vltra imminuti fame in terra, neque portabunt amplius opprobrium gentium: Et scient, quia ego dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israel, ait dominus Deus. Vos autem greges mei, greges pascuae meae homines estis: & ego dominus Deus vester, dicit dominus Deus.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

c.9.a **C**†onuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia daemona, & vt languores curarent. Et misit illos praedicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circumibant per castella euangelizantes, & curantes vbique.]

Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quae fiebant ab eo: & haesitabat, eo quod diceretur a quibusdam: Quia Ioannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero, Quia Elias apparuit, ab alijs autem, Quia propheta vnus de antiquis surrexit. Et ait Herodes, Ioan-nem ego decollau: quis est autem iste de quo ego talia audio? Et quaerebat videre eum. Et reuersi apostoli, nar-rauerunt illi quaecunque fecerunt: & as-

sumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidae. Quod cum cognouissent turbae, secutae sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos qui cura indigebant, sanabat. Dies autem coeperat declinare. Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in castella villasque quae circa sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos, Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plusquam quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. Et ita fecerunt. Et discubuerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, suspexit in coelum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas. Et manducauerunt omnes: & saturati sunt. Et sublatum est quod superfluit illis: fragmentorum cophini duodecim.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

ANno quintodecimo imperij Tiberij ca. 3. Caesaris procurante Pontio Pilato Iudaeam. **Et reliqua.**

Homilia sancti Grego. papae.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles? Quid montium & collium, nisi superbi homines designantur? In aduentu igitur redemptoris nostri valles impletasunt: montes vero, & colles humiliati sunt: quia iuxta vocem eiusdem: omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur. Vallis etenim impleta crescit: mons autem & collis humiliatus decrescit. Quia nimirum

in fide mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu, & gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, & Iudæa per errorem perfidiæ hoc vnde tumberat perdidit. Omnis ergo vallis implebitur: quia corda humilium sanctæ doctrinæ eloquium virtutum gratia replebuntur: iuxta hoc quod scriptum est. Qui emitit fontes in conuallibus. Et vnde rursum dicitur. Et conualles abundabunt frumento, A montibus nanque aqua dilabitur: quia superbas mentes veritatis doctrina deserit: sed fontes in conuallibus surgunt: quia mentes humilium verbum prædicatoris audiunt & accipiunt. Iam videmus, iam conualles frumento abundare conspicimus: quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt: quia mites ac simplices huic mundo despicabiles esse videbantur. Ipsum quoque Ioannem Baptistam, quia mira sanctitate præditum populus viderat, illum hunc esse singulariter celsum ac solidum montem credebatur, de quo scriptum est, In nouissimis dierum erit mons præparatus domus domini in vertice montium. **Oro.**

Excita domine potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute succurre: vt per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret: Qui vi. &c.

¶ Feria. ij. ex Michea. Lectio. j.

ca. 4. **E**T erit in nouissimo dierum mons domus domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite, ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de vijs suis: & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum domini de Ierusalem. Et iudicabit in-

ter populos multos, & corripiet gentes fortes vsque in longinquum: & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltra belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat: quia os domini exercituum loquutum est. Quia omnes populi ambulabunt vnusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine domini Dei nostri in æternum & vltra: In die illa dicit dominus, congregabo claudicantem: & eam quam eieceram colligam, & quam afflixeram, consolabor. Et ponam claudicantem in reliquias: & eam quæ laborauerat, in gentem robustam: & regnabit dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum. Et tu turris gregis nebulosa filia Sion vsque ad te veniet: & veniet potestas prima regnum filiæ Ierusalem. Nunc quare mœrore contraheris? Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perijt: quia comprehendit te dolor sicut parturientem? Dole, & satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque ad Babylonem, ibi liberaberis: ibi redimet te dominus de manu inimicorum tuorum. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur, & aspiciat in Sion oculus noster. Ipsi autem non cognouerunt cogitationes domini, & non intellexerunt consilium eius: quia congregauit eos quasi foenum aræ. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & interficies domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum domino vniuersæ

terræ.

ca. 5. Nunc vastaberis filia latronis: ob-
sisionem posuerunt super nos, in virga
percutient maxillam iudicis Israel. Et
tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in
millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui
sit dominator in Israel: & egressus eius
ab initio a diebus æternitatis.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ca. 9. **E**T factum est: cum solus esset
orans, erant cum illo & discipuli:
& interrogauit illos, dicens: Quem
me dicunt esse turbæ? At illi respon-
derunt & dixerunt. Ioannem Baptis-
tam, alij autem Eliam, alij vero vnus
propheta de prioribus surrexit. Dixit
autem illis, Vos autem quem me esse
dicitis? Respondens Simon Petrus,
dixit, Christum Dei. At ille increpans
illos, præcepit ne cui dicerent hoc,
dicens: Quia oportet filium hominis
multa pati, & reprobari a senioribus,
& principibus sacerdotum & scribis, &
occidi, & tertia die resurgere. Dice-
bat autem ad omnes, Siquis vult post
me venire, abneget semetipsum, & tol-
lat crucem suam quotidie, & sequatur
me. Qui enim voluerit animam suam
saluam facere, perdet illam. nam qui
perdiderit animam suam propter me:
saluam faciet illam, quid enim proficit
homo, si lucretur vniuersum mundum,
seipsum autem perdat, & detrimentum
sui faciat? Nam qui me erubuerit,
& meos sermones, hunc filius homi-
nis erubescet, cum venerit in maies-
tate sua, & patris, & sanctorum angelo-
rum. Dico autem vobis vere, sunt aliqui
hic stantes, qui non gustabunt mortem,
donec videant regnum Dei. Factum est
autem, post hæc verba fere dies octo, &
assumpsit Petrum & Iacobum, & Ioan-
nem, & ascendit in montem vt oraret.
Et facta est, dum oraret, species vul-

tus eius, altera: & vestitus eius, albus
& refulgens. Et ecce, duo viri loque-
bantur cum illo. erant autem Moy-
ses & Elias visi in maiestate: & dice-
bant excessum eius, quem completurus
erat in Ierusalem. Petrus vero, & qui
cum illo erant grauati erant somno. Et
euigilantes, viderunt maiestatem eius,
& duos viros qui stabant cum illo. Et
factum est: cum discederent ab illo, ait
Petrus ad Iesum, Præceptor, bonum est
nos hic esse: & faciamus tria tabernacu-
la, vnum tibi, & vnum Moysi & vnum
Eliæ, nesciens quid diceret. Hæc autem
illo loquente, facta est nubes, & obum-
brauit eos: & timuerunt intransibus il-
lis in nubem. Et vox facta est de nube,
dicens: Hic est filius meus dilectus: ip-
sum audite. Et dum fieret vox, inuen-
tus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt,
& nemini dixerunt in illis diebus quic-
quam ex his quæ viderant.

¶ Fer. iij. ex Sophonia. Lectio. j.

ca. 3. **I**N die illa non confunderis su-
per cunctis adinventionibus tuis,
quibus præuaricata es in me: quia
tunc auferam de medio tui magnilo-
quos superbix tuæ: & non adijcies ex-
altari amplius in monte sancto meo.
Et derelinquam in medio tui populum
pauperem & egenum: & sperabunt in
nomine domini. Reliquiæ Israel non fa-
cient iniquitatem, nec loquentur men-
dacium, & non inuenietur in ore eo-
rum lingua dolosa: quoniam ipsi pas-
centur & accubabunt, & non erit qui
exterreat. Lauda filia Sion, iubila Is-
rael: lætare, & exulta in omni corde
filia Ierusalem. Abstulit dominus iudi-
cium tuum, auertit inimicos tuos: rex
Israel dominus in medio tui, non time-
bis malum vltra. In die illa dicetur
Ierusalem, Noli timere: Sion, non dis-
soluantur manus tuæ. Dominus Deus

tuus in medio tui fortis: ipse saluabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude. Nugas qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant: vt non vltra habeas super eis opprobrium. Ecce, ego interficiam omnes qui affligerunt te in tempore illo: & saluabo claudicantem, & eam, quæ eiecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confusionis eorum. In tempore illo, quo adducam vos, & in tempore, quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cum conuertero captiuitatem vestram coram oculis vestris, dicit dominus.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ca. 9. **F**Actum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te respice in filium meum, quia vnicus est mihi: & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum, & rogauit discipulos tuos vt eijcerent illud: & non potuerunt. Respondens autem Iesus, dixit, O generatio infidelis, & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum: & reddidit illum patri eius. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos, Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos vt non sentirent illud: & timebant eum inter-

rogare de hoc verbo. Intrauit autem cogitatio in eos quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se, & ait illis. Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit, & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est. Respondens autem Ioannes, dixit, Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illum Iesus. Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius: & ipse faciem suam firmavit vt iret in Ierusalem. Et misit nuntios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt parerent illi. Et non receperunt eum: quia facies eius erat euntes in Ierusalem. Cum vidissent autem discipuli eius, Iacobus, & Ioannes, dixerunt, Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis: Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum.

¶ Feria. iiij. ex Aggæo.

Lectio. j.

IN die vigesima & quarta mensis, ca. 2. in sexto mense in anno secundo Darij regis, in septimo mense, vigesima & prima mensis: factum est verbum domini in manu Aggæi prophetæ, dicens. Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens: Quis in vobis est derelictus: qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos vide-

tis hanc nunc: nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel dicit dominus: & confortare Iesu fili Iosedec sacerdos magne, & confortare, omnis populus terræ, dicit dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit dominus exercituum) verbum quod pepigi vobiscum cum egredimini de terra Ægypti: & spiritus meus erit in medio vestrum: nolite timere. Quia hæc dicit dominus exercituum: Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum: dicit dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quam primæ. Et in loco isto dabo pacem: dicit dominus exercituum.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ca. 9. **F**Actum est autem: ambulanti-
bus illis in via, dixit quidam ad illum,
Sequar te quocunque ieris. Dixit illi
Iesus, Vulpes foueas habent, & volucres
cœli nidos: filius autem hominis non
habet vbi caput reclinet. Ait autem
ad alterum. Sequere me. Ille autem
dixit, Domine, permittite mihi primum
ire & sepelire patrem meum. Dixit
que ei Iesus, Sine vt mortui sepeliant
mortuos suos: tu autem vade, & an-
nuntia regnum Dei. Et ait alter, Se-
quar te domine: sed permittite mihi pri-
mum renuntiare his qui domi sunt. Ait
ad illum Iesus, Nemo mittens manum
suam ad aratrum, & respiciens retro,
c.10.a aptus est regno Dei. Post hæc autem
† designauit dominus & alios septu-
agintaduos: & misit illos binos ante
faciem suam in omnem ciuitatem, &

locum quo erat ipse venturus. Et dice-
bat illis, Messis quidem multa: operarij
autem pauci. Rogate ergo dominum
messis, vt mittat operarios in messem
suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut ag-
nos inter lupos. Nolite portare saccu-
lum, neque peram, neque calceamenta,
& neminem per viam salutaueritis. In
quamcunque domum intraueritis, pri-
mum dicite, Pax huic domui, & si ibi
fuerit filius pacis, requiescet super illum
pax vestra: sin autem, ad vos reuerte-
tur. In eadem autem domo manete
edentes & bibentes quæ apud illos sunt
dignus est enim operarius mercede sua.
Nolite transire de domo in domum Et
in quamcunque ciuitatem intraueritis,
& susceperint vos, manducate quæ ap-
ponuntur vobis: & curate infirmos qui
in illa sunt, & dicite illis, Appropin-
quauit in vos regnum Dei. In quam-
cunque autem ciuitatem intraueritis,
& non susceperint vos, exeuntes in
plateas eius, dicite, Etiam puluerem qui
adhæsit nobis de ciuitate vestra, ex-
tergimus in vos. tamen hoc scitote,
quia appropinquauit regnum Dei.] Dico
vobis, quia Sodomis in die illa remis-
sius erit, quam illi ciuitati. Væ tibi
Chorozaïm, væ tibi Bethsaida: quia si
in Tyro, & Sidone factæ fuissent vir-
tutes quæ factæ sunt in vobis, olim
in cilicio & cinere sedentes pœniter-
ent. Veruntamen Tyro, & Sidoni remis-
sius erit in iudicio, quam vobis. Et tu
Capharnaum vsque ad cælum exaltata,
vsque ad infernum demergeris. Qui vos
audit, me audit: & qui vos spernit, me
spernit. Qui autem me spernit, spernit
eum qui misit me.

¶ Feria. v. ex Zacharia. Lectio. j.

ET leuau i oculos meos, & vidi: &
ecce vir, & in manu eius funicu-
lus mensorum. Et dixi, Quo tu vadis?

B

ca. 2.

Et dixit ad me, Vt metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius. Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum eius. Et dixit ad eum, Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait dominus, murus ignis in circuitu & in gloria ero in medio eius. O, o, fugite de terra aquilonis, dicit dominus: quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit dominus. O Sion fuge, quæ habitas apud filium Babylonis, quia hæc dicit dominus exercituum, Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi eius: quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui seruibant sibi: & cognoscetis quia dominus exercituum misit me. Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia dominus exercituum misit me ad te. Et possidebit dominus Iudam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem. Sileat omnis caro a facie domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

c. 10. **Secundum Lucam.**

Lectio. ij.

Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes, Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis, Videbam satanam sicut fulgor de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Veruntamen in

hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. In ipsa hora exultauit spiritu sancto, & dixit, Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic placuit ante te. Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Et nemo scit quis sit filius, nisi pater, & quis sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et conuersus ad discipulos suos, dixit, † Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum, In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus virtutibus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. dixitque illi, Recte respondisti: hoc fac, & viues. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum, Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus, dixit, Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Accidit autem vt Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præteriuit: Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est. Et

appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios: & dedit stabulario, & ait, Curam illius habe: & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit, Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus, Vade, & tu fac similiter.]

¶ *Feria. vj. ex Malachia. Lectio. j.*

c.3.a **E**†Cce ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.] Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit dominus exercituum. Ego enim dominus & non mutor, & vos filij Iacob non estis consumpti. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, & non custodistis. Reuertimini ad me & reuertar ad vos, dicit dominus exercituum. Et dixistis, In quo reuertemur? Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis, In quo configimus te? In dec-

imis, & in primitijs. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum meum: & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit dominus.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

FActum est autem dum irent, & ipse c. 10.
e † intrauit in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait, Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi dominus, Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro, vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit: quæ non auferetur ab ea.]

Et factum est: cum esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus c. 11.
a ex discipulis eius ad eum, Domine, doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos. Et ait illis, Cum oratis, dicite, Pater, sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos, † Quis vestrum habebit amicum, & ibit B ad illum media nocte, & dicet illi, Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: Et ille deintus respondens dicat, Noli mihi molestus esse: iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi. Et si ille

perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut pisces? nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum: nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester coelestis dabit spiritum bonum petentibus se?]

☞ **Sabbato, ex Baruch. Lectio. j.**

ca. 3. **O** Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus. Ibi fuerunt gigantes nominati, illi qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. Non hos elegit dominus, neque viam disciplinæ dedit illis: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Quis ascendit in cœlum, & accepit eam, & deduxit eam de nubibus? Quis transfretauit mare: & inuenit illam, & attulit illam super aurum electum? Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius: sed qui scit vniuersa, nouit eam, & adinuenit eam prudentia sua: qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam bipedibus, & quadrupedibus, qui emittit lumen, & vadit: & vocauit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus. Et

luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

E†T erat eijciens dæmonium: & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, loquutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt, In Beelzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia. Et alij tentantes: signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis, Omne regnum in se diuisum, desolabitur: & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia: filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi, iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulatur per loca inaquosa: quærens requiem. Et non inueniens, dicit, Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se: & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. † Factum est autem, cum hæc diceret, ex-

c. 11.
c

D

tollens vocem quædam mulier de turba dixit illi, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit, Quinimmo, beati qui audiunt verbum
 E Dei, & custodiunt illud.] Turbis autem concurrentibus cœpit dicere, Generatio hæc, generatione quam est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & filius hominis generationi isti. Regina austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt in prædicationem Ionæ. Et ecce plus quam Ionas hic.

☩ **Dominica prima post aduentum.**

Notandum, quod in hac dominica semper fit officium de festo in ea incidenti: siue sit duplex, siue simp. & si nullum incidit festum, agitur de oct. natiui.

☩ **Liber Prouerborum.** **Lectio. j.**

ca 1.

Arabolæ Salomonis filij Dauid Regis Israel: ad sciendam sapientiam & disciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiam, & iudicium, & æquitatem, vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia & intellectus. Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientum, & enigmata eorum. Timor domini, principium sapientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Fili mi, si

te lactauerint peccatores, ne acquiescas. Si dixerint. Veni nobiscum, insidiamur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs. Sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum. Fili mi ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem. Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas: Sic semitæ omnis auari, animas possidentium rapiunt.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum: erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se: Iesus autem ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait dominus ad illum, Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam

c. 11.

id quod deintus est, fecit? Veruntamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. Sed vae vobis Pharisæis, quia decimatis mentam & rutam & omne olus: & præteritis iudicium & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Vae vobis Pharisæis quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Vae vobis quia estis vt monumenta quæ non parent, & homines ambulantes supra, nesciunt. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi, Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. At ille ait, Et vobis legisperitis vae: quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Vae vobis qui ædificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos: profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident & persequentur: vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista, a sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. Vae vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius, vt accusarent eum.

☞ **Tertia lectio & oratio huius Dominicæ**

dicuntur in trigesimo die Decemb. quo die fit officium de octa. Natiui. vt ibi videbis. Et ideo quando celebratur aliquod festum in hac dominica, nulla fieri debet commemo. de ea in laud. & vesper.

☞ **Feria secunda, ex Prouerbijs Salomonis. Lectio prima.**

Sapientia foris prædicat, in plateis ca. 1. dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbs profert verba sua, dicens: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt, & imprudentes odibunt scientiam? Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum: & ostendam vobis verba mea. Quia vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia: tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consilijs saturabuntur. Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

Multis autem turbis concurrentibus, ita vt seinuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos. c. 12.

† Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil enim operatum est, quod non reueletur, neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem loquuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus: & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timeate. Nonne quinque passeress vaneunt dipondio: & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis. Dico autem vobis, omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.]

B Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus & potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? Dixitque ad illos. Videte & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis

Avberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se dicens: Quid faciam? quia non habeo quo congregam fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.

☩ *Feria. iij ex Proue. Salo. Lectio j.*

Flli mi, si susceperis sermones meos: & mandata mea absconderis penes te, vt audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem domini, & scientiam Dei inuenies: quia dominus dat sapientiam: & ex ore eius prudentia & scientia. Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter, seruans semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodiens. Tunc intelliges iustitiam & iudicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam. Si intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit: consilium custodiet te, & prudentia seruabit te, vt eruaris a via mala, & ab homine qui peruersa loquitur. Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum. Vt eruaris a muliere aliena, & ab extranea quæ mollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis suæ, &

ca. 2.

pacti Dei sui oblita est: (inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos semitæ ipsius: omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.) Vt ambules in via bona, & cales iustorum custodias Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea. Impij vero de terra perdentur, & qui inique agunt, auferentur ex ea.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

c. 12. **D**ixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis: neque corpori quid induamini. Anima plus est quam esca: & corpus plus quam vestimentum. Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum est potestis: quid de cæteris solliciti estis? Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis, neque Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. Si autem fœnum quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos, pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli, hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit, quoniam his indigetis: veruntamen quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quo

fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos, similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur a nuptijs: vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se: & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret: vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.

¶ **Feria quarta, ex Prouerbijs Salomonis.** Lectio prima.

Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ & præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Misericordia & veritas te non deserant, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui: & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. Habe fiduciam in domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud te ipsum. Time dominum, & recede a malo: sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. Honora dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus. & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Disciplinam domini, fili mi, ne abijcias, nec deficias cum ab eo corripieris: quem

ca. 3.

enim diligit dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. † Beatus homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & auro primo fructus eius. Pretiosior est cunctis opibus: & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria. viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ, lignum vitæ est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam beatus. Dominus sapientia fundauit terram, stabiliiuit cœlos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore concreuerunt.]

Secundum Lucam. Lectio. ij.

c. 12. **A** It autem ei Petrus, Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Dixit autem dominus, Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore, tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus, inuenerit ita facientem, vere dico vobis quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit seruus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. Ille autem seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius: vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis: vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Ignem veni

mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur? Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis: sed separationem: erunt enim ex hoc, quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres: diuentur pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. Dicebat autem & ad turbas, Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, Nimbus venit: & ita fit, & cum austrum flantem: dicitis, Quia æstus erit: & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & a vobisipsis non iudicatis quod iustum est? Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

¶ Feria quinta, ex Prouerbijs Salomonis. Lectio prima.

Flli mi, ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legem atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: si dormieris, non timebis: quiesces, & suavis erit somnus tuus. Ne pau eas repentino terrore, & irruentes tibi ruinas impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris. Noli prohibere benefacere eum qui potest. si vales, & ipse benefac. Ne dicas amico tuo: Vade, & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare. Ne moliaris amico tuo

malum, cum ille in te habeat fiduciam. Ne contendas aduersus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit. Ne æmuleris hominem iniustum, nec imiteris vias eius: quia abominatio domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius. Egestas a domino in domo impij, habitacula autem iustorum benedicentur. Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia. Audite filij disciplinam patris, & attendite, vt sciatis prudentiam. Donum bonum tribuam vobis. legem meam ne derelinquatis. nam & ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea: & docebat me, atque dicebat, Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & viues. Posside sapientiam, posside prudentiam. Ne obliuiscaris: neque declines a verbis oris mei. Ne dimittas eam: & custodiet te: dilige eam, & conseruabit te.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

- c. 13. **A** Derant autem quidam ipso in tempore nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. Et respondens dixit illis, Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Sicut illi decem & octo supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non dico vobis: sed si poenitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis. Dicebat autem & hanc similitudinem. † Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad

cultorem vineæ, Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac: & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi. Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, quam cum videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi, Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem archi synagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ, Sex dies sunt in quibus oportet operari. in his ergo venite & curamini: & non in die sabbati. Respondens autem ad illum dominus, dixit, Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum a præsepio, & ducit adquare? hanc autem filiam Abrahæ quam alligauit satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui a vinculo isto die sabbati? Et cum hæc diceret, erubescant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosæ fiebant ab eo.]

☞ Feria. vj. ex prouer. Salo. Lectio. j.

P Rincipium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua acquire prudentiam. arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Audi fili mi, & suscipe verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ. viam sapientiæ monstrauit tibi,

ca. 4.

& duxi te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere eam. non enim dormiunt, nisi malefecerint: & rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. Iustorum autem semita, quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant. Fili mi, ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam, ne recedant ab oculis tuis: custodi ea in medio cordis tui, vita enim sunt inuenientibus ea, & vniuersæ carni sanitas. Omni custodia serua cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Remoue a te os prauum, & detrahentia labia sint procul a te. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis: & omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram. Auerte pedem tuum a malo: vias enim quæ a dextris sunt, nouit dominus: peruersæ vero sunt, quæ a sinistris sunt: ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

- c. 13. **D**Icebat ergo, Cui simile est regnum Dei: & cui simile æstimabo illud? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit: & factum est in arborem magnam, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius. Et iterum dixit, Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermentum quod acceptum mulier ab-

scondit in farinæ sata tria donec fermentaretur totum. Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Ierusalem. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos. Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cum autem intrauerit paterfamilias & clauserit ostium, & incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes, Domine aperi nobis, & respondens dicet vobis, Nescio vos vnde sitis: tunc incipietis dicere, Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis. Nescio vos vnde sitis, discedite a me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentium: cum videritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab oriente: & occidente & aquilone & austro: & accumbent in regno Dei. Et ecce, sunt nouissimi, qui erunt primi: & sunt primi, qui erunt nouissimi. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi, Exi & vade hinc: quia Herodes vult te occidere. Et ait illis, Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor. Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Ierusalem. Ierusalem Ierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti? ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat cum dicetis, Benedictus qui venit in nomine domini.

¶ Sabbato, ex Proue. Salo. Lectio. j.

ca. 5. **F**illi mi, attende ad sapientiam meam: & prudentiæ meæ inclina aurem tuam: vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent. Ne intenderis fallaciæ mulieris. fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absynthium: & lingua eius acuta quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles. Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas a verbis oris mei. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli: ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas & corpus tuum, & dicas. Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam? Pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ & synagogæ. Bibe aquam de cisterna tua: & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore, & in amore eius delectare iugiter. Quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius? Respicit dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur: quia non habuit disciplinam, & in multitudine

stultitiæ suæ decipietur.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ET factum est: cum introisset c. 14. a Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem: & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos & Pharisæos, dicens, Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum: ac dimisit. Et respondens ad illos dixit, Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet: & non continuo extrahet illum die sabbati? & non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos. Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo: & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere, sed cum vocatus fueris, vade, & recumbe in nouissimo loco: vt cum venerit qui te inuitauit: dicat tibi, Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.] Dicebat autem & ei qui se inuitauerat, **B** Cum facis prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio: sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi, Beatus qui manducabit panem in regno Dei. At ipse

C dixit ei. † Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent: quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei, Villam emi: & necesse habeo exire & videre illam: rogo te, habe me excusatum Et alter dixit, Iuga boum emi quinque: & eo probare illa, rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit, Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus nuntiauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo, Exi cito in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus, Domine, factum est vt imperasti: & adhuc locus est. Et ait dominus seruo, Exi in vias & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.]

¶ **Dominica secunda post aduentum.**

Notandum quod in hæc dominica si inciderit ante Epiphaniam, autem in ipso die epiphaniæ, non debet fieri officium nec commemo. de ea sed de octaua: nec habet aliud præter primam & secundam lectionem.

Ex prouerbij Salomonis. Lectio. j.

ca. 6. **F**ili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis. Vade ad formicam o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ

cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Vsquequo piger dormies? quando consurges e somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longe fugiet a te. Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. huic extemplo veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit vltra medicinam. Sex sunt quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

IBant autem turbæ multæ cum eo: c. 14. & conuersus dixit ad illos, Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes, Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis rex

iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Bonum est sal. Si autem sal euauerit, in quo condiatur? Neque in terram, neque in sterquilinum vtile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

c. 15. † Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes, Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens, Quis ex vobis homo qui habet centum oves, & si perdidit vnâ ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis. Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem: si perdidit drachmam vnâ, nonne accendit lucernam & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cum inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens, Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.]

☩ Si hæc dominica incidit infra oc-

tauam eph. tertia lectio erit. Cum factus esset Iesus. &c. Oro. Vota quæsumus. quas inuenies in proxima sequenti dominica.

☩ Feria secunda, ex Prouerbijs Salomonis. Lectio prima.

ca. 6. **C**onserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. Cum ambulaueris, gradientur tecum: cum dormieris, custodiant te, & euigilans loquere cum eis. quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ, vt custodiant te a muliere mala, & a blanda lingua extraneæ. Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius. pretium enim scorti vix est vnus panis: mulier autem viri pretiosam animam capit. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, & non comburentur plantæ eius? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet, & liberabit se: Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. quia zelus & furor viri non parcat in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

c. 15. **A**It autem, † Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri, Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.

Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In se autem reuersus, dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereor? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum, Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Isque dixit illi, Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. In-

dignatus est autem: & nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo, Ecce tot annis seruo tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi, Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est.]

☩ *Feria tertia, ex Prouerbijs Salomonis.*
Lectio prima.

Flli mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili, honora Dominum, & valebis: præter eum vero ne timueris alienum. Serua mandata mea, & viues: & legem meam quasi pupillam oculi tui: liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. Dic sapientiæ, Soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiant te a muliere extranea, & ab aliena quæ verba sua dulcis facit. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos. Considero vecordem iuuenem, qui transit per plateas iuxta angulum, & prope viam domus illius graditur in obscuro, aduesperascente die, in noctis tenebris, & caligine: & ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Apprehensumque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens, Victimam pro salute deuoui, hodie reddidi vota mea, idcirco egressa

ca. 7.

sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum meum, strauitapetibus pietis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha & aloe, & cinnamomo. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. non est enim vir in domo sua, abijt via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ Lunæ reuersurus est in domum suam. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo fili mi, audi me: & attende verbis oris mei. Ne abstrahatur in vijs illius mens tua, neque decipiaris semitis eius. multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

- c. 16. **D**Icebat autem & ad discipulos suos.
 a † Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illum, & ait illi, Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se, Quid faciam? quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo, Quantum debes domino, meo? At ille dixit, Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe

cautionem tuam: & sede, cito scribe quinquaginta. Deinde alij dixit, Tu vero quantum debes? Qui ait, Centum coros tritici. Ait illi, Accipe litteras tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.] Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est quis dabit vobis? Nemo seruus potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. non potestis Deo seruire & mammonæ.

¶ **Feria quarta, ex Prouerbijs Salomonis.** Lectio prima.

NVnquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam? ca. 8.
 In summis excelsisque verticibus supra viam, in medijs semitis stans, iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur, dicens, O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli astutiam: & insipientes animaduertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: & aperientur labia mea, vt recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum. Recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam. Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite. Me-

B

lior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile, ei non potest comparari. Ego sapientia habito in consilio, & eruditus intersum cogitationibus. Timor domini odit malum: arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor. Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

c. 16. **A** Vdiebant autem omnia hæc Pharisæi qui erant auari: & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra. quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Lex & prophetæ, vsque ad Ioannem, ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit. Facilius est autem cælum & terram præterire, quam de lege vnum apicem cadere. Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.

C † Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus: cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abraham. Mortuus est autem & diues: & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intin-

gat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris: & in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & prophetas: audiant illos. Et ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi, Si Moysen & prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.]

¶ Feria quinta, ex Prouerbijs Salomonis. Lectio prima.

EGo diligentes me diligo: & qui ca. 8. mane vigilant ad me, inuenient me. Mecum sunt diuitiæ & gloria: opes supernæ & iustitia. Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina me argento electo. In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. † Dominus B possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant. Necdum montes graui mole constiterant: ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præ- B parabat cœlos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos: quando

æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum: & delitiæ meæ, esse cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem a domino:] qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.

Secundum Lucam. **Lectio. ij.**

- c. 17. **E**T ait ad discipulos suos, Impossibile est vt non veniant scandala: Væ autem illi per quem veniunt. vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & projiciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis. Attendite vobis. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens: Pœnitet me: dimitte illi. Et dixerunt apostoli domino, Adauge nobis fidem. Dixit autem dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare & transplantare in mare: & obediet vobis. Quis autem vestrum habens seruum arantem, aut pascentem boues, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe: & non dicit, Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam,

& post hæc tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. † Et factum est: dum iret in Ierusalem, B transibat per mediam Samariam, & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe: & leuauerunt vocem: dicentes: Iesu præceptor miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent: mundati sunt. Vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est: regressus est cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens ei, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.]

¶ Feria sexta, ex Prouerbijis Salomonis.
Lectio prima.

Sapientia ædificauit sibi domum, exca. 9. cidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est, Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Relinquire infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat: Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, & diliget te. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapien-

tia. Doce iustum, & festinabit accipere. Principium sapientiæ, timor domini: & scientia sanctorum, prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & ad dentur tibi anni vitæ. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum. Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco, vt vocaret transeuntes per viam, & pergentes in itinere suo. Qui est paruulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est: aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Et ignorauit, quod ibi sint gigantes, & in profundis inferni coniuuæ eius. Qui enim applicatur illi, descendet ad inferos: nam qui abscesserit ab ea, saluabitur.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

- c. 17. **I**nterrogatus autem a Pharisæis quando veniet regnum Dei: respondens eis dixit, Non veniet regnum Dei cum obseruatione, neque dicent: Ecce hic aut ecce illic: Ecce enim regnum Dei intra vos est. Et ait ad discipulos suos. Venient dies quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Et dicent vobis: Ecce hic & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini, nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari a generatione hac. Et sicut factum est in diebus Nœ: ita erit & in diebus filij hominis. Edebant, & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Nœ in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant: qua die autem exijt Loth

a Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit qua die filius hominis reuelabitur. In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote vxoris Loth: Quicumque quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam, & quicumque perdidit illam, viuificabit eam. Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur. duæ erunt molentes in vnum: vna assumetur, & altera relinquetur. Duo in agro: vnus assumetur, & alter relinquetur. Respondentes dicunt illi: Vbi Domine? Qui dixit illis, Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

¶ Sabbato Ecclesiastes.

Lectio. j.

Verba Ecclesiastæ filij Dauid regis Ierusalem. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole? Generatio præterit. & generatio aduenit: terra autem in æternum stat. Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, lustrans vniuersa, in circuitu pergat spiritus, & in circulos suos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur: vt iterum fluant. Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce, hoc recens est: iam enim præcessit in seculis,

quæ fuerunt ante nos. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in nouissimo. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Ierusalem, & proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum: vt occuparentur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole: & ecce vniuersa vanitas: & afflictio spiritus. Peruersi difficile corriguntur: & stultorum infinitus est numerus.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

- c. 18. **D**icebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa: & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se. Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Ait autem dominus: Audite quid Iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte: & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? † Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, dicens, Duo homines ascende-
B bant in templum vt orarent, vnus Pharisæus & alter publicanus. Pharisæus, stans, hæc apud se orabat, Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæ-

teri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus, ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.] Afferebant autem ad illum & infantes, vt eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Iesus autem conuocans illos, dixit, Sinite pueros venire ad me: & nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

¶ Dominica tertia post Aduentum.

Liber sapientiæ.

Lectio prima.

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum: Peruersæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes, quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superueniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum a labijs suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor. Quoniam spiritus domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur

C

ca. 1.

iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia: & tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, & a detractioe parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt essent, omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est, & immortalis: iniustitia autem, mortis est acquisitio: impij autem manibus & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam, defluerunt, & sponsiones posuerunt ad illam quoniam digni sunt, qui sunt ex parte illius.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

- c. 18. **E**T interrogauit eum quidam Prind
D **E**ceps, dicens, Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? Dixit autem ei Iesus, Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. Mandata nosti? Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum, & matrem. Qui ait. Hæc omnia custodiui a iuuentute mea. Quo audito Iesus ait ei, Adhuc vnum tibi deest: omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me. His ille auditis contristatus est: quia diues erat

valde. Videns autem Iesus, illum tristem factum, dixit: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Facilius est enim, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei. Et dixerunt qui audiebant, Et quis potest saluus fieri? Ait illis, Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ait autem Petrus, Ecce, nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Qui dixit eis, Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam. † Assumpsit autem Iesus **E** duodecim, & ait illis, Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat, Fili Dauid, miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, vt videam. Et Iesus dixit illi, Respice: fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur

illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.]

¶ Aduertendum est, quod in anno in quo epiphania Domini incidit in die sabbati: hæc dominica erit secunda post epiphaniam, & hunc (vt Breuiarium concordet cum Missali) tertia lectio erit. In illo tempore Nuptiæ factæ sunt. &c. Oratio. Omnipotens. &c. quas inuenies in dominica prima Vagantium. In alijs autem annis semper hæc Dominica erit infra octauam Epiphaniæ, & sic tertia lectio, & oratio erunt infrascriptæ.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

ca. 2. **C**vm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendit illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi.

Et reliqua. Homilia Origenis.

Puer Iesus crescebat, & confortabatur, & replebatur sapientia. Hoc hominum natura non recipit, vt ante duodecim annos sapientia compleatur. Aliud est enim potestate habere sapientiæ: aliud sapientia esse completum. Non ambigamus ergo, diuinum aliquid in Iesu carne apparuisse: & non solum super hominem: sed super omnem quoque rationabilem creaturam crescebat. Humiliauerat enim se formam serui accipens: & eadem virtute, qua se humiliauerat, crescebat. Apparuerat infirmus, quia infirmum corpus assumpserat: & ob id iterumque confortabatur. Et euacuauerat se filius Dei: & propterea rursus complebatur sapientia: & gratia Dei erat super eum: non quando venit ad adolescentiam: non quando manifeste docebat, sed adhuc cum esset paruulus, habebat gratiam Dei. Et quomodo omnia in illo mirabilia fuerunt: ita in pueritia mirabilis fuit vt Dei sapientia comple-

tur. Ibant itaque parentes eius iuxta consuetudinem in Ierusalem, ad solennem diem Paschæ. Et cum factus esset Iesus annorum duodecim. Diligenter obserua. Priusquam duodecim esset annorum, sapientia Dei, & cætera quæ scripta sunt de eo, complebantur. Cum ergo (vt diximus) duodecim esset annorum, & iuxta morem dies solennitatis expleti essent: & reuerterentur parentes cum infantulo Iesu: remansit puer in Ierusalem, & nesciebant parentes eius. Oratio.

VOta quæsumus domine supplicantis populi cœlesti pietate prosecute: vt & quæ agenda sunt, videant, & ad implenda quæ viderint conualescant. Per dominum nostrum.

¶ Feria secunda, ex libro sapientiæ. Lectio prima. Hic omittitur cap. ij. quia maior pars eius ponitur in dominica de Passione.

I†Vstorum animæ in manu Dei sunt, ca. 3. & non tangent illos tormentum a mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum. Et ab itinere iusto abierunt in exterminium, & quod a nobis est iter exterminij: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrunt. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis: & regnabit dominus illorum in perpetuum.] Qui confidunt B in illo: intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam

donum & pax est electis eius. Impij autem secundum quæ cogitauerunt correptionem habebunt: qui neglexerunt iustum, & a domino recesserunt. Sapientiam enim & disciplinam qui abiicit, infelix est, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Mulieres eorum insensatæ sunt & nequissimi filij eorum. Maledicta creatura eorum: quoniam felix est sterilis, & in coinquinata, quæ nesciuit torum in delicto habebit fructum in respectione animarum sanctarum, & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ. Filij autem adulterorum in inconsummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

- c. 19. **E**[†]T ingressus, perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues: & quærebat videre Iesum quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes mur-

murabant, dicentes quod ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum. Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudauit, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum, Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod & ipse filius sit Abraham. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.] Hæc illis audientibus adjiciens, dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem, & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. Dixit ergo, Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos, Negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accepto regno: & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi, Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates: Et alter venit, dicens, domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait, Et tu esto super quinque ciuitates. Et alter venit, dicens, domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario, timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei, De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quod ego homo austerus sum: tollens quod non posui, & metens quod non seminavi, & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum

vsuris vtique exegissem illam? Et astantibus dixit. Auferte ab illo mnas, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei, Domine habet decem mnas. Dico autem vobis quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc: & interficite ante me.

☞ **Fer. iij. ex libro sapientiæ. Lectio. j.**

ca. 4.

O Quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Cum præsens est, imitantur illam: & desiderant eam cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoquinatorum certaminum præmium vincens. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita, a vento commouebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitie aduersus parentes in interrogatione sua. † Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis: & ætas senectutis, vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona: & inconstantia concu-

piscentie transuertit sensum sine malitia. Consummatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordijs talia, quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos eius, & respectus in electos illius.] Condemnat autem iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare minuerit illum dominus. Videbunt enim, & contemnent eum. Illos autem dominus irridebit, & erunt post hæc decedentes sine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam dirumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos a fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum periet Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traduent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

ET his dictis præcedebat ascendens Ierosolymam. Et factum est: cum appropinquasset ad Bethphage: & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliueti, misit duos discipulos suos, dicens, Ite in castellum quod contra vos est: in quod introeuntes inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum sedit: soluite illum, & adducite. Et siquis vos interrogauerit. Quare soluitis? sic dicetis ei, Quia dominus operam eius desiderat. Abierunt autem qui missi erant: & inuenerunt sicut dixit illis, stantem pullum. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos,

D

c. 19.

Quid soluitis pullum? At illi dixerunt, Quia dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Iesum. Et iacentes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum. Eunte autem illo substernebant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis. Oliueti: cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis. Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum, Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait, Dico vobis, quia si hi tacuerint, C lapides clamabunt. † Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens, Quia si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum cœpit eijcere vendentes & ementes, dicens illis, scriptum est, Quia domus mea, domus orationis est: Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat D docens quotidie in templo.] Principes autem sacerdotum, & scribæ & princeps plebis quærebant illum perdere: & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

☩ **Feria. iiij. ex lib. sapientiæ. L. j.**

c.5.a **T**†Vnc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt & qui abstulerunt labores

eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitane insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes, Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.] Ergo errauimus a via veritatis, & B iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire neque semitam carinæ illius in fluctibus, aut tanquam auis quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aerem commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum: diuisus aer continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius: sic & nos nati continuo desiuiumus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt: quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur: & tan-

quam fumus qui a vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

c. 20. **E**T factum est: in vna dierum docente illo populum in templo & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum & scribæ cum senioribus, & aiunt dicentes ad illum. Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit ad illos, Interrogabo vos & ego vnum verbum. Respondete mihi, Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes, Quia si dixerimus, De cælo, dicet, Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus: plebs vniuersa lapidabit nos: certi sunt enim Ioannem prophetam esse. Et responderunt se nescire vnde esset. Et Iesus ait illis, neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. Cœpit autem dicere ad plebem. parabolam hanc, Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipse peregre fuit multis temporibus, Et in tempore misit ad cultores, seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere.

Illi autem hunc quoque cædentes & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere, qui & illum vulnerantes eiecerunt. Dixit autem dominus vineæ, Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur. Quem cum vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicentes, Hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas. Et eiectum illum extra vineam occiderunt. Quid ergo fa-

ciet illis dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam alijs. Quo audito, dixerunt illi, Absit. Ille autem aspiciens eos, ait, Quid est ergo hoc quod scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum. Et quærebant principes sacerdotum & scribæ mittere in illum manus illa hora, & timuerunt populum: cognouerunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc. Et obseruantes miserunt insidiatores qui se iustos simularent: vt caparent eum in sermone, vt traderent illum principatui & potestati præsidis. Et interrogauerunt eum, dicentes, Magister, scimus quia recte dicis & doces, & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces, licet nobis tributum dare Cæsari, an non? Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos, Quid me tentatis? ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei, Cæsaris. Et ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei: Deo. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius, tacuerunt.

¶ **Feria. v. ex lib. sapientiæ. L. j.**

IVsti autem in perpetuum viuunt, & apud dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum. Ideo accipient regnum decoris & diadema speciei de manu domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scu-

ca. 5.

tum inexpugnabile, æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, & tanquam a bene curato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos: & ad eremum perducat omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet sedes potentium.

ca. 6. Melior est sapientia quam vires, & vir prudens, quam fortis. Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his qui præsent, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

c. 20. **A**ccesserunt autem quidam Sadducæorum qui negant esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes, Magister, Moyses scripsit no-

bis: Si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem, & hic sine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorem, & suscitet semen fratri suo. septem ergo fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus est sine filijs: Et sequens accepit illam: & ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem: & non reliquerunt semen, & mortui sunt. Nouissime omnium, mortua est & mulier. In resurrectione ergo, cuius eorum erit vxor? siquidem septem habuerunt eam vxorem. Et ait illis Iesus. Filij huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi vero qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores, neque vltra mori potuerunt: æquales enim angelis sunt: & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Quia vero resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit, dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum sed viuorum. omnes enim viuunt ei. Respondentes autem quidam scribarum, dixerunt ei, Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare. Dixit autem ad illos, Quomodo dicunt Christum, filium esse Dauid: & ipse Dauid dicit in libro Psalmorum, dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Dauid ergo dominum illum vocat: & quomodo filius eius est? Audiente autem omni populo dixit discipulis suis, Attendite a Scribis qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiujs, qui deorant domos viduarum: simu-

lantes longam orationem. Hi accipient damnationem, maiorem.

☞ Fer. vj. ex lib. sapientiæ. Lectio. j.

ca. 6.

AD vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iustitiam, iuste iudicabitur: & qui didicerint iusta, inuenient quid respondeant. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam. Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia: & facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam, cito securus erit. Quoniam dignos se, ipsa circumit quærens, & in vijs ostendit se hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis. Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia. Cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio, custodia legum illius est: custodia autem legum, consummatio incorruptionis est: incorruptio autem, facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus, & sceptris, o Reges populi, diligite sapientiam: vt in perpetuum regnetis. diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis. Quid est autem sapientia, & quemadmodum facta sit, referam: & non abscondam a vobis sacramenta Dei, sed ab initio natiuitatis inuestigabo, & ponam in lucem scientiam illius & non præteribo veritatem, neque quidem cum inuidia tabescente iter habebō: quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. Multitudo autem sapientium,

sanitas est orbis terrarum: & rex sapiens, populi stabilimentum est. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

REspiciens autem, vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperulam mittentem æra minuta duo. Et dixit, Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes misit. nam omnes hi, ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit misit. Et quibusdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit:, Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Interrogauerunt autem illum, dicentes, Præceptor, quando hæc erunt: & quod signum cum fieri incipient? Qui dixit, Videte ne seducamini. multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & tempus appropinquauit, nolite ergo ire post eos. Cum autem audieritis prælia & seditiones, nolite terri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis, Surget gens contra gentem, & regnum aduersus, regnum, & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentia & fames, terroresque, & signa de cælo magna erunt: Sed ante hæc omnia, iniicient vobis manus suas: & persequentur tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides propter nomen meum continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis: ego enim dabo vobis os & sapientiam: cui non poterunt contradicere, & resistere

c. 21.

omnes aduersarij vestri. Trademini autem a parentibus & fratribus & cognatis & amicis: & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus propter nomen meum: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra, possidebitis animas vestras.

☩ **Sabbato, ex lib. sapientiæ. L. j.**

ca. 7. **S**Vm quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis & delectamento somni conueniente. Et ego natus accepi communem ærem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius: super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam quoniam bonorum omnium mater est. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt

amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati.

Secundum Lucam.


Lectio. ij.

CVm autem videbitis circundari ab exercitu Ierusalem: tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius: tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies ultionis hi sunt: vt impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram: & ira populo huic. Et cadent in ore gladij: & captiui ducuntur in omnes gentes: & Ierusalem calcabitur a gentibus: donec impleantur tempora nationum. † Et erunt signa in Sole & Luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. nam virtutes cœlorum mouebuntur: & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, suspicite & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores: cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.] Attendite autem vobis ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Vig-

ilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti. Et omnis populus mane ibat ad eum in templo audire eum.

¶ **Notandum, quod si Dominica statim sequens non fuerit Septuagesima, legendum est per ordinem de infrascriptis Vagantibus, quousque Septuagesima occurrat, qua occurrente cessabunt tunc, quæ superfuerint Vagantes, & dicentur post Pentecostem ordine ibi assignato.**

¶ **Dominica prima Vagantium Ecclesiasticus, Lectio prima.**

ca. 1.  Mnis sapientia a domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit? Altitudinem coeli & latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inuestigauit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. Radix sapientiæ, cui reuelata est, & astutias illius quis agnouit? Disciplina sapientiæ cui reuelata est, & manifestata? & multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Vnus est altissimus creator omnium, omnipotens & rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius & dominans Deus. Ipse creauit illam in spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se. Timor domini gloria,

& gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor domini delectabit cor, & dabit lætitiã, & gaudium & longitudo dierum. Timenti dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Dilectio Dei, honorabilis sapientia. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in agnitione magnalium suorum. Initium sapientiæ, timor domini, & cum fidelibus in vulua concreatus est, & cum electis fœminis graditur: & cum iustis & fidelibus agnoscitur. Timor domini, scientiæ religiositas. Religiositas custodiet, & iustificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit.

Epistola Pauli ad Galatas L. ij.

PAulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem qui suscitauit eum a mortuis, & qui mecum sunt omnes fratres, ecclesijs Galatiæ, gratia vobis & pax a Deo patre nostro & domino Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsentis seculo nequam secundum voluntatem Dei & patris nostri, cui est gloria in secula seculorum. Amen. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant & volunt conuertere euangelium Christi. Sed licet nos, aut angelus de coelo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus & nunc iterum dico: Siquis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. † Notum enim vobis fa-

ca. 1. B

cio fratres euangelium quod euangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per reuelationem Iesu Christi. Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus: continuo non acquieui carni & sanguini. Neque veni Ierosolymam ad antecessores meos apostolos: sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum: & mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini. Quæ autem scribo vobis: ecce coram Deo, quia non mentior.] Deinde veni in partes

Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo. Tantum autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: & in me clarificabant Deum.

☩ **Notandum, quod hæc Dominica quando interponitur post Pentecosten, præter primam & secundum lectionem nihil aliud habet, quia cætera dicenda sunt de festo duplici, seu octaua tunc occurrenti.**

☩ **Quando vero fit officium de hac Dominica ante Septuagesimam, tunc aduertendum est, quod in anno in quo**

Epiphania Domini venerit in die Sabati, dicenda est hic tertia lectio. In illo tempore, cum descendisset Iesus. & oratio. Omnipotens. &c. quas inuenies in Dominica secunda Vagantium. In alijs autem annis semper in hac dominica dicendæ sunt tertia lectio & oratio infrascriptæ.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias: & deficiente vino dicit mater eius ad eum: vinum non habent. **Et reliqua. Homilia sancti Augusti. episcopi.**

Adsit dominus Deus noster: vt donet nobis reddere quod promisimus. Hesterno enim die, si meminit sanctitas vestra, cum temporis excluderemur angustia, ne sermonem inchoatum impleremus, in hodiernum distulimus: vt ea quæ in hoc facto euangelicæ lectionis mystice in sacramentis posita essent, ipso adiuuante aperirentur. Non itaque opus est iam orari diutius in commendando miraculo Dei. Ipse est enim Deus, qui per vniuersam creaturam quotidiana miracula facit: quæ hominibus non facilitate, sed assiduitate viluerunt. Rara autem quæ facta sunt ab eodem domino, id est a verbo propter nos incarnato, maiorem stuporem hominibus attulere. Non quia maiora erant quam sunt ea quæ quotidie in creatura facit: sed quia ista, quæ quotidie fiunt, tanquam naturali cursu peraguntur. Illa vero efficaciam potentiæ tanquam præsentis exhibuisse videntur oculis hominum. Diximus, sicut meministis: resurrexit vnus mortuus: obstupuerunt omnes: cum quotidie nasci, qui non erant, nemo miretur. Sic aquam in vinum uersam quis

non miretur? cum hoc annis omnibus, Deus in vitibus faciat? Sed quia omnia quæ fecit dominus Iesus, non solum valent ad excitanda corda nostra miraculis, sed etiam ad ædificandam doctrinam fidei: scrutari nos oportet quid sibi velint illa omnia, id est, quid significant. Horum enim omnium significationes, sicut recordamini, in diem hodiernum distulimus. Quod autem dominus inuitatus venit ad nuptias: etiam excepta mystica significatione confirmare voluit quod ipse fecit. Futuri enim erant de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, & dicentes quod malum essent nuptiæ, & quod diabolus eas fecisset: cum idem Dominus in euangelio interrogatus, vtrum liceat homini dimittere vxorem suam ex qualibet causa, responderit, non licere, excepta causa fornicationis. In qua responsione, si meministis, hoc ait, Quod Deus coniunxit, homo non separet. **Oratio.**

OMnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul & terrena moderatis, supplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam nostris concede temporibus. Per.

¶ Fer. ij. ex Ecclesiastico. Lectio. j.

ca. 1. **T**imenti Deum bene erit, & in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientiæ est, timere Deum, & plenitudo a fructibus illius. Omnem domum illius implebit a generationibus, & receptacula, a thesauris illius. Corona sapientiæ, timor domini, replens pacem, & salutis fructum: & vidit, & dinumeravit eam. vtraque autem sunt dona Dei. Scientiam, & intellectum prudentiæ, sapientia compartietur: & gloriam tenentium se exaltat. Radix sapientiæ est, timere dominum: & rami illius longæui. In

thesauris sapientiæ intellectus, & scientiæ religiositas: execratio autem peccatoribus sapientia. Timor domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari, iracundia enim animositatis illius, subuersio illius est. Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis. Bonus sensus vsque in tempus abscondet verba illius, & labia multorum enarrabunt sensum illius. In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ: execratio autem peccatori, cultura Dei. Fili, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi. Sapientia enim & disciplina timor domini: & quod beneplacitum est illi, fides & mansuetudo, & adimplebit thesauros illius. Contumax non sis, & incredibilis timori Dei: & ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labijs tuis. Attende in illis, ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem: & reuelet Deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te: quoniam accessisti maligne ad dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia.

Ex epistola ad Galatas Lectio. ij.

DEinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem: & contuli cum illis euangelium quod prædico in gentibus: seorsum autem ijs qui videbantur aliquid esse: ne forte in vanum currerem aut cucurrissem. Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi: sed propter subintroductos falsos fratres qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redi-

ca. 2.

gerent. Quibus neque ad horam cessimus subiectioni: vt veritas euangelij permaneat apud vos. Ab ijs autem qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest, Deus personam hominis non accipit.) Mihi enim qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt. Sed contra, cum vidissent quod creditum est mihi euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatam circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes) & cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: vt nos in gentes, ipsi autem in Circuncisionem: tantum vt pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Cum autem venisset Cephas Antiochiam: in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Iacobo, cum gentibus edebat. Cum autem venissent subtrahebat, & segregabat se, timens eos qui ex circuncisione erant. Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus, Si tu, cum Iudæus sis, Gentiliter viuis, & non Iudaice: quomodo gentes cogis iudaizare?

☞ **Feria. iij. ex Ecclesias. Lectio. j.**

ca. 2. **F**lli, accedens ad seruitutem Dei, stas in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, & sustine: & inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus, & ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei: coniungere Deo, & sustine, vt crescat

in nouissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo, & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum. Serua timorem illius, & in illo veterasce. Metuentes dominum sustinete misericordiam eius: & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis dominum, credite illi: & non euacuabitur merces vestra. Qui timetis dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus sperauit in domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

Ex epistola ad Galatas Lectio. ij.

ca. 2. **N**Os natura Iudæi: & non ex gentibus peccatores. Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu credidimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Quod si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores: nunquid Christus peccati minister est? Absit. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: præuaricatorem me constituo. Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam. Christo confixus sum cruci. Viuo autem, iam non ego, viuunt vero in me Christus. Quod autem nunc

ca. 3. viuo in carne: in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non abiicio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus? Hoc solum a vobis volo discere, Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis nunc carne consummamini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut scriptum est, Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. Prouidens autem scriptura quia ex fide iustificat gentes Deus: prænuntiauit Abrahæ, Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Quod autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide viuit. Lex autem non est ex fide: sed, qui fecerit ea homo, viuet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia scriptum est, Maledictus omnis, qui pendet in ligno) vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu: vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.

ca. 2. **¶** Fer. iiij. ex Ecclesiastico. L. j.

ca. 2. **V**Æ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus

vijs. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non proteguntur ab eo. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facietis, cum inspicere cœperit dominus? Qui timent dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum conseruabunt viam illius. Qui timent dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei, & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt vsque ad inspectionem illius, dicentes, Si pœnitentiam non egerimus: incidemus in manus domini, & non in manus hominum. Secundum enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est. Filij sapientiæ, ecclesia iustorum: & natio illorum, obedientia & dilectio. Iudicium patris audite filij, & sic facite vt salui sitis. Deus enim honorauit patrem in filijs: & iudicium matris exquirens, firmavit in filios.

ca. 3. **Ex epistola ad Galatas. Lectio. ij.**

ca. 3. **F**Rates (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. † Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno, Et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita

est, donec veniret semen cui promiserat: ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnus non est: Deus autem vnus est. Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex quæ posset viuificare: vere ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato: vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.] Prius autem quam veniret fides: sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex, pædagogus noster fuit in Christo: vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides: iam non sumus sub pædago. Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque foemina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes. Dico autem, † quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitum tempus a patre: ita & nos, cum essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus, Quoniam autem estis filij Dei: misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, abba pater. Itaque iam non est seruus: sed filius Quod si filius: & hæres per Deum.]

☞ **Feria. v. ex Ecclesiast. Lectio. j.**

ca. 3. **Q**ui diligit Deum, exorabit pro peccatis & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur: & si-

cut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore: & qui obedit patri refrigerabit matrem. Qui timet dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his qui se genuerunt. In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio a Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glories in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, sed confusio, gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua. Eleemosyna enim patris non erit in obliuione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua. Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem: & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.

Ex epistola ad Galatas. Lectio. ij.

ca. 4. **S**ed tunc quidem ignorantes Deum, ijs qui natura non sunt dij, seruebatis. Nunc autem cum cognoueritis Deum, immo cogniti sitis a Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus deno seruire vultis? Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo vobis, ne sine causa laborauerim in vobis. Estote sicut ego, quia & ego sicut vos, fratres obsecro vos. Nihil me læsistis. Scitis autem quod per infirmitatem

carnis euangelizauit vobis iam pridem, & tentationem vestram in carne mea non spreuistis neque respuistis, sed sicut angelum Dei accepistis me, sicut Christum Iesum. Vbi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum verum dicens vobis? Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. Bonum autem æmulamini in bono semper: & non tantum cum præsens sum apud vos Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis. Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis? † Scriptum est enim, Quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est, qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta: Hæc enim sunt duo testamenta Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans: quæ est Agar (Sina enim, mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem) & seruit cum filijs suis Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est: quæ est mater nostra. Scriptum est enim, Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parituris: quia multi filij desertæ, magis quam eius, quæ habet virum. Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus, Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius an-

cillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.]

☞ *Feria. vj ex Ecclesiast Lectio. j.*

Filli, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligere. Quanto magnus es, humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum habebit male in nouissimo: & qui amat periculum, in illo peribit. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, & prauum cor in illis scandalizabitur. Cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator adijciet ad peccandum. Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati eradicabitur in illis: & non intelligetur. Cor sapientis intelligetur in sapientia, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapientis cor, & intelligibile, abstinebit se a peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis: & Deus prospector est eius, qui reddit gratiam. Meminit in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum.

☞ *Ex epistola Pauli ad Galatas. L. ij.*

ca. 5. **S**Tate, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Euacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini: a gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet neque præputium: sed fides quæ per charitatem operatur. Currebatis bene: quis vos impediuit veritati non obedire? Nemini consenseritis, Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Ego confido in vobis in domino: quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille. Ego autem fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis. Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Omnis enim lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consummami. Dico autem in Christo: † spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcunque vultis, illa faciat. Quod si spiritu ducimini: non estis sub lege. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt, fornicatio, im-

munditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur. Fructus autem spiritus est: Caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.] † Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus, Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

¶ **Sabbato, ex Ecclesiasti. L. j.**

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abicias: & non auertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram, & non relinquo quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum. Congregationi pauperum affabilem te facito, & presbytero humilia animam tuam, & magnato humilia caput tuum. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam: & redde debitum tuum, & responde illi pacifice in mansuetudine. Libera eum qui iniuriam patitur, de manu superbi: & non acide feras in anima tua. In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius altissimi obediens, & mis-

erebitur tui magis quam mater.

¶ Ex epistola Pauli ad Galatas. L. ij.

c.6.d

F Rates, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit: ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua: de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus. tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.] Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu.

E

Quicumque enim volunt placere in carne: hi cogunt vos circumcidi, tantum vt crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi: vt in carne vestra gloriantur. † Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed noua creatura. Et quicumque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. De cætero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata do-

mini Iesu, in corpore meo porto. Gratia domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.]

¶ Dominica secunda Vagantium ex Ecclesiastico. Lectio. j.

S Apientia filijs suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & præbit in via iustitiæ, & qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilauerint ad illam, complectentur placorem eius. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: & quo introibit, benedicet Deus. Qui seruiunt ei, obsequentes erunt sancto: & eos qui diligunt illam. diligit Deus. Qui audit illam, iudicabit gentes & qui intuetur illam, permanebit confidens. Si crediderit ei, hæreditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illorum: quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum, Timorem & metum & probationem inducet super illum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius. Et firmabit illum, & iter adducet directum ad illum, & lætificabit illum, & denudabit absconsa sua illi, & thesaurizabit super illum scientiam, & intellectum iustitiæ. Si autem obserauerit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici sui.

ca. 4.

¶ Epistola Pauli ad Eph. Lectio. ij.

P Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei: omnibus sanctis qui sunt Ephesi: & fidelibus in Christo Iesu, gratia vobis, & pax a Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. † Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate: qui prædestinauit nos in

ca. 1.

A

adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius: remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis] in omni sapientia & prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso. In quo etiam & nos sorte vocati sumus: prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Christo, in quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, euangelium salutis vestræ: in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis in laudem gloriæ ipsius. Propterea & ego audiens fidem vestram quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos: non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus (domini nostri Iesu Christi pater) gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, & agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit superueniens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra

omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur.

¶ Si hæc Dominica interponitur post Pentecosten præter primam & secundam lectionem nihil vltra hic quæras, quia cætera dicenda sunt de festo duplici, seu de oct. tunc occurrenti. Si vero celebratur ante Septuagesimam, tunc aduertendum quod in anno in quo Epipha. domini venerit in die sabbati, dicenda est hic tertia lect. In illo tempore, ascendente Iesu. & oratio. Deus qui nos in tantis. quas inuenies in dominica tertia Vagantium. In alijs autem annis dicendæ sunt hic tertia lectio & oratio infrascriptæ.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore, cum descendisset Iesus de monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens adorabat eum. ca. 8.

Et reliqua. Homilia Origenis.

Docente in monte domino, discipuli erant cum ipso, sicut alacres, sicut domestici, sicut proximi, sicut amici vel fratres: quibus datum erat cœlestis doctrinæ noscere secreta: per quam salutis scientiam etiam brutorum corda saluarent: cæcorumque oculis, per mundanæ delectationis tenebras caligantibus, lucem patefacerent veritatis. Vnde & dominus ad eos: Vos (inquit) estis sal terræ: vos descendente eo de monte turbæ sequutæ sunt eum. In montem scilicet ascendere nequaquam poterant, vt pigri populi, vt negligentes, vt imperfecti: quia quos delic-

torum sarcina deprimit, ad mysteriorum sublimia nisi abiecto onere scandere minime valent. Idcirco & filij Israel primitus in montem ascendere non valuerunt, ad obuiandum Deo prodire non potuerunt propter suam irreligiositatem, & impietatem: quia Ægyptiaca grauati conuersatione præpediebantur: sed solus Moyses ascendit, & pauci seniorum Israel cum eo. Denique veluti tunc cum domino discipuli solli in montem ascenderunt: & tardiores deorsum steterunt. Sic & modo vigilantes & alacres & fideles animæ Deum timentes, dominum diligentes, regna coelestia desiderantes, dominum semper sequentes, post dominum in illum montem coelestem ascendunt, audientes apostolum dicentem: Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite: non quæ super terram. **Oratio.**

OMnipotens sempiternæ Deus infirmitatem nostram propitius respice: atque ad protegendum nos dexteram tuæ maiestatis extende. Per.

¶ Feria. ij. ex Ecclesiast. Lectio. j.

ca. 4. **F**ili, conserua tempus, & deuota a malo. Pro anima tua ne confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum: & est confusio adducens gloriam & gratiam. Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animam tuam mendacium. Ne reuerearis proximum tuum in casu suo: nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo. In lingua enim sapientia dignoscitur: & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, & firmamentum in operibus iustitiæ. Non contradicas verbo veritatis villo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri pec-

cata tua, & ne subijcias te omni homini pro peccato, Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus esse in lingua tua: & inutilis, & remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.

¶ Ex epistola Pauli ad Eph. Lectio. ij.

ET vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ sicut & cæteri. Deus autem qui diues est in misericordia: propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit & consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratia enim estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis gloriatur. Ipsius enim sumus factura: creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Propter quod memores estote, quod aliquando vos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta: quod

eratis illo in tempore sine Christo alienati a conuersatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes: & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis, euacuans: vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longe fuistis: & pacem ijs qui prope: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. Ergo

D † iam non estis hospites & aduenæ: sed estis ciues sanctorum & domestici Dei: superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo: in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu sancto.

☩ *Feria. iij. ex Ecclesias. Lectio. j.*

ca. 5. **N**Oli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui: & ne dixeris, Quomodo potui? aut quis me subijciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiatio peccato noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio domini magna est, multitudinis peccatorum meorum mis-

erebitur. Misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Noli anxius esse in diuitijs iniustis: non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ. Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Esto firmus in via domini, & in veritate sensus tui & scientia, & prosequatur te verbum pacis & iustitiæ. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas: & cum sapientia profer responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo, sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. Honor, & gloria in sermone sensati, lingua vero imprudentis subuersio est ipsius. Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris & confundaris. Super furem enim est confusio, & poenitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia & contumelia. Iustifica pusillum & magnum similiter.

☩ *Ex epistola Pauli ad Eph. Lectio. ij.*

HVius rei gratia ego Paulus vinc-tus Christi Iesu, pro vobis gentibus: si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quoniam secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in breui: prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: quod alijs generationibus non est agnatum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis apostolis eius, & prophetis in spiritu, gentes esse co-

ca. 3.

hæredes, & concorporales, & participes promissionis eius in Christo Iesu per euangelium, cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis eius. Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hæc: In gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo, qui omnia creauit: vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro: in quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia, per fidem eius. Propter

B quod † peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiori hominem: Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis: ipsi gloria in ecclesia, & in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen.]

☩ **Feria. iiij. ex Ecclesiasti. Lectio. j.**

ca. 6. **N**Oli fieri pro amico inimicus proximo, improprium enim & contumeliam malus hæreditabit, & omnis

peccator inuidus & bilinguis. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus: ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquare velut lignum aridum in eremo, Anima enim nequam disperdet qui se habet, & in gaudium inimicis dat illum, & deducet in sortem impiorum. Verbum dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos: & lingua gratiosa in bono homine abundat. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille. Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facile credas ei teipsum. Est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. Et est amicus qui conuertitur ad inimicitiam, & est amicus qui odium & rixam & conuicia denudabit. Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget, si humiliauerit se contra te, & a facie tua absconderit se, vnanimum habebis amicitiam bonam. Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis: & qui metuunt dominum, inuenient illum. Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam: quoniam secundum illum erit amicus illius.

☩ **Ex epistola Pauli ad Eph. Lectio. ij.**

O†Bsecro itaque vos ego vinctus in domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in char-

c.4.a

itate, solliciti seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus, & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.] Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit: quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi:] vt iam non simus paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris: veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Hoc igitur dico & testificor in domino: vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desper-

antes, semetipsos tradiderunt impuditiæ, in operationem immunditiæ, omnis, in auaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu, deponere vos secundum pristinam conuersionem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.

¶ **Feria. v. ex Ecclesiastico. Lectio. j.**

Fili, a iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam Quasi is, qui arat, & seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius, in opere enim ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus. & non permanebit in illa excors. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur projicere illam. Sapientia doctrinæ secundum nomen est eius: & non est multis manifestata, quibus autem cognita est, permanet vsque ad conspectum Dei. Audi fili, & accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum: Inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius colulum tuum, subijce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illam: & in omni virtute tua conserua vias eius. Inuestiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam: in nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris. Stola gloriæ indues eam, & coronam gratulationis superpones tibi. Fili, si attenderis mihi, disces: & si accomodaueris animum

ca. 6.

tuum, sapiens eris, Si inclinaueris aures tuas, excipies doctrinam. & si dilexeris audire, sapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiant a te. Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

¶ Ex epistola Pauli ad Eph. Lectio. ij.

c.4.d **R**†Enouamini autem spiritu mentis vestræ: & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.] Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite constrictare spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & plasmata tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.

c.5.a † Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem

& hostiam Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentia. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ. nunc autem lux in domino. Vt filij lucis ambulate. (Fructus enim lucis, est in omni bonitate, & iustitia, & veritate)] probantes quod sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis turpe est & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur: omne enim quod manifestatur lumen est. Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exurge a mortuis: & illuminabit te Christus.

¶ Fer. vj. ex Ecclesiastico. Lectio j.

NOli facere mala, & non te apprehendent. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te. Fili, non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum. Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris. Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est: & penes regem noli velle videri sapiens. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te immitas in populum, neque alliges duplicia peccata: nec enim in vno eris im-

B

ca. 7.

munis. Noli esse pusillanimis in animo tuo. Exorare, & facere eleemosynam ne despicias. Ne dicas, in multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet. Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat & exaltat, circumspexit Deus. Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum: neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua. Non oderis laboriosa opera & rusticationem creatam ab altissimo. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. Memento iræ, quoniam non tardabit.

☩ *Ex epistola Pauli ad Ephe. L. ij.*

c.5.c **V**†Idete itaque fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris: Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine domini nostri Iesu Christi Deo D & patri. Subiecti inuicem, in timore Christi.] Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino: quoniam vir, caput est mulieris: sicut Christus caput est ecclesiæ: ipse, saluator corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo

vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiam: quia membra sumus corporis eius: de carne eius & de ossibus eius: propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam: & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Veruntamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligit: vxor autem timeat virum suum.

☩ *Sabbato, ex Ecclesiasti. Lectio j.*

HVmilia valde spiritum tuum: quoniam niam vindicta carnis impij, ignis & vermis. Noli præuaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem charissimum in auro spreueris. Noli discedere a muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore domini: gratia enim verecundiæ illius super aurum. Non lædas seruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. Pecora tibi sunt, attende illis: & si sunt vtilia, perseuerent apud te. Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos a pueritia illorum. Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum: & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam. Mulier si est tibi secundum animam tuam, non proicias illam: & odibili non credas te in toto corde tuo. Honora patrem tuum,

ca. 7.

& gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi. In tota anima tua time dominum, & sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes, & propurga te cum brachijs. Da illis partem, sicut mandatum est tibi primitiarum & purgationis: & de negligentia tua purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum & sacrificium sanctificationis offeres domino, & initia sanctorum: & pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua. Gratia dati in conspectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiam. Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum. ex his enim in dilectione firmaberis. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

☞ *Ex epistola Pauli ad Ephe. L. ij.*

ca. 6. **F**ilij, obedite parentibus vestris in domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione domini. Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei, ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut domino & non hominibus, scientes quoniam vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a domino, siue

seruus, siue liber. Et vos domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes quod & illorum & vester dominus, est in coelis: & personarum acceptio non est apud eum. De cætero fratres, † confortamini in domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei: vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Propterea accipite armaturam Dei: vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitiae, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite: & gladium spiritus, quod est verbum Dei] Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis: & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater & fidelis minister in domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. Pax fratribus & charitas cum fide a Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratia cum omnibus qui diligunt dominum nostrum Iesum Chris-

tum in incorruptione. Amen

¶ Dominica tertia Vagantium. ex Ecclesiastico. Lectio prima.

ca. 8.

Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi. Multos enim perdidit aurum, & argentum, & vsque ad cor regum extendit, & conuertit. Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna. Non communices homini indocto, ne male de progenie tua loquatur. Ne despicias hominem auertentem se a peccato, neque improperes ei. Memento quoniam omnes in corruptione sumus. Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium volumus venire. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbis eorum conuersare. Ab ipsis enim discas sapientiam, & doctrinam intellectus, & seruire magnatis sine quærela. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis discas intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. Noli foenerari homini fortiori te: quod si foeneraueris, quasi perditum habe. Non spondeas super virtutem tuam: quod si sponderis, quasi restituens cogita. Non iudices contra iudicem, quoniam secundum quod iustum est, iudicat. Cum audace non eas in via, ne forte grauet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit, & simul

cum stultitia illius peribis.

¶ Ex epistola Pauli ad Thessalonicenses prima. Lectio ij.

ca. 1.

PAulus, & Siluanus, & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium in Deo patre nostro & domino Iesu Christo gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis: memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei domini nostri Iesu Christi, ante Deum & patrem nostrum. Scientes fratres dilecti, a Deo electionem vestram, quia euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & spiritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, & domini excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio spiritus sancti: ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia: & in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo domini, non solum in Macedonia, & in Achaia, sed & in omni loco fides vestra quæ est ad Deum, profecta est, ita vt non sit nobis necesse quicquam loqui. Ipsi enim de vobis annuntiant: qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conuersi estis ad Deum a simulacris seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cœlis (quem suscitauit ex mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

Nam & ipsi scitis fratres introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: sed ante passi multa & contumeliosi affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos euangelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque

ca. 2.

in dolo: sed sicut probati sumus a Deo vt crederetur nobis euangelium, ita loquimur: non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab alijs, cum possemus vobis oneri esse vt Christi apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis euangelium Dei. Vos testes estis & Deus, quam sancte & iuste & sine quærela vobis, qui credidistis, affuimus: sicut scitis qualiter vnunquenque vestrum (sicut pater filios suos) deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis digne Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.

☩ *Si hæc Dominica interponitur post Pentecosten, præter primam & secundam lectionem nihil vltra hic quæras, quia cætera dicenda sunt de festo duplici aut octaua tunc occurrenti.*

☩ *Si vero celebrabitur ante Septuagesimam, tunc aduertendum quod in anno in quo Epiphania domini venerit in die Sabbati dicenda est hic tertia lectio. In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis. & oratio. Familiam tuam. quas inuenies in Dominica quarta Vagantium, In alijs autem annis dicendæ sunt hic tertia lectio & oratio infrascriptæ. Secundum Matthæum. Lectio. iij.*

ca. 8. **I**N illo tempore, ascendente Iesu in nauiculam, sequuti sunt eum discipuli eius. & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. **Et reliqua. Homilia Origenis.** **I**ngrediente domino in nauiculam sequuti sunt eum discipuli eius. Non imbecilles, sed firmi & stabiles in fide: mansueti & pij spernentes mundum: non duplici corde, sed simplici. Hi ergo sequuti sunt eum non tantum gressus eius sequentes: sed magis sanctitatem eius comitantes, & iustitiam eius sectantes. Et ecce tempestas magna facta est in mari ita vt nauicula operiretur fluctibus. Cum enim multa magna & miranda ostendisset in terra, transit ad mare: vt & ibidem adhuc excellentiora operademonstraret: quatenus terræ marisque dominum se esse cunctis ostenderet. Ingressus ergo nauiculam fecit turbari mare, commouit ventos, concitauit fluctus. Cur hoc? ideo vt discipulos mitteret in timorem, & suum auxilium postularent: suamque potentiam rogantibus manifestaret. Ipsa tempestas non ex se oborta est: sed potestati paruuit imperantis, eius qui educit ventos de thesauris suis: qui terminum mari arenam constituit. Dixit enim ei, Vsque huc venies, & non vltra gradieris: sed in temetipso confringentur fluctus tui. Huius ergo iussione & præcepto orta est tempestas in mari: propter occasiones superius memoratas facta est tempestas magna & non pusilla: vt magnum opus & non pusillum ostenderet. Quantoque fluctus nauiculæ irruebant: tanto magis timor discipulos conturbabat: vt plus magis desiderarent ad liberandum se mirabilia saluatoris. Dominus vero dormiebat. O res mirabilis & stupenda. Is qui nunquam obdormit, dormit. Is

qui nunquam dormit neque dormitat, ipse dormire dicitur. Dormiebat quidem corpore, sed vigilabat diuinitate. Dormiebat quidem corpore: sed diuino nutu turbabat mare. Erigebatque fluctus, & apostolos conturbabat suam ostensurus potentiam. **Oratio.**

DEus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse sustinere: da nobis salutem mentis, & corporis: vt ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuvante vincamus. Per domi.

☩ **Feria. ij. ex Ecclesiastico. L. j.**

ca. 8. **C**Vm iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis: & vbi non est adiutorium, elidet te. Cum fatuis consilium non habeas, non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent. Coram extraneo non facies consilium: nescis enim quid pariet. Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, & conuicietur.

ca. 9. Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris. Ne respicias mulierem multiuolam: ne forte incidas in laqueos illius. Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Ne des fornicarijs animam tuam in villo, ne perdas te, & hæreditatem tuam. Noli circumspicere in vicis ciuitatis, nec oberaueris in plateis illius. Auerte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspecias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentiæ quasi ignis exardescit.

Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum: & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.

☩ **Ex epistola prima ad Thessalonicenses. Lectio secunda.**

IDeo & nos gratias agimus Deo ca. 2. sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei qui operatur in vobis qui credidistis. vos enim imitatores facti estis fratres, ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, in Christo Iesu: quia eadem passi estis, & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Iudæis. qui & dominum occiderunt Iesum, & prophetas, & nos persecuti sunt & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur. prohibentes nos gentibus loqui, vt salui fiant: vt impleant peccata sua semper. peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem. Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio, quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & semel & iterum: sed impediuit nos satanas. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra & gaudium. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere ca. 3. Athenis, solis, & misimus Timotheum

fratrem nostrum & ministrum Dei in euangelio Christi, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestra vt nemo moueatur in tribulationibus istis. ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. Nam & cum apud vos essemus, prædicabamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis. Propterea & ego amplius non sustinens, nisi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos: ideo consolati sumus, fratres, in vobis in omni necessitate & tribulatione nostra, per fidem vestram, quoniam nunc viuimus: si vos statis in domino. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte ac die abundantius orantes, vt videamus faciem vestram & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ? Ipse autem Deus & pater noster & dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos. Vos autem dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in inuicem & in omnes: quemadmodum & nos in vobis ad confirmanda corda vestra sine quærela, in sanctitate ante Deum & patrem nostrum, in aduentu domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Amen.

☩ *Feria. iij. ex Ecclesiastico. L. j.*

ca. 9. **N**E derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis illi. Vinum nouum, amicus nouus: veterascet, & cum suauitate bibes illud. Non zeles gloriam, & opes peccatoris:

non enim scis quæ futura sit illius subuersio. Non placeat tibi iniuria iniustorum, sciens quoniam vsque ad inferos non placebit impius. Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi: & non suspicaberis timorem mortis: & si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam. Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis. Secundum virtutem tuam caue te a proximo tuo, & cum sapientibus & prudentibus tracta. Viri iusti sint tibi conuiuæ, & in timore Dei sit tibi gloriatio, & in sensu sit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis altissimi. In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu vero seniorum verbum. Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit.

☩ *Ex epistola prima ad Thessalonicenses. Lectio secunda.*

DE cætero ergo fratres † rogamus c.4.a
vos & obsecramus in domino Iesu: vt quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos a fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum, & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est dominus de his omnibus sicut prædiximus vobis, & testificati sumus: Non enim vocauit nos Deus in immunditiam: sed in sanctificationem.] Itaque qui hæc spernit, B

non hominem spernit sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. De charitate autem fraternitatis, non necesse habemus scribere vobis, ipsi enim vos a Deo didicistis, vt diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, vt abundetis magis: & operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negocium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: & vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt: &

C nullius aliquid desideretis. † Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus: vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus, in aduentum domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse dominus in iussu & in voce archangeli & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam domino in aera: & sic semper cum domino erimus. Itaque consolamini inuicem in verbis istis.]

C *Feria. iiij. ex Ecclesiasti. L. j.*

c. 10. **I**udex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum potentium. In manu Dei potestas terræ: & execrabilis omnis iniquitas gentium, & vtilem rectorem suscitabit in tempus super illam. In manu Dei potes-

tas hominis, & super faciem scribæ imponet honorem suum. Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ. Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium. Regnum a gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Auaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra & cinis? Nihil est iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua. Omnis potentatus, breuis vita. Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus: sic & rex hodie est, & cras morietur. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius: quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem. Propterea exhonoraui dominus conuentus malorum, & destruxit eos vsque in finem.

C *Ex epistola prima ad Thessalonicenses. Lectio secunda.*

DE temporibus autem & momentis fratres, non indigetis vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis quia dies domini, sicut fur in nocte, ita veniet, cum enim dixerint, pax & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Vos autem fratres non estis in tenebris: vt vos dies illa tanquam fur comprehendat, omnes enim vos, filij lucis estis, & filij diei, non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & cæteri: sed vigilemus & sobrij simus. Qui enim

ca. 5.

dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrij simus, induti lorica[m] fidei & charitatis, & galeam spem salutis, quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Propter quod consolamini inuicem: & ædificate alterutrum: sicut & facitis. Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsent vobis in domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum, pacem

B habete cum eis. † Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper, quod bonum est sectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester & anima & corpus sine quærela, in aduentu domini nostri Iesu Christi seruetur.]

C Fidelis est qui vocauit vos: qui etiam faciet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adiuro vos per dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

☩ *Feria. v. ex Ecclesiastico. L. j.*

c. 10. **S**edes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.

Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Terras gentium euertit dominus, & perdidit eas vsque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum a terra. Memoria superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu. Non est creata hominibus superbia: neque iracundia nationi mulierum. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata domini. In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent dominum, erunt in oculis illius. Gloria diuitem, honoratorum, & pauperum, timor Dei est, non despiciere hominem iustum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem diuitem. Magnus est iudex, & potens est in honore: & non est maior illo qui timet Deum. Seruo sensato liberi seruiunt: & vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus, & inscius non honorabitur. Noli extollere te in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore angustiae. Melior est qui operatur, & abundat in omnibus, quam qui gloriatur, & eget pane. Fili mi, in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum. Peccantem in animam suam quis iustificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam? Pauper gloriatur per disciplinam & timorem suum: & est homo qui honorificatur propter substantiam suam. Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? Et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

☩ *Epistola Pauli ad Thessalonicenses secunda. Lectio secunda.*

ca. 1. **P**Aulus & Siluanus & Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensium in Deo patre nostro & domino Iesu Christo, gratia vobis & pax a Deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Gratias agere debemus semper Deo pro vobis fratres, ita vt dignum est: quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vnus cuiusque vestrum in inuicem: ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesijs Dei, pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini, si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione domini Iesu de cœlo cum angelis virtutis eius in flamma ignis, dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio domini nostri Iesu Christi: qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie domini, & a gloria virtutis eius: cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo, in quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute, vt clarificetur nomen domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo secundum gratiam Dei nostri, & domini Iesu Christi.

☩ **Fer vj. ex Ecclesiastico. L j.**

c 11. **S**apientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet. Non laudes virum in specie sua: neque spernas hominem in visu suo. breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris

habet fructus illius. In vestitu ne gloriaris vnquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & inuisa opera illius. Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portauit diadema. Multi potentes oppressi sunt valide, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum. Prius quam interroges, ne vituperes quenquam: & cum interrogaueris, corripe iuste. Prius quam audias ne respondeas verbum, & in medio sermonum ne adijcias loqui. De ea re, quæ te non molestat, ne certes: & in iudicio peccantium ne consistas. Fili, ne in multis sint actus tui: & si diues fueris, non eris immunis a delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes: & non effugies, si præcurreris. Est homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, a Deo sunt. Sapientia & disciplina, & scientia legis apud Deum. Dilectio, & viæ bonorum apud ipsum. Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescent in malo.

☩ **Ex epistola secunda ad Thessalonicenses. Lectio secunda.**

R†Ogamus autem vos fratres, per aduentum domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: vt non cito moueamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos mis-

c.2.a

sam, quasi instet dies domini. Ne quis vos seducat vlllo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat: ostendens se tanquam sit Deus. Num retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis: vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc teneat: donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui: & destruet illustratione aduentus sui eum,] **B** cuius est aduentus secundum operationem satanæ, in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit nos Deus primitias, in salutem, in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis. Ad quod & vocauit vos per Euangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ domini nostri Iesu Christi. Itaque fratres state: & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Ipse autem dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

C *Sabbato, ex Ecclesiasti. L j.*

D Atio Dei permanet iustis, & profectus illius successus habebit in æternum. Est qui locupletatur parce agendo, & hæc est pars mercedis illius in eo quod dicit, Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus: & nescit quod tempus prætereat illum, & mors appropinquet, & relinquat omnia alijs, & morietur. Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo: & mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in honore veloci processus illius fructificat. Ne dicas, Quid est mihi opus: & quæ erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas, Sufficiens mihi sum: & quid ex hoc pessimabor? In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum: quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnique secundum vias suas. Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ. & in fine hominis nudatio operum illius. Ante mortem ne laudes hominem quenquam: quoniam in filijs suis agnoscitur vir. Non omnem hominem inducas in domum tuam, multæ enim sunt insidiæ dolosi. Sicut enim eructant præcordia foetentium, & sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum, sic & cor superbiorum, & sicut prospector videns casum proximi sui. Bona enim in mala conuertens insidiatur: & in electis imponet maculam. A scintilla vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis: homo vero peccator sanguini insidiatur. Attende tibi a pestifero. fabricat enim mala: ne forte inducat super

c. 11.

te subsannationem in perpetuum. Admitte ad te alienigenam, & subuertet te in turbine, & abalienabit te a tuis proprijs.

☩ *Ex epistola secunda ad Thessalonicenses. Lectio secunda.*

ca. 3. **D**E cætero fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis & malis hominibus. non enim omnium est fides: Fidelis autem dominus est, qui confirmabit vos & custodiet a malo. Confidimus autem de vobis in domino, quod quæcunque præcepimus, & facitis & facietis. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei & patientia Christi. Denuntiamus autem vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis. Quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiemus & obsecramus in domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducet. Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: & nolite

quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola, ita scribo: Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

☩ *Dominica quarta Vagantium. ex Ecclesiastico. Lectio prima.*

SI benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certe a domino. Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti: quoniam & altissimus odio habet peccatores: & misertus est pœnitentibus. Da misericordiam, & ne suscipias peccatorem: & impijs, & peccatoribus redde vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. Da bono, & non receperis peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio. Prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit. Nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis, quæcunque feceris illi: quoniam & altissimus odio habet peccatores, & impijs reddet vindictam. Non agnosceretur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus. In bonis viri inimici illius: in tristitia, & in malitia illius, amicus agnitus est. Non credas inimico tuo in æternum. Sicut enim ærumentum æruginat nequitia illius. Et si humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conuersus in loco tuo: ne forte conuersus in locum tuum inquirat cathedram tuam, & in nouissimo cognoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris. Quis miserebitur incantatori, a serpente percusso, & om-

nibus qui appropiant bestijs? Sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius. Vna hora tecum permanebit: si autem declinaueris, non supportabit. In labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, vt subuertat te in foueam. In oculis suis lachrymatur inimicus, & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine: & si incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas. Caput suum mouebit, & plaudet manu: & multa susurrans commutabit vultum suum.

☞ *Epistola Pauli ad Timotheum prima. Lectio secunda.*

ca 1. **P**Aulus Apostolus, Iesu Christi secundum imperium Dei saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ: Timotheo dilecto filio in fide, gratia & misericordia & pax a Deo patre Christo Iesu domino nostro. Sicut rogavi te vt remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, vt denuntiaries quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide. Finis autem præcepti, est charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est lex, si quis ex legitime vtatur: sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum euan-

gelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. Gratias ago ei qui me confortauit Christo Iesu domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia domini nostri cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu. Fidelis sermo & omni acceptione dignus: quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum ego primus sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum: vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi, in vitam æternam. Regi autem seculorum immortalis, inuisibilis, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander: quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.

☞ *Si hæc Dominica interponitur post Pentecosten, præter primam & secundam lectionem, nihil vltra hic quæras, quia cætera dicenda sunt de festo dup. aut octa. tunc occurrenti.*

☞ *Si autem celebratur ante Septuagesimam, tertia lectio, oratio erunt infrascriptæ, siue dictæ sint in dominica præcedenti, siue non. Et si post hanc dominica poneretur etiam alia ante Septuagesimam, vt postea dicitur, repetendæ sunt in ea hæc eadem tertia lectio, & oratio.*

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

- c. 13. **I**N illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. *Et reliqua. Homilia sancti Augustini episc.*
Cum negligenter agerent propositi Ecclesiæ, & dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus, & superseminavit eos quos malos filios dominus interpretatur. Sed recte quæritur, vtrum hæretici sint, an male viuentes catholici? Possunt enim dici filij mali etiam hæretici, qui ex eodem euangelij semine & Christi nomine procreati, prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur. Sed quod dicit eos in medio tritici seminatos: quasi videntur illi significari qui vnus communionis sunt. Veruntamen quia dominus agrum non ecclesiam, sed hunc mundum interpretatur, intelliguntur hæretici, quia non societate vnus ecclesiæ vel vnus fidei, sed societate solius nominis Christiani, in hoc mundo permiscuntur bonis: vt illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quam zizania reputentur: quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicenque communem. In illa plane sagena, qua concluduntur boni & mali pisces, non absurde mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare quod significat magis istum mundum: aliud sagena, quæ vnus fidei vel vnus ecclesiæ communionem videtur ostendere. Inter hæreticos & malos catholicos hoc interest: quod hæretici falsa credunt: illi autem vera credentes non viuunt ita vt credunt. Solet autem quæri etiam, schismatici quid ab hæreticis distent: & hoc inueni, quod schismaticos fides diuersa non faciat, sed communionis disrupta societas.

Sed vtrum inter zizania numerandi sint, dubitari potest. *Oratio.*

Familiam tuam quæsumus domine continua pietate custodi, vt quæ in sola spe gratiæ cœlestis ininitur, tua semper protectione muniatur. Per domi.

¶ *Feria. ij. ex Ecclesiastico. L. j.*

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat Et ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? Quando enim se colliserint, confringentur. Diues iniuste egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit. Si largitus fueris, assumet te: & si non habueris, derelinquet te. Si habes, conuiuet tecum, & euacuabit te: & ipse non dolebit super te. Si necessarius illi fueris, supplantabit te: & subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicit: Quid opus est tibi? & confundet te in cibis tuis: donec te exinaniat bis, & ter: & in nouissimo deridebit te. Postea videns derelinquet te: & caput suum mouebit ad te. Humiliare Deo: & expecta manus eius. Attende, ne seductus in stultitia humiliaris. Noli esse humilis in sapientia tua: ne humiliatus in stultitiam seducaris. Aduocatus a potentiore discede: ex hoc enim magis te aduocabit. Ne improbus sis, ne impingar: & ne longe sis ab eo, ne eas in obliuionem. Ne retineas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius. Ex multa enim loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus illius conseruabit verba tua: & non parcat de malitia, & de vinculis. Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subuersione tua ambulas. Audi-

c. 13.

ens vero illa, quasi in somnis vide: & vigilabis.

☞ *Ex epistola prima ad Timotheum. Lectio secunda.*

ca. 2. **O**bscuro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate, hoc enim bonum est & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, cuius testimonium temporibus suis confirmatum est: in quo positus sum ego prædicator & apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide & veritate. Volo ergo viros orare in omni loco: leuantes puras manus, sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato: cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Mulier in silentio discat, cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eua, & Adam non est seductus: mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem: si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.

☞ *Fer. iij. ex Ecclesiastico. L. j.*

c. 13. **O**mni vita tua dilige Deum & inuoca illum in salute tua. Omne animal

diligit simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando: sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars bona diuiti ad pauperem? Venatio leonis onager in eremo: sic & pascua diuitum, sunt pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas: sic & execratio diuitis pauper. Diues commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit, expelletur & a notis. Diuiti decepto multi recuperatores, locutus est superbia, & iustificauerunt illum. humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensate, & non est datus ei locus. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent, pauper locutus est, & dicunt, Quis est hic? Et si offenderit, subuertent illum. Bona est substantia: cui non est peccatum in conscientia, & nequissima paupertas in ore impij. Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona, siue in mala. Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies, & cum labore.

☞ *Ex epistola prima ad Tim. L. ij.*

ca. 3. **F**idelis sermo, Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitem, doctorem, non vinolentum, non percussorem: sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit: quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum: ne in superbiam elatus in iudicium inci-

dat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab ijs qui foris sunt: vt non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum: & sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diacones sint vnus vxoris viri: qui filijs suis bene præsent, & suis domibus. Qui enim bene ministrauerint: gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ est in Christo Iesu. Hæc tibi scribo fili Timothee, sperans me ad te venire cito. si autem tardauero: vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

☞ *Feria iiij. ex Ecclesiasti. L. j.*

- c. 14. **B**Eatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo & non est stimulatus in tristitia delicti. Felix qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit a spe sua. Viro cupido & tenaci, sine ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum? Qui aceruat ex animo suo iniuste, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & non iucundabitur in bonis suis. Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius: & hæc redditio est malitiæ illius: & si bene fecerit, ignoranter, & non volens facit, & in nouissimo manifestat malitiam suam. Nequam est ocu-

lus liuidi, & auertens faciem suam, & despiciens animam suam. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam. Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane indigens, & in tristitia erit super mensam suam. Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi. Testamentum enim huius mundi morte morietur. Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporigens, da pauperi. Non defrauderis a die bono, & particula bonæ diei non te prætereat. Nonne alijs relinques dolores, & labores tuos? In diuisione sortis da, & accipe, & iustifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia deijciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur ibit cum illo. Et omne opus electum iustificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo.

☞ *Ex epistola prima ad Timotheum. Lectio secunda.*

SPiritus autem manifeste dicit, quia ca. 4. in nouissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypochrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis quod Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem. Quod omnis creatura Dei bona est, & nihil rejciendum quod cum gra-

tiarum actione percipitur. sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ quam assecutus es. Ineptas autem & aniles fabulas deuita: exerce autem te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Fidelis sermo & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum viuum qui est saluator omnium hominum, maxime fidelium. Præcipe hæc & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri. Hæc meditare, in his esto: vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende enim tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.

☞ *Feria. v. ex Ecclesiast. Lectio. j.*

c. 14. **B**Eatus vir, qui in sapientia morabitur: & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi inuestigator, & in vijs illius consistens: qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens: qui requiescit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum. Statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per æuum: statuet filios suos sub tegmine illius, &

sub ramis eius morabitur: protegetur sub tegmine illius a feruore, & in gloria eius requiescet. † Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier a virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos, & in medio ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum. Iucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum.] Homines stulti non apprehendent illam, & homines sensati obuiabunt illi: homines stulti non videbunt eam, longe enim abest a superbia & dolo: viri mendaces non erunt illius memores, & viri veraces inuenientur in illa, & successum habebunt vsque ad inspectionem Dei.

☞ *Ex epistola prima ad Timotheum. Lectio secunda.*

Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem. iuuenes: vt fratres. anus, vt matres. iuenculas, vt sorores in omni castitate. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem vere vidua est & desolata: speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die. Nam quæ in delicijs est, viuens mortua est. Et hoc præcipe: vt irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum & maxime domesticorum curam non habet: fidem negauit, & est infideli

deterior. Vidua diligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnus viri vxor, in operibus bonis testimonium habens: si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsequuta est. Adolescentiores autem viduas deuota. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: simul autem & otiosæ discunt circumire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse: nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quædam conuersæ sunt retro post satanam. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt non grauetur ecclesia: vt ijs quæ vere viduæ sunt sufficiat. Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti: & Dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere: nisi sub duobus, aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant. Testor coram Deo, & Christo Iesu & electis angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. Noli adhuc aquam bibere: sed modico vino vttere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam autem & subsequuntur.

Similiter & facta bona, manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

☞ *Feria. vj. ex Ecclesiast. Lectio. j.*

Non est speciosa laus in ore peccatoris: quoniam a Deo profecta est sapientia. sapientiæ enim Dei astatibit laus, & in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi. Non dixeris, Per Deum abest. quæ enim odit, ne feceris. Non dicas: Ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij. Omne execrumentum erroris odit dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi: quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Oculi domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis. Nemini mandauit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi: non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium. Ne iucunderis in filijs impijs, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum. Melior est enim vnus timens Deum, quam mille filij impij. Et vtilius est mori sine filijs, quam relinquere filios impios. Ab vno sensato inhabitabitur patria, & a tribus impijs deseretur. Multa talia vidit oculis meus, & fortiora his audiuit auris mea.

c. 15.

c. 16.

☞ *Ex epistola prima ad Tim L. ij.*

ca. 6. **Q** Vicunque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur: ne nomen domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant quia fratres sunt, sed magis seruiant quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce: & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemias, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem o homo Dei hæc fuge: sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei: apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus. Præcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem: vt serues mandatum, sine mac-

ula, irreprehensibile vsque in aduentum domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, rex regum, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, cui honor & imperium sempiternum. Amen. Diuitibus huius seculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

☩ **Sabbato, ex Ecclesiasti. L. j.**

IN synagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardescet ira. Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti: & non pepercit peregrinationi illorum, & execratus est eos præ superbia verbi illorum. Non misertus est illis gentem totam perdens, & extollentem se in peccatis suis. Et sicut sexcenta millia peditum qui congregati sunt in duritia cordis sui: & si vnus fuisset ceruicatus, mirum si fuisset immunis, misericordia enim & ira est cum illo. Potens ex oratio, & effundens iram secundum misericordiam suam: sic & correptio illius, hominem secundum opera sua iudicat. Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis. Omnis misericordia faciet locum vnique secundum meri-

c. 16.

tum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius. Non dicas, A Deo abscondar: & ex summo quis mei memorabitur in populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce, cœlum, & cœli cœlorum, abyssus & vniuersa terra: & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul & colles, & fundamenta terræ: cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. Et in omnibus his insensatum est cor: & omne cor intelligitur ab illo: & vias illius quis intelligit, & procellam quam nec oculus videbit hominis? Nam plurima illius opera sunt in absconsis, sed opera iustitiæ eius quis enuntiabit? aut quis sustinebit?

☩ *Ex epistola Pauli ad Philemonem vnica. Lectio. secunda.*

ca. 1. **P**Aulus vinctus Christi Iesu & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & ecclesiæ quæ in domo tua est, gratia vobis & pax a Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam & fidem quam habes in domino Iesu, & in omnes sanctos: vt communicatio fidei tuæ euidenter fiat in agnitione omnis operis boni in vobis in Christo Iesu. Gaudium enim magnum habui & consolationem in charitate tua, quod viscera sanctorum requieuerunt per te frater. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro, quum sis talis vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi. Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis Onesimo: qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem

& mihi & tibi utilis, quem remisi tibi. Tu autem illum, id est, mea viscera suscipe: quem ego volueram tecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis euangelij: sine consilio autem tuo nihil volui facere: vt ne velut ex necessitate bonum esset, sed voluntarium. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, vt æternum illum reciperes iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in domino? Si ergo habes me socium: suscipe illum sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi aut debet: hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu. Ego reddam: vt non dicam tibi quod & teipsum mihi debes. Ita frater ego te fruar in domino, refice viscera mea in Christo. Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam & super id quod dico facies. Simul & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. Salutatur te Epaphras captiuus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas adiutores mei. Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

☩ *Sciendum, quod si finitis quatuor hebdomadis Vagantium adhuc superesset vna ante Septuagesimam (vt euenisset ante 1546. alias autem rarissime hoc eueniet) tunc legenda est dominica vigesima quarta post Pentecosten, quæ est quinta Vagantium ex qua tunc tum sumendæ sunt prima, & secunda lectiones: nam tertia lectio & oratio repetendæ sunt illæ quæ positæ sunt in dominica quarta Vagantium.*

☩ *Dominica in Septuagesima.*

Notandum, quod si aliquod festum duplex incidit in hac dominica, & in cæteris dominicis vsque ad Pascha, trans-

ferendum est, vt supra in regulis generalibus.

¶ Notandum præterea quod ab hac dominica inclusiue vsque ad Pascha non dicitur. Haleluiah. sed loco eius vsque ad feriam quintam in cœna domini dicitur. Laus tibi domine rex æternæ gloriæ. Ad matutinum inuitato Præoccupemus facium domini, & in psalmis iubilemus ei. **Hym.**

Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus:

Vel quo resurgens conditor,
Nos morte victa liberat.

Pulsis procul torporibus,
Surgamus omnes ocyus:

Et nocte quæramus pium,
Sicut prophetam nouimus

Nostras preces vt audiat,
Suamque dextram porrigat:

Et expiatos sordibus,

Reddat polorum sedibus.

Præsta pater pijssime, Patrique compar vnice: Cum spiritu paraclêto, Regnans per omne seculum. Amen.

Antiphona. Inuocabo nomen tuum domine, ne auertas faciem tuam a clamore meo.

¶ Liber Genesis. Lectio prima.

c.1.a **I**n principio creauit, Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus, Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona: & diuisit lucem a tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem, factumque est vespere & mane dies vnus. Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vo-

cautique Deus firmamentum, cœlum: & factum est vespere & mane, dies secundus. Dixit vero Deus, Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam, terram: congregationesque aquarum appellauit maria. Et vidit Deus, quod esset bonum, & ait: Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum. & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere & mane dies tertius. Dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa & tempora, & dies & annos: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria, magna, luminare maius vt præset diei: & luminare minus, vt præset nocti, & stellas: & posuit eas Deus in firmamento cœli, vt lucerent super terram, & præset diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere & mane dies quartus.

¶ Sanctum Iesu Christi euangelium secundum Ioannem. Lectio. ij.

c.1.a **I**n principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris

lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est: & habitauit in nobis. (Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre)

B plenum gratiæ & veritatis.] Ioannes testimonium perhibet de ipso & clamat, dicens: Hic erat quem dixi. Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vmquam: vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 20. **I**N illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. *Et reliqua.*

Homilia sancti Gregorij papæ.

Regnum cœlorum patrifamilias simile dicitur: qui ad excolendam vineam suam operarios conduxit. Quis vero patrifamilias similitudinem rectius tenet, quam conditor noster? qui regit quos condidit: & electos suos sic in hoc

mundo possidet, quasi subiectos dominus in domo. Qui habet vineam, vniuersam scilicet ecclesiam: quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi venturus est: quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic itaque paterfamilias ad excolendam vineam suam mane hora tertia, sexta, nona, & vndecima, operarios conducit: quia a mundi huius initio vsque in finem, ad erudiendam plebem fidelium, prædicatores congregare non destitit. Mane etenim mundi fuit ab Adam vsque ad Nœ. hora vero tertia a Nœ vsque ad Abraham. Sexta quoque ab Abraham vsque ad Moysen. Nona autem a Moyse vsque ad aduentum domini. Vndecima vero ab aduentu domini vsque ad finem mundi. In qua prædicatores sancti apostoli missi sunt, qui mercedem plenam, & tarde venientes acceperunt. Ad erudiendam ergo dominus plebem suam quasi ad excolendam vineam suam nullo tempore destitit operarios mittere: quia & prius per patres, & postmodum per legis doctores & prophetas: ad extremum vero per apostolos dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vineæ cultura magnopere laborauit. Quamuis in quolibet modulo vel mensura quisquis cum fide recta bonæ actionis extitit: huius vineæ operarius fuit. Operator ergo mane hora tertia, sexta, & nona antiquus ille & Hebraicus populus designatur: qui in electis suis ab ipso mundi exordio dum recta fide studuit Deum colere, quasi non destitit in vineæ cultura laborare. Miserere.

¶ *Notandum, quod ab hac dominica inclusiue vsque ad feriam quintam in cena domini quando fit officium de do-*

minica vel feria non dicitur. Te Deum. post tertiam lectionem, sec loco eius dicitur psalmus. Miserere. fo. 70.

☩ Ad laudes antipho. Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum.

Oratio.

P Reces populi tui, quæsumus domine, clemnter exaudi: vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per do.

☩ Ad Vesperas. Hymnus.

L Vcis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordijs lucis nouæ,
Mundi parans originem.

Qui mane, iunctum vesperi,
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabatur,
Audi preces cum fletibus.

Ne mens grauata crimine,
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpæ illigat.

Cœlorum pulset intimum,
Vitale tollat præmium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.

Præsta pater pijssime. &c. **An.** In tribulatione mea inuocaui dominum, & ad Deum meum clamaui.

☩ Notandum quod inuita. Hymni, & antiphonæ huius dominicæ dicuntur vsque ad feriam quartam Cinerum exclusiue, quando fit officium de dominica vel de feria.

☩ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

c.1.b **D**ixit etiam Deus, Producant aquæ reptile animæ viuientis, & volatile super terram sub firmamento cœli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secun-

dum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere & mane dies quintus. Dixit quoque Deus. Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, & ait, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. Veditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum est vespere & mane dies sextus.

☩ Secundum Ioannem. Lectio. ij.

ET hoc est testimonium Ioannis, c.1.c quando † miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et

confessus est, Quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum? Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, non sum. Propheta es tu? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es, vt responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? Ait, Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domini sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei. Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.]

D Altera die † vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi, Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum: sed vt manifestetur in Israël: propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens, Quia vidi spiritum descendantem quasi columbam de coelo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum descendantem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi: & testimonium perhibui quia hic, est filius Dei.]

☞ *Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.*

c.2.a **I**gitur perfecti sunt coeli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die sep-

timo ab vniuerso opere quod patrarat.] Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret Istæ sunt generationes coeli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit dominus Deus coelum & terram, & omne virgultum agri antequam oriatur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret, non enim pluerat dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram: sed fons ascendebat e terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Formauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Plantauerat autem dominus Deus paradysum voluptatis a principio: in quo posuit hominem quem formauerat, produxitque dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio paradysi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita. nomen vni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Euilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibique inuenitur bdellium: & lapis onychinus. Et nomen fluuij secundi, Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Aethiopiæ. Nomen vero fluminis tertij, Tigris: ipse vadit contra Assirios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.

☞ *Secundum Ioannem. Lectio. ij.*

A † Altera die iterum stabat Ioannes, c.1.c & ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulans, dicit, Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & sequuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & vi-

dens eos sequentes se, dicit eis. Quid quæritis? Qui dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur interpretatum, magister) vbi habitas? Dicit eis, Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret: & apud eum manserunt die illa: hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant a Ioanne, & sequuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei, Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In crastinam voluit exire in Galilæam: & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus, Sequere me. Erat autem Philippus a Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei, Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ: inuenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth. Et dixit ei Nathanael, A Nazareth potest aliquid boni esse. Dicit ei Philippus, veni & vide. Vidit Iesus Nathanael venientem ad se: & dicit de eo. Ecce vere Israelita in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael, Vnde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei, Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu vidi te. Respondit ei Nathanael, & ait, Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel. Respondit Iesus, & dixit ei, Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. Et dixit ei, Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.]

☞ *Fer. iiij. ex Genesi. Lectio. j.*

ca. 2. **T**vlit ergo dominus Deus hominem, & posuit eum in paradysum voluptatis, vt operaretur & custodiret

illum: præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Dixit quoque dominus Deus, Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Formatis igitur dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ: Adæ vero non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo dominus Deus soporem in Adam: Cunque obdormisset: tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quam ob rem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius: & non erubescabant.

☞ *Secundum Ioannem. Lectio. ij.*

ET die tertia † nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent. Et dicit ei Iesus, Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris, Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem

c.2.a

Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dixit eis Iesus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus, Haurite nunc, & ferte Architriclinio. Et tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinius aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam: vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei, Omnis homo primum, bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.]

B Post hæc descendit Capharnaum ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus, † Et prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam: & inuenit in templo vendentes oues & boues & columbas, & numularios sedentes. & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his qui columbas vendebant, dixit, Auferte ista hinc: & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est, zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis,

recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus. Cum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis: eo quod ipse nosset omnes: & quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.]

¶ **Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.**

ca. 3.
SEd & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradisi? Cui respondit mulier, De fructu lignorum quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu vero ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dii scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum: cunque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocem domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem abscondit se Adam & vxor eius a facie domini Dei in medio ligni paradisi. Vocauitque dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? Qui ait. Vocem tuam audiui in paradiso: & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui

dixit dominus, Quis enim indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Dixitque Adam, Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit dominus Deus ad mulierem. Quare hoc fecisti? Quæ respondit, Serpens decepit me, & comedi.

☞ *Secundum Ioannem. Lectio. ij.*

c.3.a **E**Rat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire & renasci? Respondit Iesus, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, Oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei, Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est

in cœlo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam.] † Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem: vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.]

☞ *Feria sexta ex Genesi. Lectio. j.*

ca. 4. **E**T ait dominus Deus ad serpentem, Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Mulieri quoque dixit, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit, Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec

reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertaris. Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Eua: eo quod mater esset cunctorum viuientium. Fecit quoque dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et ait, Ecce, Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum, nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, vt viuat in æternum. Et emisit eum dominus Deus de paradiso voluptatis vt operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitque Adam: & collocauit ante paradysum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.

☞ **Secundum Ioannem. Lectio. ij.**

ca. 3. **P**ost hæc venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram: & illic morabatur cum eis & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ænon iuxta Salin: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim, Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere: me autem minui. Qui desursum venit, super omnes est. Qui

est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui de cælo venit, super omnes est. Et quod vidit & audiuit, hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit. Qui autem accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur, non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium: & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Vt ergo cognouit Iesus quia audierunt Pharisæi quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat quam Ioannes (quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam, oportebat autem eum transire per Samariam. ca. 4.

☞ **Sabbato, ex Genesi. Lectio. j.**

ADam vero cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit & peperit Cain, dicens. Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factum est autem post multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit: Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque dominus ad eum, Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies? si autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cunque essent in agro, concurrexit Cain aduersus fratrem suum ca. 4.

Abel, & interfecit eum. Et ait dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit, Nescio: Nunquid custos fratris mei sum ego? Dixitque ad eum, Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram. Dixitque Cain ad dominum, Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Ecce eijsis me hodie a facie terræ & a facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Dixitque ei dominus, Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum.


☩ **Secundum Ioannem. Lectio. ij.**

c.4.b **V**†Enit ergo in ciuitatem Samarixæ quæ dicitur Sichar: iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus, Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Iudæus quum sis bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei, Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam Dicit ei mulier, Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid

tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit Iesus, & dixit ei, Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier, Domine, da mihi hanc aquam: vt non sitiam, neque veniam huc haurire, Dicit ei Iesus, Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit. Non habeo virum. Dicit ei Iesus, bene dixisti, Quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir. hoc vere dixisti. Dicit ei mulier, Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis quia Ierosolymis est locus vbi adorare oportet. Dicit ei Iesus, Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate, nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier, Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia. Dicit ei Iesus, Ego sum qui loquor tecum. Et continuo venerunt discipuli eius: & mirabantur quia cum muliere loquebatur: nemo tamen dixit, Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dixit illis hominibus, Venite, & videte

hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci, nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

☩ **Dominica in Sexagesima, ex Genesi.**
Lectio prima.

ca. 4.  Gressusque Cain a facie domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Enoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius, ex nomine filij sui, Enoch. Porro Enoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiael, & Mauiael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech: qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentorijs atque pastorum: & nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater canentium cithara & organo. Sella quoque genuit Tubal Cain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror vero Tubal Cain, Noema. Dixitque Lamech vxoribus suis Adæ & Sellæ, audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum, septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies. Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam: & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens, Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos, iste cœpit inuocare nomen domini.

☩ **Secundum Ioannem. Lectio. ij.**

c.4.c. **I**nterea rogabant eum discipuli, dicentes, Rabbi, manduca. Ille autem dicit eis, Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Dicebant ergo dis-

cipuli ad inuicem, Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dixit eis Iesus, Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me: vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros: & videte regiones quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat simul gaudeat & qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis, alij laborauerunt: & vos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem eius. Et mulieri dicebant, Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est vere saluator mundi.] Post **D** duos autem dies exijt inde, & abiit in Galilæam. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit quia propheta in sua patria honorem non habet. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. † Et erat quidam **E** regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Iesus adueniret a Iudæa in Galilæam, abiit ad eum: & rogabat eum vt descenderet

& sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum, Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus, Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus, Vade, filius tuus viuit. Credit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei: & nuntiauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit. Et dixerunt ei, Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit. Et credit ipse & do-

mus eius tota.] Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset a Iudæa in Galilæam.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

ca. 8. **I**N illo tempore, dixit, Iesus turbis similitudinem hanc, Exijt qui seminat, seminare semen suum.

Et reliqua. Hom. sancti Grego. papæ.

Lectio sancti Euangelij, quam modo fratres charissimi audistis, expositione non indiget, sed admonitione. Quam enim per semetipsum veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non præsumit. Sed est quod sollicite in hac ipsa expositione dominica pensare debemus. Quia si nos vobis, semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas diuitias significare dicemus, ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret. Vnde & idem dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat, vt sciatis rerum significationes quærere in his etiam quæ per semetipsum noluit explanare. Exponendo ergo quod dixit, figurate se loqui innotuit. quatenus certos vos redderet: cum vobis nostra fragilitas verborum illius figuras aperiret. Quis

enim mihi vnquam crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem: maxime quum illæ pungant, istæ delectent? Et tamen spinæ sunt: quia cogitationum suarum punctione mentes lacerant: & cum vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Quas bene hoc in loco alio (euangelista attestante) nequaquam dominus diuitias, sed fallaces diuitias appellat. **Miserere. 70. Oratio.**

DEus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus: concede propitius, vt contra aduersa omnia, doctoris gentium protectione muniamur. Per do.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

HIC est liber generationis Adam: in die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum & foeminam creauit eos: & benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam in die quo creati sunt. Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit filium ad similitudinem & imaginem suam, vocauitque nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios & filias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. Vixit quoque Seth centum quinque annis & genuit Enos. Vixitque Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios & filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. Vixit vero Enos nonaginta annis, & genuit Cainan. Post cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, &

genuit Malaleel. Et vixit Cainan, postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est. Vixit autem Malaleel sexagintaquinque annis & genuit Iared. Et vixit Malaleel postquam genuit Iared, octingentis triginta annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonagintaquinque anni, & mortuus est.

☞ **Secundum Ioannem. Lectio. ij.**

c.5.a **P**†Ost hæc erat dies festus Iudæorum: & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis Probatrica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinam. & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc autem cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei, Vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus, Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi, illi qui sanatus fuerat, sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis, Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle graba-

tum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum, Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit a turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo: & nuntiavit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum.] Propterea persequabantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, non potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem: quæcunque enim ille facit, hæc & filius similiter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim pater suscitatur mortuos & viuificat: sic & filius quos vult, viuificat. Neque enim pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem, qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit: sed transiet a morte in vitam.

☞ **Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.**

VIxitque Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Enoch, & vixit Iared postquam genuit Enoch octingentis annis & genuit filios & filias. ca. 5.

Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est. Porro Enoch vixit sexagintaquinque annis, & genuit Mathusalam. Et ambulavit Enoch cum Deo: & vixit Enoch postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexagintaquinque anni, ambulavitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathusala centum octogintaseptem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentis octogintaduobus annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexagintanovem anni, & mortuus est. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium: vocavitque nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit dominus. Vixitque Lamech postquam genuit Noe, quingentis nonagintaquinque annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est. † Noe vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham & Iapheth.

¶ **Secundum Ioannem. Lectio. ij.**

c.5.d **A** † Men amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, vivent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.] Non possum ego a

meipso facere quicquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum. iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium eius quod perhibet de me. Vos misistis ad Ioannem: & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico, vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo testimonium maius Ioannis. Opera enim quæ dedit mihi pater vt perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me: & qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me vt vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio. Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine patris mei, & non accepitis me. si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud patrem, est qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem il-

lius litteris non creditis: quomodo ver-
bis meis credetis?

☞ *Feria. iiij. ex Genesi. Lectio. j.*

c.6.a **C**umque cœpissent homines mul-
tiplicari super terram, & filias
procreassent, videntes filii Dei filias
hominum quod essent pulchræ, ac-
ceperunt sibi vxores ex omnibus quas
elegerant.

Dixitque dominus, Non permanebit
spiritus meus in homine in æternum,
quia caro est: eruntque dies illius
centum viginti annorum. Gigantes
autem erant super terram in diebus
illis: postquam enim ingressi sunt
filij Dei ad filias hominum, illæque
genuerunt, isti sunt potentes a seculo
viri famosi. Videns autem Deus quod
multa malitia hominum esset in terra,
& cuncta cogitatio cordis intenta es-
set ad malum omni tempore, pœnituit
eum quod hominum fecisset in terra:
Et præcauens in futurum, & tactus do-
lore cordis intrinsecus. Delebo, inquit,
hominem quem creauit a facie terræ, ab
homine vsque ad animantia, a reptili
vsque ad volucres cœli, pœnitet enim
me fecisse eos. Noe vero inuenit gra-
tiam coram Deo. Hæ sunt generationes
Noe: Noe vir iustus atque perfectus fuit
in generationibus suis, cum Deo ambu-
lauit. Et genuit tres filios, Sem, Cham
& Iapheth. Corrupta est autem terra
coram Deo, & repleta est iniquitate.]

☞ *Secundum Ioannem. Lectio. ij.*

c.6.a **P**ost hæc abiit Iesus trans mare
Galilææ, quod est Tyberiadis: &
sequebatur eum multitudo magna, quia
videbant signa quæ faciebat super his
qui infirmabantur. Subijt ergo in mon-
tem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis
suis. Erat autem proximum Pascha,
dies festus Iudæorum. Cum subleuas-
set ergo oculos Iesus, & vidisset quia

multitudo maxima venit ad eum, dixit
ad Philippum, Vnde ememus panes vt
manducent hi? Hoc autem dicebat
tentans eum, ipse enim sciebat quid
esset facturus. Respondit ei Philip-
pus: Ducentorum denariorum panes
non sufficiunt eis, vt vnusquisque mod-
icum quid accipiat. Dicit ei vnus ex
discipulis eius, Andreas frater Simo-
nis Petri, Est puer vnus hic, qui ha-
bet quinque panes ordeaceos & duos
pisces: sed hæc quid sunt inter tan-
tos? Dicit ergo Iesus, Facite homines
discumbere. Erat autem fœnum mul-
tum in loco. Discumberunt ergo viri,
numero quasi quinque millia. Accepit
ergo Iesus panes: & cum gratias egisset,
distribuit discumbentibus: similiter &
ex piscibus quantum volebant. Vt
autem impleti sunt, dixit discipulis
suis. Colligite quæ superauerunt frag-
menta, ne pereant. Collegerunt ergo,
& impleuerunt duodecim cophinos frag-
mentorum ex quinque panibus ordea-
ceis quæ superfuerunt his qui mandu-
cauerant. Illi ergo homines cum vidis-
sent quod Iesus fecerat signum, dice-
bant, Quia hic est vere propheta, qui
uenturus est in mundum:] Iesus ergo **B**
cum cognouisset quia venturi essent vt
raperent eum & facerent eum regem,
fugit iterum in montem ipse solus. Vt
autem sero factum est, descenderunt
discipuli eius ad mare. Et cum as-
cendissent nauim venerunt trans mare
in Capharnaum: & tenebræ iam factæ
erant, & non venerat ad eos Iesus.
Mare autem, vento magno flante, ex-
urgebat. Cum remigassent ergo quasi
stadia viginti quinque aut triginta, vi-
dent Iesum ambulans supra mare, &
proximum nauis fieri, & timuerunt. Ille
autem dicit eis, Ego sum, nolite timere.

Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit ad terram in quam ibant. Altera die, turba, quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi, nisi vna, & quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abijissent, aliæ vero superuenerunt naues a Tiberiade iuxta locum vbi manducauerunt panem gratias agentes Deo.

☞ *Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.*

c.6.b **C**Vmque vidisset Deus terram esse corruptam (omnisquippe caro corruerat viam suam super terram) dixit ad Noe, Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate a facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis læuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus. Et sic facies eam, Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius: ostium autem arcæ pones ex latere deorsum, coenacula & tristega facies in ea. Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter cœlum, & vniuersa quæ in terra sunt, consumeruntur. Ponamque fœdus meum tecum: & ingredieris arcam tu & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina induces in arcam, vt viuant tecum, masculini sexus & fœminini. De volucris iuxta genus suum, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, vt possint viuere. Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & com-

portabis apud te: & erunt tam tibi, quam illis in cibum. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

☞ *Secundum Ioannem. Lectio. ij.*

CVm ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum quærentes Iesum. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi quando huc venisti? Respondit eis Iesus, & dixit, Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa. sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis hunc enim pater signauit Deus. Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Iesus Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim verus est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum, Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. † Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras, quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam: sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est enim voluntas eius qui misit me, patris: vt omne quod

dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.] Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset, Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi: & dicebant, Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, Quia de cœlo descendi? Respondit ergo Iesus, & dixit eis, Nolite murmurare in

F inuicem: † nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit a patre & didicit, venit ad me. Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit patrem.

¶ **Feria sexta ex Genesi. Lectio. j.**

c.7.a **D**ixitque dominus ad eum, Ingredere tu & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum & foeminam: de animantibus vero immundis duo & duo, masculum & foeminam. Sed & de volatilibus cœli septena & septena, masculum & foeminam: vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ. Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ. Fecit ergo Noe omnia quæ mandauerat ei dominus. Eratque sexcentorum annorum quando diluuij aquæ inundauerunt super terram. Et ingressus est Noe, & filij eius, vxor eius & vxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquas diluuij. De animantibus

quoque mundis & immundis, & de volucris, & ex omni quod mouetur super terram, duo & duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus & foemina, sicut præceperat Deus Noe. Cumque transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt: & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

¶ **Secundum Ioannem. Lectio. ij.**

Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.] Litigabant ergo Iudæi adinuicem dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die † Caro enim mea, vere est cibus: & sanguis meus, vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui

K manducat hunc panem, viuet in æternum.] Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei. Respondit eis Iesus, Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset vnus ex duodecim.

¶ **Sabbato, ex Genesi. Lectio. j.**

c.7.b **I**N articulo diei illius ingressus est Noe & Sem, & Cham, & Iapheth filij eius: vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam: ipsi & omne animal secundum genus suum, vniuersaque iumenta in genere suo, & omne quod mouetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, vniuersæ aues, omnesque volucres ingressæ sunt ad Noe in arcam, bina & bina ex omni carne in qua erat spiritus vitæ. Et

quæ ingressa sunt, masculus & fœmina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum dominus de foris. Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram: & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime a terra. Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas. Et aquæ præualuerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat Consumptaque est omnis caro quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram. Vniuersi homines & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra mortua sunt. Et deleuit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine vsque ad pecus, tam reptile, quam volucres cœli, & deleta sunt de terra: remansit autem solus Noe & qui cum eo erant, in arca. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

¶ **Secundum Ioannem. Lectio. ij.**

c.7.a **P**Ost hæc autem † ambulabat Iesus in Galilæam: non enim volebat in Iudæa ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius, Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit: & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dicit ergo eis Iesus, Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. Non

potest mundus odisse vos, me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc. ego enim non ascendam ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant, Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, Quia bonus est. Alij autem dicebant, Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.] †

B Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes, Quomodo hic litteras scit, quum non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit, Mea doctrina, non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscat de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est: & iniustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit. Dæmonium habes: quis te quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis, Vnum opus feci: & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem: non quia ex Moyse est, sed ex patribus, & in Sabbato circunciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in Sabbato vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbato? Nolite iudicare secundum

faciem: sed iustum iudicium iudicate.

¶ Dominica in Quinquagesima ex Genesi. Lectio prima.

Recordatus autem Deus Noe c.8.a
cunctorumque animantium
& omnium iumentorum quæ
erant cum eo in arca, ad-
dixit spiritum super terram, & im-
minutæ sunt aquæ. Et clausi sunt
fontes abyssi, & cataractæ cœli: &
prohibitæ sunt pluuiæ de cœlo. Reuer-
sæque sunt aquæ de terra euntes &
redeuntes: & cœperunt minui post cen-
tum quinquaginta dies. Requieuitque
arca mense septimo, vigesimo septimo
die mensis super montes Armeniæ. At
vero aquæ ibant & decrescebant vsque
ad decimum mensem, Decimo enim
mense, primo die mensis apparuerunt
cacumina montium. Cumque transis-
sent quadraginta dies, aperiens Noe
fenestram arcæ quam fecerat, dimisit
coruum: qui egrediebatur, & non reuer-
tebatur, donec siccarentur aquæ super
terram. Emisit quoque columbam post
eum, vt videret si iam cessassent aquæ
super faciem terræ. Quæ cum non
inuenisset vbi requiesceret pes eius,
reuersa est ad eum in arcam: aquæ
enim erant super vniuersam terram:
extenditque manum suam, & appre-
hensam intulit in arcam. Expectatis
autem vltra septem diebus alijs, rur-
sum dimisit columbam ex arca. At
illa venit ad eum ad vesperam, portans
ramum oliuæ virentibus folijs in ore
suo Intellexit ergo Noe quod cessassent
aquæ super terram. Expectauitque ni-
hilominus septem alios dies: & emisit
columbam, quæ non est reuersa vltra
ad eum.

¶ Secundum Ioannem. Lectio. ij.

DIcebant ergo quidam ex c.7.c
Ierosolymis. Nonne hic est quem

quærunť interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid vere cognouerunt principes quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit. Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit. Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens, Et me scitis, & vnde sim scitis: & a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum: & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum.]

D & dicebant, Christus, cum venerit, nunquid plura signa faciet quam quæ hic facit? Audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo, hæc: &

E † miserunt principes & Pharisei ministros vt apprehenderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus, Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum qui me misit. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos, Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire? In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus: & clamabat, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accip-

F turi erant credentes in eum,] nondum enim erat spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius,

dicebant. Hic est vere propheta. Alij dicebant, Hic est Christus. Quidam autem dicebant, Nunquid a Galilæa venit Christus? Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello vbi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus.

Secundum Lucam.

Lectio. iij.

IN illo tempore, assumpsit Iesus c. 18. duodecim discipulos suos secreto, & ait illis, Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. *Et reliqua.*

Hom. sancti Grego. papæ.

Redemptor noster præuidens ex passione sua discipulorum animos perturbandos: eis longe ante eiusdem passionis poenam, & resurrectionis suæ gloriam prædicit, vt dum eum morientem (sicut prædictum est) cernerent, etiam resurrecturum non dubitarent. Sed quia carnales adhuc discipuli nullo modo valebant capere verba mysterij: venit ad miraculum Ante eorum oculos cæcus lumen recipit, vt qui cœlestis mysterij verba non caperent: eos ad fidem cœlestia facta solidarent. Sed miracula domini & saluatoris nostri sic accipienda sunt, fratres mei, vt & in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe eius & per potentiam aliud ostendunt, & per mysterium aliud loquuntur. Ecce enim quis iuxta historiam cæcus iste fuerit ignoramus: sed tamen per mysterium quid significet nouimus. Cæcus quippe est genus humanum, quod in parente primo a paradisi gaudijs expulsum claritatem supernæ lucis igno-

rans. damnationis suæ tenebras patitur. Sed tamen per redemptoris sui præsentiam illuminatur, vt æternæ lucis gaudia iam per desiderium videat, atque in via vitæ boni operis gressus ponat. Notandum vero est, quod cum Iesus Hiericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Hiericho quippe interpretatur luna. Luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur: quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat.

Miserere. 70. Oratio.

PReces nostras, quæsumus domine, clementer exaudi, atque a peccatorum vinculis absolutos ab omni nos aduersitate custodi. Per dominum.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

c.8.b **I**gitur sexcentesimo primo anno vitæ Noe, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram: & aperiens Noe tectum arcæ aspexit, viditque quod exiccata esset superficies terræ. Mense secundo septimo & vigesimo die mensis arefacta est terra. Loquutus est autem Deus ad Noe, dicens, Egredere de arca tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animalia quæ sunt apud te, ex omni carne tam in volatilibus quam in bestijs & vniuersis reptilibus quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram, crescite & multiplicamini super eam. Egressus est ergo Noe, & filij eius, vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animalia, iumenta & reptilia quæ reptant super terram secundum genus suum, egressa sunt de arca. Ædificauit autem Noe altare domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucris mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque
C est dominus odorem suauitatis,] & ait

ad eum, Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem sicut feci. Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.

¶ Secundum Ioannem. Lectio. ij.

Venerunt ergo ministri ad pontifices & Pharisæos. Et dixerunt eis illi, Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri. Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis Pharisæi, Nunquid & vos seducti estis? nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis, Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt, & dixerunt ei, Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & vide quia a Galilæa propheta non surgit. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam. † Iesus autem perrexit in montem Oliueti: & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, & dicunt ei, Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum: vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra. Cum ergo perseuerarent interrogantes eum: erexit se, &

dixit eis, Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc, vnus post vnum exhibant, incipientes a senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Erigens autem se Iesus, dixit ei, Mulier, vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit, Nemo domine. Dixit autem Iesus, Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.

☞ *Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.*

ca. 9. **B**enedixitque Deus Noe, & filijs eius, & dixit ad eos, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manusi vestræ traditi sunt. Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia: excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri & fratris eius requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Vos autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam. Hæc quoque dixit Deus ad Noe, & ad filios eius cum eo, Ecce, ego statuat pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & ad omnem animam viuentem quæ est vobiscum, tam in volucris, quam in iumentis & pecudibus terræ, cunctisque, quæ egressa sunt de arca, & vniuersis bestiis terræ. Statuam pactum meum vobiscum: & nequaquam vltra interficietur

omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram.

☞ *Secundum Ioannem. Lectio. ij.*

Iterum ergo loquutus est eis Iesus, c.8.b
dicens, † Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei Pharisæi, Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis, Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni: & quo vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quo vado. Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam, & si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me, pater. Et in lege vestra scriptum est, Quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me qui misit me, pater. Dicebant ergo ei, Vbi est pater tuus? Respondit Iesus, Neque me scitis, neque patrem meum: si me sciretis: forsitan & patrem meum sciretis. Hæc verba loquutus est Iesus in gazophylatio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.] Dixit ergo iterum c
eis Iesus, † Ego vado: & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi. Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quo ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis, Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis: ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis Iesus, Principium qui & loquor vobis. Multa

habeo de vobis loqui & iudicare: sed qui me misit, verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt quia patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis Iesus, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & a meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor, & qui me misit, mecum est: & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.] Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

Feria quarta Cinerum.

☩ Si in hac feria inciderit festum duplex, transferendum est in sequentem diem, vt supra dictum fuit: si autem inciderit in alijs ferijs vsque ad triduum ante Pascha, officium fiet de festo duplici, & pro commemoratione Feriæ dicenda est eius Oratio in Laudibus, & Vesperis post Orationem festi duplicis: & similiter fiet quando in aliqua Feria celebrabitur festum aliquod duplex translatum ex hac Feria quarta Cinerum, aut ex Dominicis Quadragesimæ.

Notandum præterea quod nullum festum simplex celebrandum est per totam Quadragesimam, sed si aliquod occurrerit, fiet officium de feria, & pro commemoratione illius festi simplicis in fine Primæ antequam dicatur. Pretiosa, dicitur eius Oratio propria si habuerit, alioquin de communi, quemadmodum dictum fuit in dominica prima Aduentus. Aduertendum insuper quod in Sabbatis Quadragesimæ non debet fieri officium de beata Virgine, sed solum debet fieri commemoratio solita post Orationem Feriæ in Laudibus & Vesperis, vt in alijs diebus.

☩ Item omittendæ sunt tertiæ lectiones occurrentes in Calendario ex epistolis Pauli per totam Quadragesimam, in

qua cuilibet Feriæ assignata est propria tertia lectio. Et supra dicta ordinata sunt iuxta decreta conciliorum antiquorum, de quibus in præfatione. Ad matuti. inuitato. Hodie si vocem domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. **Hym.**

EX more docti mystico,
Seruemus hoc ieiunium,

Deno dierum circulo:

Ducto quater notissimo.

Lex & prophetæ primitus,

Hoc prætulerunt, postmodum,

Christus sacrauit omnium:

Rex atque factor temporum.

Vt amur ergo parcius,

Verbis, cibis, & potibus,

Somno, iocis, & arctius:

Perstemus in custodia.

Dicamus omnes cernui,

Clamemus atque singuli,

Ploremus ante iudicem:

Flectamus iram vindicem.

Nostris malis offendimus,

Tuam eus, clementiam,

Effunde nobis desuper:

Remissor indulgentiam.

Præsta beata Trinitas,

Concede simplex vnitas,

Vt fructuosa sint tuis:

Ieiuniorum munera. Amen. **An.**

Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & fletu, & planctu.

Ex Ioel. Lectio. j.

NVnc ergo, dicit dominus, † conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, sac-

rificium & libamen domino Deo vestro? Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregare populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregare paruulos, & sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum, & altare plorabunt sacerdotes ministri domini: & dicent: Parce domine, parce populo tuo: & ne des dæreditatem tuam in opprobrium,] vt dominantur eis nationes. quare dicunt in populis, Vbi est Deus eorum? zelatus est dominus terram suam, & pepercit populo suo. Et respondit dominus, & dixit populo suo, Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eo: & non dabo vos vltra opprobrium in gentibus. Et eum qui ab aquilone est, procul faciam a vobis: & expellam eum in terram inuiam & desertam, faciem eius contra mare orientale, & extremum eius ad mare nouissimum, & ascendet foetor eius, & ascendet putredo eius, quia superbe egit.

¶ **Secundum Ioannem. Lectio. ij.**

ca. 8. **D**Icebant ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos, Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruuiimus vnquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Iesus, Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, seruus autem non manet in domo in æternum. Filius manet in æternum: si vero vos filius liberauerit, vere liberi eritis, Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud patrem, loquor: & vos quæ

vidistis apud patrem vestrum, facitis. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster, Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filij Abrahæ estis: opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis loquutus sum, quam audiui a Deo. hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei, Nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus, Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique & me. Ego enim ex Deo processi, & veni, neque enim a meipso veni: sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio: & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. Quis † ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus, Ego dæmonium non habeo: sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat & iudicet.

¶ **Secundum Matthæum. Lectio. iij.**

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Cum ieiunatis: nolite fieri sicut hypocritæ tristes. ca. 6.

Et reliqua. **Hom. sancti Augusti episc.** Cum ieiunatis (inquit) nolite fieri sicut hypocritæ tristes Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiui-

nantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Vos autem ieiunantes, vngite capita vestra, & facies vestras lauate, ne videamini hominibus ieiunantes: sed patri vestro qui est in abscondito: & pater vester qui est in abscondito reddet vobis. Manifestum est his præceptis, omnem nostram intentionem in interiora debere gaudia dirigi: ne foris quærentes mercedem, huic seculo conformemur, & amittamus promissionem tanto solidioris atque firmioris, quanto interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imaginis filij sui: in hoc autem capitulo maxime animaduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam: & eo periculosiorem, quo sub nomine seruitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitu, vel cæterarum rerum nitore fulget, facile conuincitur rebus ipsis pomparum seculi esse sectator: & nequaquam fallit dolosa imagine sanctitatis. Qui autem in professione Christianitatis inusitato squallore ac sordibus intentos in se hominum oculos facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiat, ex cæteris eius operibus potest conuinci, vtrum hoc contemptu superflui cultus, aut ambitione aliqua faciat: quia nobis sub ouina pelle cauendos lupos dominus præcepit. Sed ex fructibus (inquit) eorum cognoscetis eos. Miserere. 70.

Ad laudes an. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: commendemus nosmetipsos in multa patientia. **Oratio.**

ca. 3. **P**ræsta domine fidelibus tuis, vt ieiuniorum veneranda solennia, & congrua pietate suscipiant, & secunda deuotione percurrant. Per dominum.

☩ Notandum, quod in hac feria quarta Cinerum præter officium diei dicuntur septem Psalmi pœnitentiales cum Litanij, & Orationibus, vt in fine Breuiarij.

☩ Item notandum, quod in omnibus sextis Ferijs Quadragesimæ excepta sexta Feria hebdomadæ sanctæ dicuntur simili modo septem Psalmi, vel Matutinum cum Laudibus pro Defunctis, vt suis locis annotatur.

☩ Aduertendum autem, quod si in aliqua ex prædictis sextis Ferijs celebrabitur festum duplex, non dicuntur septem Psalmi, nec officium Defunctorum.

☩ Ad Vesperas. Hymnus.

AVdi benigne conditor, Nostras precæces cum fletibus: In hoc sacro ieiunio, Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium, Infirmæ tu scis virium: Ad te reuersis exhibe, Remissionis gratiam.

Multum quidem peccauimus,

Sed parce confitentibus:

Ad laudem tui nominis,

Confer medelam languidis.

Sic corpus extra conteri,

Dona per abstinentiam:

Ieiunet vt mens sobria,

A labe prorsus criminum.

Præsta, beata Trinitas. **Antiphona.**

Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominum: & miserebitur eius.

☩ Notandum, quod Imitatorium, hymni, & Antiphonæ huius quartæ Feriæ Cinerum dicuntur vsque ad dominicam de Passione exclusiue in omnibus diebus, nisi celebretur aliquod festum duplex.

☩ Feria quinta post diem Cinerum, ex Genesi. Lectio prima.

ca. 9. **D**ixitque Deus, Hoc est signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem quæ est vobiscum in generationes sempiternas: arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnem. Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum, & omnem animam viuentem vniuersæ carnis, quæ est super terram. Dixitque Deus ad Noe, Hoc est signum fœderis quod constitui inter me & omnem carnem super terram. Erant ergo filij Noe, qui egressi sunt de Arca, Sem Cham, & Iapheth: porro Cham ipse est pater Chanaan. Tres isti, filij sunt Noe: & ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram. Cœpitque Noe, vir agricola exercere terram, & plantauit vineam Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham, pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras. At vero Sem, & Iapheth, pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt. Euigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitque, Benedictus dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, sitque

Chanaan seruus eius. Vixit autem Noe, post diluuium trecentis quinquaginta annis: & impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum: & mortuus est.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

AMen amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & prophetæ: & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & prophetæ mortui sunt? Quem teipsum facis? Respondit Iesus, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis: Quia Deus noster est, & non cognouistis eum, ego autem noui eum. Et si dixero, quia non scio eum: ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus, Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.] † Et præteriens Iesus, vidit hominem cæcum a natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus, Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari: quandiu sum in mundo, lux

c.8.g

c.9.a

sum mundi. Hoc cum dixisset, ex-
puit in terram, & fecit lutum ex sputo,
& liniuit lutum super oculos eius, &
dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe,
quod interpretatur missus. Abijt ergo
& lauit: & venit videns. Itaque vicini,
& qui viderant eum prius, quia men-
dicus erat, dicebant, Nonne hic est qui
sedebat & mendicabat? Alij dicebant,
Quia hic est. Alij autem, Nequaquam,
sed similis est ei. Ille vero dicebat, Quia
ego sum. Dicebant ergo ei, Quomodo
aperiti sunt tibi oculi? Respondit, Ille
homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, &
vnxit oculos meos, & dixit mihi, Vade
ad natatoria Siloe: & laua. Et abij,
& laui, & video. Et dixerunt ei, Vbi
est ille? Ait, Nescio. Adducunt ad
Pharisæos eum, qui cæcus fuerat. Erat
autem Sabbatum, quando lutum fecit
Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum
ergo interrogabant eum Pharisæi quo-
modo vidisset. Ille autem dixit eis, Lu-
tum mihi posuit super oculos, & laui,
& video. Dicebant ergo ex Pharisæis
quidam, Non est hic homo a Deo, qui
Sabbatum non custodit. Alij autem
dicebant, Quomodo potest homo pec-
cator hæc signa facere? Et schisma
erat inter eos.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

ca. 8. **I**N illo tempore, Cum intrasset Iesus
Capharnaum accessit ad eum Cen-
turio eogans eum & dicens: Domine,
puer meus iacet paralyticus in domo,
& male torquetur. Et ait illi Iesus, Ego
veniam, & curabo eum.

Et reliqua. Hom. sancti Augu. episc.
Videamus vtrum de seruo Centurionis
sibi Matthæus Lucasque consentiant.
Matthæus enim dicit: Accessit ad eum
Centurio rogans eum, & dicens: Puer
meus iacet in domo paralyticus. Cui
videtur repugnare quod Lucas ait, Et

cum audisset de Iesu, misit ad eum se-
niores Iudæorum: rogans eum vt de-
scenderet, & sanuaret seruum eius. At
illi cum venissent ad Iesum, rogabant
eum solícite dicentes ei, quia dignus est
vt hoc ei præstes: diligit enim gen-
tem nostram: & synagogam ipse æd-
ificauit nobis. Iesus autem ibat cum
illis. Et cum iam non longe esset
a domo, misit ad eum Centurio ami-
cos dicens: Domine, noli vexari. Non
enim sum dignus, vt intres sub tectum
meum: propter quod & meipsum non
sum dignum arbitratus vt venirem ad
te: sed dic verbo, & sanabitur puer
meus. Si enim hoc ita gestum est, quo-
modo erit verum quod Matthæus nar-
rat: Accessit ad eum quidam Centu-
rio: cum ipse non accesserit, sed amicos
miserit? Nisi diligenter aduertentes,
intellegamus Matthæum non omnino
deseruisse vsitatum modum loquendi.
Non enim solum dicere solemus acces-
sisse aliquem, etiam antequam perue-
niat illuc quo dicitur accessisse. Vnde
etiam dicimus, parum accessit vel mul-
tum accessit eo, quo appetit peruenire.
Verumetiam ipsa peruentio cuius
adipiscendi causa acceditur, dicimus
plerumque factam: & si eum ad quem
peruenit non videat ille qui peruenit:
cum per amicum peruenit ad aliquem,
cuius ei fauor est necessarius. **Miserere.**
70. **Oratio.**

DEus qui culpa offenderis, poeni-
tentia placaris: preces populi tui
supplicantis propitius respice: & flag-
ella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis
nostris meremur, auerte. Per do.

**¶ Feria sexta post diem Cinerum ex
Generi. Lectio prima.**

HÆ sunt generationes filiorum Noe, c. 10.
Sem, Cham & Iapheth: natiq̄ue
sunt eis filij post diluuium. Filij

Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Mosoch, & Thiras. Porro filij Gomer, Ascenez, & Riphath, & Thogorma. Filij autem Iauan: Elisa, & Tharsis, Cethim, & Dodanim. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam & familias in nationibus suis. Filij autem Cham, Chus, & Masraim, & Phut, & Chanaan. Filij autem Chus: Saba, & Euila, & Sathatha, & Regma, & Sabathaca. Filij Regma: Saba, & Dadan. Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram domino. ab hoc exiuit prouerbium, Quasi Nemrod robustus venator coram domino. Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar. De terra illa egressus est Assur, & aedificauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale. Resen quoque inter Niniuen, & Chale: hæc est ciuitas magna. At vero Mesraim genuit Ludim, & Ananim, & Laabim, & Nephtuim, & Phethrusim, & Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthijm, & Capthorim.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

c.9.b

Dicunt ergo cæco iterum, Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuisset & vidisset: donec vocauerunt parentes eius qui viderat, & interrogauerunt eos dicentes, Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt, Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc videat nescimus, aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus. ipsum interrogate: ætatem habet: ipse

de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerunt Iudæi: vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt, Quia ætatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursus hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, Da gloriam Deo. nos scimus quia hic homo, peccator est. Dixit ergo eis ille, si peccator est, nescio. vnum scio, quia cæcus cum essem, modo video. Dixerunt ergo illi, Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis, Dixi vobis iam, & audistis: quod iterum vultis audire? nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt, Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi loquutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quicquam. Responderunt, & dixerunt ei, In peccatis natus es totus: & tu doces nos? Et ieicerunt eum foras. Audiuit Iesus, quia ieicerunt eum foras: & cum inuenisset, eum, dixit ei, Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit, Quis est domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus, Et vidisti eum: & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo, domine. Et procidens adorauit eum.] Et dixit ei Iesus, In iudicium ego

C

in hunc mundum veni: vt qui non vi-

dent videant, & qui vident cæci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei, Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum. nunc vero dicitis, Quia videmus. Peccatum ergo vestrum manet.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

ca. 5. **I**N illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis, Audistis quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum: & odio habebis inimicum tuum.

Et reliqua. Hom. Origenis.

Sicut illa alia præcepta data eis fuerant in lege: sic & hoc. Sicut enim ad dimittendas vxores iussum fuerat vt eas non interficerent: sic & ad odiendum inimicum mandatum fuit: vt & amicum non odissent. Concessa sunt autem ista populo illi veteri adhuc rudi & infirmo: quanquam inimicus qui odio habendus dicitur iuxta subtiliorem intellectum diabolus possit intelligi. Ceterum in euangelio quod lege veteri longe excellentius & perfectius est: quid magister perfectionis dicat, audiamus. Ait enim discipulis suis, dilige inimicos vestros: benedicite maledicentibus vobis: & benedicite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus vos. Secundum legem, diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum. Et secundum euangelium, inimicum & proximum diliges. Diligite inimicos vestros. Imperfectionem legis euangelium adimpleuit. Infirmiorem eorum qui sub circuncisione erant, hi qui sub gratia fuerunt, confirmauerunt: quibus velut firmissimis & perfectis viris dominus hoc mandabat, dicens: Diligite inimicos vestros vos mansueti: vos mites: vos benigni: vos immaculati: vos imitatores mei. Vos me sequentes, vos diligite inimicos vestros, siue paganos

idolorum cultores, siue hæreticos infideles. Isti enim sunt inimici vestri: isti sunt veritatis aduersarij. Miserere. 70. *Oratio.*

INchoata ieiunia quæsumus domine benigno fauore proseguere: vt obseruantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam synceris exercere valeamus. Per do.

¶ *Aduertendum, quod in hac sexta feria dicitur matuti. cum suis laudibus & vesper. pro defunctis.*

¶ *Sabbato post diem Cinerum, ex Genesi. Lectio prima.*

CHanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum & Iebusæum, & Amorrhæum, Gergesæum, & Heuæum, & Aracæum, Sinæum, & Aradium, Samaræum, & Hamathæum: & per hos disseminati sunt populi Chananæorum. Factique sunt termini Chanaan, venientibus a Sidone Geraram, vsque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, vsque Lasa. Hi filij Cham in cognationibus & linguis & generationibus, terrisque & gentibus suis. De Sem, quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore. Filij Sem, Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. Filij Aram: Hus, & Hul, & Gether, & Mes. At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber. Natique sunt Heber filij duo: nomen vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuisa sit terra: & nomen fratris eius, Iectan. Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, Iare, & Adoran, & Vzal, & Decla, & Hebal, & Abimael Saba, & Ophir, & Euila, & Iobab. omnes isti, filij Iectan. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus vsque Sephat montem orientalem. Isti filij Sem, secundum cognationes &

linguas, & regiones in gentibus suis. Hæ familiæ filiorum Noe iuxta populos & nationes suas. Ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.

Secundum Ioannem. **Lectio. ij.**

c. 10. **A** †Men amen dico vobis, qui non in-
a trat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium: pastor est ouium. Huic ostiarius aperit: & oues vocem eius audiunt: & proprias ouas vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit: ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus. Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones: sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.] † Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem

meam audient: & fiet vnum ouile & vnus pastor.] Propterea me diligit pater: quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a me ipso. Potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a patre meo. Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis, Dæmonium habet & insanit: quid eum auditis? Alij dicebant, Hæc verba non sunt dæmonium habentis, nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Secundum Marcum. **Lectio. ij.**

IN illo tempore: Cum sero esset factum, erat nauis in medio mari: & ipse solus in terra. ca. 6.

Et reliqua. Hom. Bedæ presbyteri.

Et cum dimisisset eos, abiit in montem solus orare. Non omnis qui orat, ascendit in montem. Est enim oratio quæ peccatum facit. Sed bene orat qui Deum orando quærit hic a terrenis ad superiora progrediens verticem curæ sublimioris ascendit. Qui vero de diuitijs, aut de honore seculi, aut certe de inimici morte sollicitus obsecrat, ipse in infimis iacens, viles ad Deum preces mittit. Orat autem dominus, non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam & si omnia posuerit pater in potestate filij: filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum patrem putat esse pro nobis, quia noster aduocatus est. Aduocatum (inquit) habemus apud patrem dominum Iesum Christum. Si aduocatus est, debet pro nostris interuenire peccatis. Non ergo quasi infirmus: sed quasi pius obsecrat. Vis scire quod omnia quæ velit, possit? & aduocatus & iudex est. Et cum sero esset factum, erat nauis in

medio mari, & ipse solus in terra videns eos laborantes in remigando: erat enim ventus contrarius eis. Labor discipulorum in remigando, & contrarius eis ventus, labores sanctæ ecclesiæ varios designant: quæ inter vndas seculi aduersantis & immundorum flatus spirituum ad quietem patriæ cœlestis, quasi ad fidam litoris stationem peruenire conatur. **Miserere. 70. Oratio.**

A Desto domine supplicationibus nostris: & concede, vt hoc solenne ieiunium quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus. Per do.

¶ Ab hoc Sabbato inclusiue vsque ad Pascha Vesperæ dicuntur ante cœnam meridianam in omnibus diebus etiam festiuis, exceptis dominicis, in quibus dicuntur, hora consueta.

¶ Dominica prima Quadragesimæ, ex Genesi. Lectio. j.

c. 11. **R**at autem terra labij vnus, & sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum, Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cœmento: & dixerunt, Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras. Descendit autem dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam, & dixit. Ecce, vnus est populus: & vnum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus & confundamus

ibi linguam eorum: vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque ita diuisit eos dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ: & inde dispersit eos dominus super faciem cunctarum regionum. Hæ sunt generationes Sem. Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios & filias. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios & filias. Sale quoque vixit triginta annis & genuit. Heber. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, & genuit filios & filias.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

F†Acta sunt autem encenia in Ierosolymis: & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circunderunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam? Respondit eis Iesus: Loquor vobis: & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei: hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit

c. 10.
d

eis Iesus, Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi. De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum, Respondit eis Iesus, Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemias: quia dixi, filius Dei sum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis quia pater in me est, & ego in

E patre.] Quærebant ergo eum apprehendere: & exiuit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum vbi erat Ioannes baptizans primum: & mansit illic, & multi venerunt ad eum, & dicebant, Quia Ioannes quidem signum fecit nullum: Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

ca. 4. **I**N illo tempore: Ductus est Iesus in desertum a spiritu vt tentaretur a diabolo, Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.

Et reliqua. Hom. sancti Grego. papæ.

Dubitari a quibusdam solet, a quo spiritu sit Iesus ductus in desertum: propter hoc quod subditur. Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & rursus, Assumpsit eum in montem excelsum valde. Sed vere & absque vlla quæstione conuenienter accipitur, vt a sancto spiritu in desertum ductus credatur: vt illuc eum suus spiritus duceret, vbi hunc ad tentandum

spiritus malignus inueniret. Sed ecce, cum dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam ciuitatem assumptus a diabolo, mens refugit, humanæ hoc audire aures expauescunt. Sed tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo & alia facta pensemus. Certe iniquorum omnium diabolus caput est: & huius capituli membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membra Pilatus fuit? An non diaboli membra Iudæi persequentes, & milites crucifigentes fuerunt? Quid ergo mirum, si se ab illo permisit in montem duci, & tentari, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi? Non est ergo indignum redemptori nostro, quod tentari voluit qui venerat occidi. Iustum quippe erat, vt sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare. Miserere. 70. Oratio.

DEUS, qui ecclesiam tuam annua quadragesimali obseruatione purificas: præsta familiæ tuæ, vt quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per do.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios & filias. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu. Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis nouem annis, & genuit filios & filias. Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios & filias. Vixit vero Sarug triginta annis, & genuit Nachor. Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios & fil-

c. 11.

ias. Vixit autem Nachor vigintinouem annis, & genuit Thare. Vixitque Nachor postquam genuit Thare, centum decem & nouem annis, & genuit filios & filias. Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram & Nachor & Aran. Hæc sunt autem generationes Thare, Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porro Aran genuit Lot. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum. Duxerunt autem Abram & Nachor vxores: nomen vxoris Abram Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ & patris Ieschæ. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan: veneruntque vsque Haran, & habitauerunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

ca. 11. **E**†Rat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat quæ vnxit dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes, Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dicit discipulis suis, Eamus in Iudæam iterum: Dicunt ei discipuli. Rabbi,

nunc quærebant te Iudæi lapidare: & iterum vadis illuc? Respondit Iesus, Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi videt, si autem ambulauerit in nocte offendit: quia lux non est in eo. Hæc ait, & post hæc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit: sed vado, vt a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: Illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste, Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos, Eamus & nos, vt moriamur cum eo. Venit itaque Iesus: & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes. Et reliqua. c. 25.

Homilia. sancti Augustini episc.

Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo: tunc sedebit in sede maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes: & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis: & statuet oues quidem a dextris, hædos autem a sinistris. Tunc dicet eis qui a dextris eius erunt, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vo-

bis paratum est ab origine mundi. Vbi lumen indeficiens: vbi gaudium sempiternum: vbi vita perennis & immortalis: & lætitia sempiterna cum angelis & apostolis. Vbi lux lucis, & fons luminis. Vbi ciuitas sanctorum Ierusalem cœlestis. Vbi conuentus martyrum & patriarcharum cum Abraham, Isaac & Iacob, & sanctorum omnium. Vbi dolor nullus, nec tristitia post gaudium. Vbi nox effugiet, & senectus non apparebit. Vbi charitas inexplibilis. Vbi pax indiuidua. Vbi assistunt angeli & vniuersæ potestates. Vbi manna, id est, cibus cœlestis, & vita angelica. Et vt infinita in breui comprehendam, vbi omnis dolor & omne malum non videbitur. & omne bonum non deesse vnquam poterit. Tunc iusti ad hæc respondebunt dicentes, domine cur tantam & talem nobis gloriam præparasti? Tunc & ipse eis, respondebit, Pro misericordia vestra & fide. Pro hilaritate & patientia. Pro longanimitate & mansuetudine. Pro veritate & iustitia. Pro continentia & humilitate. Pro hospitalitate & affabilitate. Pro gaudio ad peregrinos & ignotos. Pro iustitia & sanctitate. Pro tristitia vestra in malo proximi. Pro lætitia vestra in bonis eius. Pro gaudio vestro in his qui nec sermonem ociosum de ore suo proferunt. Pro timore Dei in his qui nec transgrediuntur pactum, iota vnum aut vnum apicem de lege domini. Pro eo quod non accepistis munera super innocentem, nec mendacium pro veritate.

Miserere. 70. **Oratio.**

Conuerte nos Deus salutaris noster: & vt nobis ieiunium quadragesimale proficiat, mentes nostras cœlestibus instrue disciplinis. Per domi.

☞ **Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.**

Dixit autem dominus ad Abram, c. 12. Egrede de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicientibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei dominus, & iuit cum eo Lot. Septuagintaquinque annorum erat Abram cum egredere de Haran. Tulitque Sarai vxorem suam & Lot filium fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran: & egressi sunt vt irent in terram Chanaan. Cunque venissent in eam, pertransiuit Abram terram vsque ad locum Sichem, vsque ad conuallem illustrem. Chananæus autem tunc erat in terra. Apparuitque dominus Abram, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare domino, qui apparuerat ei. Et inde transgrediens ad montem qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare domino, & inuocauit nomen eius. Perrexitque Abram vadens & vltra progrediens ad meridiem.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

MArtha ergo vt audiuit quia Iesus c. 11. venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. † Dixit ergo Martha ad B Iesum, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi Iesus, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouis-

simo die. Dixit ei Iesus, Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet. & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi, Vtique domine: ego credidi quia tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum

C venisti.] Et cum hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio: dicens: Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit cito, & venit ad eum: nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit & exiit, secuti sunt eam, dicentes, Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Maria ergo cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit, Vbi posuistis eum? Dicunt ei, domine, veni & vide. Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur? Iesus ergo rursus fremens in semetipso venit ad monumentum: erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus, Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat, Domine, iam fœtet, quatruiduanus est enim. Dicit ei Iesus, Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

- c. 21. **I**N illo tempore: Cum intrasset Iesus Ierosolymam: commota est vniuersa ciuitas dicens? Quis est hic?

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Et venit Ierosolymam: & cum introisset templum, cœpit eijcere vendentes & ementes de templo: & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Quod maledicendo ficum infructuosam per figuram fecit dominus: hoc idem mox aperte ostendit, eijciendo improbos de templo. Neque enim aliquid peccauerat arbor, quæ esuriente domino poma non habuit, quorum necdum tempus aduenerat. Sed peccauere sacerdotes, qui in domo domini secularia negocia gerebant, & fructum pietatis quem debuerant, quemque in eis dominus esuriebat, ferre recusabant. Arefecit dominus arborem maledictam, vt homines hoc videntes siue audientes, multo magis intelligerent se diuino condemnandos esse iudicio, si absque operum fructu de plausu tantum sibi religiosi sermonis, velut de sonitu & blandimento viridantium gloriarentur foliorum. Verum quia non intellexerunt: consequenter in ipsos distractionem emeritæ vltionis exercuit. Eiecitque commercia rerum humanarum de templo illo: quo diuina res tantum agi, hostias & oblationes Deo offerri, verbum Dei legi, audiri & decantari præceptum erat. Et quidem credendum est, quod ea tantum vendi & emi repererat in templo, quæ ad ministerium templi eiusdem necessaria erant: iuxta hoc quod alias factum legimus cum idem templum ingrediens inuenit in eo ementes & vendentes oues & boues & columbas. Quæ nimirum omnia non nisi vt offerrentur in domo domini vendebantur: & eos qui de longe venerant ab indigenis comparare credendum est. Miserere. 70. Oratio.

Respice domine familiam tuam, & præsta, vt apud te mens nostra

tuo desiderio refulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Per dominum.

☞ *Feria. iiij. ex Genesi. Lectio. j.*

- c. 12. **F**Acta est autem fames in terra: descenditque Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi: præualuerat enim fames in terra. Cunque prope esset vt ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai vxori suæ, Noui quod pulchra sis mulier: & quod cum viderint te Ægyptij, dicturi sunt, vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, vt bene sit mihi propter te: & viuat anima mea ob gratiam tui. Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem quod esset pulchra nimis. Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis. Abram vero bene vsi sunt propter illam. Fueruntque ei oues & boues & asini & serui, & famulæ, & asinæ & cameli. Flagellauit autem dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram. Vocauitque Pharaon Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc, quod fecisti mihi? Quare non indicasti mihi, quod vxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? nunc igitur, ecce coniux tua, accipe eam, & vade. Præcepitque Pharaon super Abram viris: & deduxerunt eum & vxorem illius, & omnia quæ habebat.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

- c. 11. **T**Vlerunt ergo lapidem. Iesus autem d **T**eleuatis sursum oculis dixit, Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. ego autem sciebam quia semper me audis. sed propter populum qui circumstat, dixi: vt credant quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna

clamauit, Lazare, veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus, Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Iesus: crediderunt in eum.] Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus. † Collegerunt ergo pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant, Quid faciemus? quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Vnus autem ex ipsis. Caiphas nomine cum esset pontifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quicquam nec cogitatis: quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit quod Iesus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ab illo ergo die, cogitauerunt vt interficerent eum.

Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.] Proximum **F** autem erat Pascha Iudæorum: & ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, vt sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Iesum: & colloquebantur adinuicem, in templo stantes. Quid putatis quia non venit ad diem festum istum? Dederant autem pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 12. **I**N illo tempore: Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi dicentes, Magister, volumus a te signum videre. Et reliqua. Homilia sancti Augustini. episc.

Ea quæ de sancto euangelio recitata sunt fratres mei, si omnia pertractare cupimus, vix tempus sufficit singulis, quanto magis ergo non sufficit omnibus? Ionam prophetam, qui deiectus in mare beluæ marinæ vtero exceptus est, & die tertia viuus euomitur, figuram gessisse Saluatoris, qui passus est, & die tertia resurrexit, ipse saluator ostendit. Accusatus est populus Iudæorum in comparatione Niniuitarum, quoniam Niniuitæ ad quos redarguendos missus est Ionas propheta, agendo pœnitentiam iram Dei placauerunt, & misericordiam meruerunt. Ecce (inquit) plusquam Ionas hic: volens intellegi seipsum, dominus Iesus. Audierunt illi seruum, & vias suas correxerunt: audierunt isti dominum, & contempserunt, & insuper occiderunt. Regina austri exurgit (inquit) in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam. Venit enim a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic. Non fuit magnum Christo plus esse quam Ionas, plus esse quam Salomon: ille enim dominus, illi serui erant. Sed tamen quales sunt qui præsentem dominum contempserunt, quando alienigenæ seruos eius audierunt? Miserere. 70. Oratio.

PReces nostras quæsumus domine clementer exaudi: & contra cuncta nobis aduersantia dexteram tuæ maiestatis extende. Per dominum.

☞ Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.

c. 13. **A**Scendit ergo Abram de Ægypto, ipse & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo, ad australem plagam. Erat autem diues valde Abram in possessione auri & argenti. Reuersusque est per iter quo venerat, a meridie in Bethel, vsque ad locum vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai, in loco altaris, quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen domini. Sed & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium & armenta & tabernacula. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso, sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est, recede a me, obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur antequam subuerteret dominus Sodomam & Gomorrhæam, sicut paradisi domini & sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente: diuisique sunt alterutrum a fratre suo. Abram habitauit in terra Chanaan: Lot vero moratus est in oppidis quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram domino nimis. Dixitque dominus ad Abram postquam diuisus est ab eo Lot, Leua oculos tuos, & vide a loco in quo nunc es,

ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem. Omnem terram quam conspicias, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ: si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. Surge ergo, & perambula terram in longitudine & latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. Mouens igitur Abram tabernaculum suum, venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificauitque ibi altare domino.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

- c. 12. **I**†Esus ergo, ante sex dies paschæ
 a venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat: Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est ex odore vnguenti. Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus. Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat. Dixit ergo Iesus, Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud: pauperes enim semper habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est: & venerunt non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent quem suscitauit a mortuis.] Cogitauerunt autem principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. In crastinum autem

turba multa quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Iesus Ierosolymam: acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei: & clamabant. Hosanna, benedictus qui venit in nomine domini, rex Israel. Et inuenit Iesus asellum: & sedit super eum, sicut scriptum est, Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognouerunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus: tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei. Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum a mortuis. Propterea & obuiam venit ei turba: quia audierunt fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos. Videtis quia nihil proficimus? Ecce, mundus totus post eum abiijt.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

IN illo tempore: Egressus Iesus, se- c. 15.
 cessit in partes Tyri & Sidonis.

Et reliqua. Homilia Origenis.

Fratres, dicet aliquis ex vobis, feci peccata multa & magna. Et quis ex nobis est qui non peccet? Tu dicis, Erraui super omnes homines, sufficit tibi in sacrificio ista confessio. Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris: & cognosce teipsum quoniam peccator es: habeas tristitiam cum conuerteris: esto moestus & noli desperare: sed lachrymas compunctus effunde. Nunquid aliud fuit in meretrice, quam lachrymarum effusio? Et ex hac profusione inuenit præsidium: & accepta fiducia accessit ad fontem misericordiæ dominum Iesum. Sed veniamus ad causam. Quid ergo est o euangelista? Et inde transiens dominus venit in partes Tyri & Sidonis: & ecce mulier Chananæa.

Mira res o Euangelista. Ecce mulier caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, delicti mater, corruptio legis antiquæ. Et ecce mulier veniebat ad dominum Iesum. Mulier alienigena de gentibus nouella plantatio. Mirum negocium. Iudæi fugiunt, Chananæa sequitur: domestici derelinquunt, alienigena adhæret: iungere ac proximare cupit. Ecce mulier de finibus illis egressa clamabat dicens, Miserere mei domine fili Dauid. Mulier hæc euangelista efficitur Probauit enim diuini consilij sacramentum, quando & diuinam virtutem obsecrat, & carnis naturam confitetur dicens, Miserere mei domine fili Dauid. **Miserere. 70. Oratio.**

Deuotionem populi tui quæsumus domine benignus intende, vt qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per d.

¶ Feria sexta ex Genesi. Lectio. j.

c. 14. **F**Actum est autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlaomor rex Ælamitarum, & Thadal rex gentium inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhæ, & contra Senaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ, ipsa est Segor. Omnes hi conuenerunt in vallem Syluestrem, quæ nunc est mare salis. Duodecim enim annis seruierunt Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Astaroth, Carnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathaim, & Chorræos in montibus Seir, vsque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine. Reuersique sunt,

& venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæorum: qui habitabat in Asasonthama. Et egressi sunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Balæ, quæ est Segor: & duxerunt aciem contra eos in valle Syluestri, scilicet aduersus Chodorlahomor regem Ælamitarum, & Thadal regem gentium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Ponti: quatuor reges aduersus quinque. Vallis autem Syluestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, & Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntque ibi: & qui remanserant, fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæorum, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt: necnon & Lot, & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

ERant autem quidam Gentiles ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ: & rogabant eum dicentes. Domine, volumus Iesum videre, venit Philippus, & dixit Andrea, Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis, dicens. Venit hora, vt clarificetur filius hominis. Amen amen dico vobis † nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi

c. 12.

c

D

ministraverit, honorificabit eum pater
 E] meus.] Nunc anima mea turbata est.
 Et quid dicam? Pater, saluifica me ex
 hac hora. Sed propterea veni in ho-
 ram hanc. Pater clarifica nomen tuum.
 Venit ergo vox de cœlo dicens, Et clari-
 ficaui, & iterum clarificabo. Turba ergo
 quæ stabat & audierat, dicebat toni-
 truum esse factum. Alij autem dice-
 bant, Angelus ei loquutus est. Respon-
 dit Iesus, & dixit, Non propter me hæc
 F] vox venit, sed propter vos.] Nunc iu-
 dicium est mundi: nunc princeps huius
 mundi eijcietur foras. Et ego si exal-
 tatus fuero a terra, omnia traham ad
 meipsum. hoc autem dicebat, signifi-
 cans qua morte esset moriturus. Re-
 spondit ei turba, Nos audiuius ex lege
 quia Christus manet in æternum: &
 quomodo tu dicis, Oportet exaltari fil-
 ium hominis? & quis est iste filius
 hominis? Dixit ergo eis Iesus, Adhuc
 modicum lumen in vobis est. Ambulate
 dum lucem habetis, vt non vos tenebræ
 comprehendant, qui ambulant in tene-
 bris, nescit quo vadat. Dum lucem ha-
 betis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

ca. 5. **I**N illo tempore: Erat die fes-
 tus Iudæorum: & ascendit Iesus
 Ierosolymam. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini episc.

Mirum non esse debet a Deo fac-
 tum miraculum: mirum enim esset si
 homo fecisset. Magis gaudere quam
 mirari debemus, quia dominus noster
 & saluator Iesus Christus homo fac-
 tus est, quam quod diuina miracula
 inter homines Deus fecit. Plus est
 enim ad salutem nostram quod fac-
 tus est propter homines, quam quod
 fecit Deus inter homines. Et plus
 est quod vitia sanauit animarum nos-
 trarum, quam quod sanauit languores

corporum moriturorum. Sed quia
 ipsa anima non eum nouerat a quo
 sananda erat: & oculos habens in carne
 vnde facta corporalia videret, nondum
 habebat sanos in corde, vnde Deum la-
 tentem cognosceret: fecit quod videri
 poterat, vt sanaret vnde videri non
 poterat. Ingressus est locum vbi iace-
 bat multitudo magna languentium, cæ-
 corum, claudorum, & aridorum. Et
 cum esset medicus & animarum & cor-
 porum, & venisset saluare omnes ani-
 mas crediturorum, de illis languentibus
 vnum elegit quem sanaret: vt vnitatem
 significaret. Si mediocri corde & quasi
 humano captu & ingenio consideremus
 facientem, & quod ad potestatem per-
 tinet, non magnum aliquid perfecit: &
 quod ad benignitatem parum fecit. Tot
 iacebant, & vnus curatus est: cum pos-
 set vno verbo omnes erigere. Miserere.
 70. Oratio.

ESto domine propitius plebi tuæ: &
 quam tibi facis esse deuotam, be-
 nigno refoue miseratus auxilio. Per
 domi.

Hodie dicuntur septem psalmi.

☩ Sabbato, ex Genesi. Lectio. j.

ET ecce vnus qui euaserat, nunti-
 c. 14. auit Abram Hebræo, qui habit-
 abat in conualle Mambre Amorrhæi,
 fratris Eschol, & fratris Aner: hi enim
 pepigerant fœdus cum Abram. Quod
 cum audisset Abram, captum videlicet
 Lot fratrem suum, numerauit expeditos
 vernaculos suos trecentos decem
 & octo: & persecutus est eos vsque
 Dan. Et diuisis socijs, irruit super eos
 nocte: percussitque eos, & persecu-
 tus est vsque Hoba, quæ est ad læuam
 Damasci. Reduxitque omnem substan-
 tiam & Lot fratrem suum cum substan-
 tia illius, mulieres quoque, & populum.
 Egressus est autem rex Sodomorum in

occursum eius postquam reuersus est a cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ est vallis regis. At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait, Benedictus Abram Deo excelsus, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei, Leuo manum meam ad dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ, quod a filo subtegmis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt: ne dicas, Ego ditauit Abram exceptis his quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum qui venerunt mecum, Aner, Eschol, & Mambre: isti accipient partes suas.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

- c. 12. **H**Æc loquutus est Iesus: & abiit, & abscondit se ab eis.] Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: vt sermo Isaiaë impleretur quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaïas, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Isaïas, quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo, Veruntamen, & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur: vt e synagoga non eijcerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Iesus autem clamauit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me, sed

in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni: vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum. non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet qui iudicet eum. Sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Quia ego ex meipso non sum loquutus: sed qui misit me pater ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor sicut dixit mihi pater, sic loquor.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

IN illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratres eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.

Et rel. Hom. sancti Leonis papæ.


Euangelica lectio, dilectissimi, quæ per aures corporis interiorum mentium nostrarum pulsauit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat. Quam inspirante gratia Dei facilius assequemur, se considerationem nostram ad ea quæ paulo superius sunt narrata, referamus: Saluator enim humani generis Deus Christus, condens eam fidem quæ impios ad iustitiam, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat: vt idem & vnigenitus Dei, & filius hominis crederetur. Nam vnum horum sine alio non proderat ad salutem: & æqualis erat periculi: Dominum nostrum Iesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse: cum vtrunque esset pariter

confitendum Quia sicut Deo vera humanitas ita homini inerat vera diuinitas: ad confirmandam ergo huius fidei salubritatem, interrogauerat discipulos suos dominus inter diuersas aliorum opiniones, quid ipso de eo crederent, quidve sentirent. Vbi apostolus Petrus per reulationem summi patris, corporea superans & humana transcendens, vidit oculis mentis filium Dei viui: & confessus est gloriam deitatis: quia non ad solam respexit substantiam carnis & sanguinis. Tantumque in hac fidei sublimitate complacuit vt beatitudinis felicitate dotatus, sacram inuiolabilis petræ acciperet firmitatem, supra quam fundata ecclesia portis inferni & mortis legibus præualeret. Nec in soluendis, aut ligandis quorum cunque causis, aliud ratum esset in cœlo, quam quod Petri sedisset arbitrio. *Miserere.* 70.

Oratio.

POpulum tuum quæsumus domine propitius respice: atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer auerte. Per do.

¶ *Dominica secunda Quadragesimæ, ex Genesi. Lectio. j.*

- c. 15.  Is itaque transactis factus est sermo domini ad Abram per visionem dicens, Noli timere Abram, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dixitque Abram, Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer. Addiditque Abram. Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit. Statimque sermo domini factus est ad eum, dicens, Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem Eduxitque eum foras, & ait illi, Suscipe cœlum, & numera stellas,

si potes: & dixit ei, Sic erit semen tuum. Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Dixitque ad eum. Ego dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam: At ille ait, Domine Deus, vnde scire possum quod possessurus sim eam? Et respondens dominus, sume, inquit, mihi vaccam trienem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit. Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Dictumque est ad eum, Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. Cum ergo occubisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. In illo die pepigit dominus fœdus cum Abram, dicens, Semini tuo dabo terram hanc a fluuiio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem, Cinæos, & Genezæos, Cedmonæos & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

- c. 13. **A** †Nte diem festum Paschæ sciens
 a Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotis, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia a Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit a cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea Dicit ei Petrus, Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus, Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus, Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, Non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua: & cum recubuisset iterum, dixit eis, Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & domine: & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego
 B feci vobis, ita & vos faciatis. † Amen amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vo-

bis dico: ego scio quos elegerim. Sed vt adimpleatur scriptura, Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis, priusquam fiat: vt cum factum fuerit, credatis quia ego sum. Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore: Assumpsit Iesus
 c. 17. Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratres eius: & duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Dico autem vobis: vere sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. Semper dominus sicut ad præmia erigit futura virtutum, atque vtilem secularium rerum docet esse contemptum: ita etiam infirmitatem mentis humanæ præsentium remuneratione sustentat. Arduum quippe est crucem tollere, & animam periculis ac morti corpus offerre: negare quod sis cum velis esse quod non sis Raroque quamuis excelsa virtus, futuris commutat præsentia. Difficile quippe videtur hominibus, vt spem periculis emant: damnoque præsentium futuræ locum mercentur ætatis. Ergo bonus & moralis magister, ne quis desperatione frangatur aut tædio: quoniam vitæ dulcis illecebra, constantem quoque mulcet affectum, continuos viuendi successus fidelibus pollicetur Frigent enim solatia sub metu mortis: magnusque amor vitæ præsentis, integræ blanditias spei, cum appetitæ salutis terrore compensat. Non habes igitur quod quæras, non habes quod excuses. Arbiter omnium dedit & virtutum præmium, & infirmitatis

remedium: vt præsentibus sustineatur infirmitas: virtus, futuris. Si fortis es, contemne mortem, si imbecillis es, fuge. Sed nemo potest fugere mortem nisi vitam sequatur. Vita tua Christus est: ipse est vita quæ mori nescit. Miserere. 70. **Oratio.**

DEus, qui conspicias omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi: vt ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, & a prauis cogitationibus mundemur in mente. Per do.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

c. 16. **I**gitur Sarai vxor Abram non genuerat sibi liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit marito suo, Ecce, conclusit me dominus, ne parerem: ingredi ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo vxorem. Qui ingressus est ad eam. At illa concepissem se videns, despexit dominam suam. Dixitque Sarai ad Abram, Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet, iudicet dominus inter me & te. Cui respondens Abram, Ecce ait, ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam inijt. Cumque inuenisset eam angelus domini iuxta fontem aquæ in solitudine quæ est in via Sur in deserto, dixit ad illam, Agar ancilla Sarai vnde venis? & quo vadis? Quæ respondit. A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei angelus domini, Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius. Et rursum, Multiplicans, inquit, multiplicabo

semen tuum, & non numerabitur præ multitudinem. Ac deinceps, Ecce, ait, concepisti, & paries filium: vocabisque nomen eius Ismahel, eo quod audierit dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes: & manus omnium contra eum: & e regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. Vocauit autem Agar nomen domini qui loquebatur ad eam. Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim, Profecto hic vidi posteriora videntis me. Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis & videntis me: Ipse est inter Cades & Barad. Peperitque Agar Abræ filium, qui vocauit nomen eius Ismahel. Octoginta & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismahelem.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

CVM hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit, Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, Quis est de quo dicit? Itaque cum recubisset ille supra pectus Iesu, dixit ei, Domine, quis est? Respondit Iesus, Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam, introiuit in eum Satan. Et dicit ei Iesus, Quod facis fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia oculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis, vt aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox

c. 13.

Cum ergo exisset, dixit Iesus. Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus es in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum: Quæretis me: & sicut dixi Iudæis, Quo ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modo. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dixit ei Simon Petrus. Domine, quo vadis? Respondit Iesus, Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus, Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus, Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit Gallus donec ter me neges. Et ait discipulis suis †

- c. 14. Non turbetur cor vestrum. Creditis in a Deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et si abiero & præparauero vobis locum: iterum venio & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quo ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus, Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

- ca. 8. **I**N illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum. Ego vado, & quæretis me: & in peccato vestro moriemini.

Et reliqua. Homilia. sancti Augustini

episc.

Locutus est dominus Iudæis dicens, Ego vado, & quæretis me: non desiderio, sed odio. Nam illum posteaquam abscessit ab oculis hominum inquirere, & qui oderant, & qui amabant, illi persequendo, illi habere cupiendo. In psalmis ait ipse dominus per Prophetam, Perijt fuga a me: & non est qui requirat animam meam. Et alio loco in Psalmo, Confundantur & reuereantur requirentes animam meam. Culpauit qui non requirent, damnauit qui requirent. Malum est enim non quærere animam Christi: sed quomodo eam quæsierunt discipuli. Et malum est quærere animam Christi: sed quomodo eam quæsierunt Iudæi Illi enim vt haberent: isti vt perderent. Denique istis qui se quærebant more malo, corde peruerso, quid sequitur adiunxit, Quæretis me & ne putetis quia bene me quæretis, in peccato vestro moriemini. Hoc est Christum male quærere, in peccato suo mori. Hoc est illum odisse, per quem solum posset saluus esse. Cum enim homines, quorum spes in Deo est, non debeant mala reddere, pro malis, reddebant isti mala pro bonis. Prænuntiauit ergo illis Deus, dixitque sententiam præsciis, quod in peccato suo morerentur. Deinde adiungit. Quo ego vado, vos non potestis venire. Miserere. 70. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt familia tua quæ se affligendo carnem ab alimentis abstinet, sectando iustitiam a culpa ieunet. Per do.

☩ Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.

Postquam vero nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei dominus: dixitque ad eum, Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto

c. 17.

perfectus. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem. Dixitque ei Deus, Ego sum, & ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur: & statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus & seminis tui post te. Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. Dixit iterum Deus ad Abraham, Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum: & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis: omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra: eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

- c. 14. **D**ixit ei Philippus, Domine, ostende
 b nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem?

Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. pater autem in me manens ipse fecit opera. Non creditis quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin, propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado. Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam:] vt glorificetur pater in filio. Si quid me petieritis in nomine meo, hoc faciam. † Si diligitis me, mandata mea seruare Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea & seruat ea: ille est qui diligit me, qui autem diligit me, diligetur a patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.] Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes, Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis tepisum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei, † Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, qui non diligit me: sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus: sed eius, qui misit me patris. Hæc loquutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus

autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixerō vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad patrem: quia pater maior me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo patrem: & sicut mandatum dedit mihi pater, sic

F facio.] Surgite, eamus hinc.

Secundum Matthæum. Lectio. iiij.

c 23. **I**N illo tempore: Locutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos suos dicens, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei.

Et rel Hom. sancti Hiero presby.

Quid mansuetius? quid benignius domino? Tentatur a Phariseis, confringuntur insidiæ eorum: & secundum Psalmistam: Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum: & nihilominus propter sacerdotij & nominis dignitatem hortatur populos, ut subijciantur eis: non opera, sed doctrinam considerantes. Quod autem ait: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei: Per cathedram, doctrinam legis ostendit. Ergo & illud quod dicitur in Psalmo, In cathedra pestilentiæ non sedit: & cathedras vendentium columbas euertit: etiam per cathedram doctrinam debemus accipere. Alligant autem onera grauiam & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Hoc generaliter aduersus omnes magistros

dictum est, qui grauiam iubent, & minora non faciunt. Notandum autem quod & humeri & digiti & onera & vincula quibus alligantur onera, spiritualiter intelligenda sunt. Omnia vero sua opera faciunt, ut videantur ab hominibus. Quicumque igitur ita facit quodlibet, ut videatur ab hominibus, Scriba est & Phariseus. Miserere. 70.

Oratio.

PRopitiare domine supplicationibus nostris, & animarum nostrarum medere languoribus: ut remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per do.

¶ Feria. iiij. ex Genesi. Lectio. j.

Dixit quoque Deus ad Abraham, c. 17. Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes: & reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem suam & risit, in corde suo, dicens: Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Dixitque ad Deum, Utinam Ismahel viuat coram te. Et ait Deus ad Abraham, Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, & semini eius post eum, Super Ismahel quoque exaudiui te. Ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valde: duodecim Duces generabit: & faciam illum in gentem magnam. Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham. Tulit autem Abraham Ismahel filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, vniuersosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: & circumcidit carnem

præputij eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus. Abraham nonaginta & nouem erat annorum, quando circumcidit carnem præputij sui. Et Ismahel filius eius tredecim annos impleuerat a tempore circumcisionis suæ. Eadem die circumciscus est Abraham & Ismahel filius eius. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi quam empitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

- c. 15. **E**†Go sum vitis vera: & pater meus
 a agricola est Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis: vos palmites: qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis
 B petetis, & fiet vobis] In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego patris mei præcepta seruauit, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum vobis: vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat

qui pro amicis suis Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui a patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

- I**N illo tempore: Ascendens Iesus
 c. 20. Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam: & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis: & condemnabunt eum morte.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Considerandum est, quæ mater filiorum Zebedæi, cum filijs & pro filijs petat. Mater est vtique cui pro filiorum honore sollicitate immoderatio quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longæua, studio religiosa, solatio destituta quæ tunc temporis, quando vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, & voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulera filiorum. Qui prima voce vocati a domino (vt legimus) relictis retibus & patre sequuti sunt eum. Hæc igitur studio maternæ sedulitatis indulgentior, obsecrabat saluatorem dicens. Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo. Et si error, pietatis tamen error est. Nesciunt enim materna viscera patientiam. Et si voti auara, tamen venerabilis cupiditas: quæ non pecuniæ est auida, sed gratiæ. Nec inuerecunda petitio: quæ non sibi, sed liberis consulebat.

Matrem considerate: matrem cogitate. Sed nihil mirum si vilis vobis videtur circa filios affectus parentum, qui etiam omnipotentis patris vilem putatis esse circa vnigenitum filium charitatem. Dominus cœli atque terrarum verecundabatur, vt secundum assumptionem carnis & virtutes animæ loquar, verecundabatur inquam, & (vt ipsius verbo vtar) confundebatur matri pro filijs postulanti etiam suæ sedis consortium denegare. **Miserere. 70. Oratio.**

POpulum tuum quæsumus domine propitius respice: & quod ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxijs quoque vitijs cessare concede. Per do.

¶ Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.

- c. 18. **A**pparuit autem ei dominus in conu-
 alle Mambrae sedenti in ostio
 tabernaculi sui in ipso feruore diei.
 Cumque eleuasset oculos, apparuerunt
 ei tres viri stantes prope eum: quos
 cum vidisset, cucurrit in occursum eo-
 rum de ostio tabernaculi sui, & ado-
 rauit in terram. Et dixit, Domine:
 Si inueni gratiam in oculis tuis, ne
 transeas seruum tuum: sed afferam
 pauxillum aquæ: & lauentur pedes
 vestri, & requiescite sub arbore. Pon-
 amque buccellam panis: & confortetur
 cor vestrum, postea transibitis: idcirco
 enim declinastis ad seruum vestrum.
 Qui dixerunt: Fac vt locutus es. Fes-
 tinavit Abraham in tabernaculum ad
 Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata
 similæ commisce, & fac subcinericios
 panes. Ipse vero ad armentum cucurrit,
 & tulit inde vitulum tenerrimum & op-
 timum: deditque puero, qui festinavit
 & coxit illum. Tulit quoque butyrum,
 & lac, & vitulum quem coxerat, & po-
 suit coram eis: ipse vero stabat iuxta
 eos sub arbore. Cumque comedissent,
 dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor

tua? Ille respondit, Ecce in tabernaculo est. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore isto vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi. Erant autem ambo senes prouectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria. Quæ risit occulte, dicens: Postquam consensui & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Dixit autem dominus ad Abraham, Quare risit Sara, dicens: Num vere paritura sum anus? Nunquid Deo quicquam est difficile? Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore vita comite, & habebit Sara filium. Negauit Sara, dicens: Non risi, timore perterrita. Dominus autem Non est, inquit, ita: sed risisti.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

H†Ec mando vobis, vt diligatis
 inuicem. Si mundus vos odit: c 15.
 scitote quia me priorem vobis odio
 habuit. Si de mundo fuissetis, mundus
 quod suum erat, diligeret. Quia vero
 de mundo non estis, sed ego elegi
 vos de mundo: propterea odit vos
 mundus. Mementote sermonis mei,
 quem ego dixi vobis: non est seruus
 maior domino suo. Si me persecuti
 sunt: & vos persequentur, si sermonem
 meum seruauerunt: & vestrum seru-
 abunt. Sed hæc omnia facient vobis
 propter nomen meum: quia nesciunt
 eum qui misit me. Si non venissem
 & locutus fuisset eis: peccatum non
 haberent. nunc autem excusationem
 non habent de peccato suo. Qui me
 odit, & patrem meum odit. Si opera
 non fecissem in eis quæ nemo alius fecit:
 peccatum non haberent. nunc autem
 & viderunt, & oderunt & me & patrem
 meum. Sed vt adimpleatur sermo qui
 in lege eorum scriptus est: Quia odio
 habuerunt me gratis.] † Cum autem D

venerit paracletus (quem ego mittam vobis a patre) spiritus veritatis qui a patre procedit: ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis.

- c. 16. Hæc locutus sum vobis, vt non
 a scandalizemini. Absque synagogis facient vos. sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. & hæc facient vobis: quia non nouerunt patrem neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.] Hæc autem vobis ab initio non dixi: quia vobiscum eram. Et nunc † vado ad eum qui misit me: & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem: quia non crediderunt in me: de iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. de iudicio autem: quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

- c. 16. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. **Et reliqua.**

Homilia sancti Gregorij papæ.

In verbis sacri eloquij, fratres charissimi, prius seruanda est veritas historię, & postmodum requirenda spiritalis intelligentia allegorię. Tunc nanque allegorię fructus suauiter carpitur, cum prius per historiam veritatis radice solidatur. Sed quia nunquam allegoria fidem ædificat, &

historia moralitatem: nos qui authore Deo iam fidelibus loquimur, non abs re credimus, si ipsum loquendi ordinem postponamus. Quatenus qui fidem iam firmam tenetis: prius de allegoria aliquid breuiter audire debeatis, & quod vobis de moralitate historię valde est necessarium, hoc in expositionis nostrę ordine seruetur extremum, quia ea plerunque melius solent recoli, quę postmodum contingit audire. Sensus ergo allegoricos sub breuitate transcurrimus: vt ad moralitatis latitudinem citius venire valeamus. Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendide. Quem fratres charissimi, quem diues iste qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, nisi Iudaicum populum significat? qui cultum vitę exterius habuit: quia acceptę legis delicijs, ad nitorem vsus est glorię, non ad vtilitatem. Quem vero Lazarus vlceribus plenus, nisi gentilem populum figuraliter exprimit? qui dum conuersus ad Deum peccata sua confiteri non erubuit, huic vulnus in cute fuit? In cutis quippe vlcere virus a visceribus trahitur, & foras erumpit. Quid ergo est peccatorum confessio nisi quędam vlcerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. **Miserere.**

70. **Oratio.**

PRęsta nobis quęsumus domine auxilium gratię tuę: vt ieiunij & orationibus conuenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis & corporis. Per do.

☩ **Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.**

CVM ergo surrexissent inde, viri dixerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur deducens eos. Dixitque dominus, Num c. 18.

celare potero Abraham quæ gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præceptor sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam domini, & faciant iudicium & iustitiam: vt adducat dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum. Dixit itaque dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est: & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam. Conuerteruntque se inde, & abierunt Sodomam: Abraham vero adhuc stabat coram domino. Et appropinquans ait, Nunquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? Et non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in ea? Absit a te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius. non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc. Dixitque dominus ad eum, Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos. Respondensque Abraham ait, Quia semel cœpi, loquar ad dominum meum, cum sim puluis & cinis. Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint? delebis propter quadragintaquinque, vniuersam vrbem? Et ait, Non delebo, si inuenero ibi quadragintaquinque. Rursumque locutus est ad eum, Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait, Non percutiam propter quadraginta. Ne quæso, inquit, indigneris domine, si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respon-

dit, Non faciam, si inuenero ibi triginta. Quia semel, ait, cœpi loquar ad dominum meum. Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait, Non interficiam propter viginti. Obsecro, inquit, ne irascaris domine, si loquar adhuc semel. Quid si inuenti fuerint ibi decem? Et dixit, Non delebo propter decem. Abijtque dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham: & ille reuersus est in locum suum.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

ADhuc multa habeo vobis dicere: c. 16. sed non potestis portare modo. c Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso: sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt: annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.] † Modicum, & iam D non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem, Quid est hoc quod dicit nobis. Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus quia volebant eum interrogare: & dixit eis, De hoc quæritis inter vos quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. cum autem pepererit puerum, iam non meminit

præssuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur, nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo E tollet a vobis.] Et in illo die, me non rogabitis quicquam. † Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modo non petijstis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis: vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbij locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in prouerbij loquar vobis, sed palam de patre annuntiabo vobis: in illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis: quia ego rogabo patrem de vobis: ipse enim pater amat vos quia vos me amastis, & credidistis quia a Deo exiui, Exiui a patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Dicunt ei discipuli eius, Ecce nunc palam loqueris, & prouerbum nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget. in hoc credimus F quod a Deo existi.] Respondit eis Iesus, Modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & tamen non sum solus: quia pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 21. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis & turbis Iudæorum parabolam hanc, Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepe circumdedit eam.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Plerique varias significationes de vineæ appellatione deriuant. Sed euidenter

Isaias, vineam domini Sabaoth domum Israel esse commemorat. Hanc vineam quis alius nisi Deus condidit? Hic est ergo, qui locauit eam: & peregre profectus est. Non quia ex loco ad locum profectus est Dominus, qui vbique semper præsens est: sed quia præsentior est diligentibus, negligentibus abest. Multis autem temporibus abfuit, ne præpropere videretur exactio. Nam quo indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior peruicacia. Vnde bene secundum Matthæum habes, quia & sepe circumdedit eam: hoc est diuinæ custodiæ munitione vallauit: ne facile pateret incursibus bestiarum. Et fodit in ea torcular. Quomodo intelligimus quid sit torcular, nisi quia forte psalmi de torcularibus inscribuntur: eo quod in his mysteria dominicæ passionis modo musti sancto feruente spiritu prophetarum ardentius ferbuerunt? Denique ebrij putabantur, quibus spiritus sanctus inundabat. Ergo & hic fodit torcular, in quo vñ rationalis fructus interior spirituali infusione deflueret. Ædificauit turrim, verticem scilicet legit attollens: atque ita hanc vineam munitam, instructam, ornatam, locauit Iudæis. Et tempore fructuum seruulos suos misit. Bene tempus fructuum posuit, non prouentuum. Nullus enim fructus extitit Iudæorum, nullus vineæ huius prouentus. Miserere. 70. *Oratio.*

DA quæsumus omnipotens Deus: vt sacro nos purificante ieiunio, synceris mentibus ad sancta ventura facias peruenire. Per.

Hodie dicitur matu. defunctorum.

☩ *Sabbato, ex Genesi. Lectio. j.*

Veneruntque duo angeli Sodomam c. 19. vespere, sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cum vidisset eos, sur-

rexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram, & dixit, Obsecro domini mei, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt, Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum: ingressisque domum illius, fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt. Prius autem quam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum illius, a puero vsque ad senem, omnis populus simul. Vocaueruntque Lot, & dixerunt ei, Vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait, Nolite quæso fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ nondum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei. At illi dixerunt, Recede illuc. Et rursus, ingressus es, inquit, vt aduena, nunquid vt iudices? te ergo ipsum magis quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissime: iamque prope erat, vt effringerent fores. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lot, clausuruntque ostium: & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate a minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent. Dixerunt autem ad Lot, Habes hic quempiam tuorum generum, aut filios aut filias? omnes qui tui sunt educ de vrbe hac: debemus enim locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram domino, qui misit nos vt perdamus illos.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

c. 17. **H**æc locutus est Iesus & † subleuatis oculis in cœlum, dixit, Pa-

ter, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. & nunc clarifica me tu pater apud te ipsum, claritate quam habui prius quam mundus fieret, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. tui erant: & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt vere, quia a te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia, tua sunt: & tua, mea sunt, & clarificatus sum in eis. Etiam non sum in mundo: & hi in mundo sunt, & ego ad te venio:] Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi: vt sint vnum sicut & nos. Cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis: vt scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo: vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum: & mundus eos odio habuit quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos a malo. De mundo non sunt: sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus, veritas est. Sicut tu me misisti in mundum,

ita & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognouit. ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

c. 15. **I**N illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Vides quod diuinum patrimonium petentibus datur: Nec putes culpam patris, quod adolescentiori dedit. Nulla Dei regno infirma ætas, nec fides grauat annis. Ipse certe se iudicauit idoneum qui poposcit: atque vtinam non recessisset a patre, impedimentum nescisset ætatis Sed posteaquam peregre profectus est, dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose. Merito ergo prodegit patrimonium & recessit ab ecclesia. Posteaquam domum (inquit) patriamque derelinquens, peregre

profectus est in regionem longinquam. Quid est longinquius ire quam a se recedere? nec regionibus, sed moribus separari, studijs discretum esse, non terris: & quasi interfuso luxuriæ secularis æstu diuortia habere sanctorum? Etenim qui se a Christo separat, exul est patriæ, cuius est mundi. Sed nos non sumus aduenæ atque peregrini: sed sumus ciues sanctorum & domestici Dei. Qui enim eramus longe, facti sumus prope in sanguine Christi. Non inuideamus de longinqua regione redeuntibus: quia & nos fuimus in regione longinqua, sicut Isaias docet. Sic enim habet, Qui sedebant in regione vmbrae mortis, lux orta est eis *Miserere.* 70.

Oratio.

DA quæsumus domine nostris effectum ieiunij salutarem, vt castigatio carnis assumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Per domi.

¶ Dominica tertia Quadragesimæ, ex Genesi. Lectio. j.

Sgressus itaque Lot, loquutus est ad generos suos qui accepturi erant filias eius, & dixit, Surgite, & egredimini de loco isto, quia delebit dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. Cumque esset mane: cogebant eum angeli dicentes, Surge, tolle vxorem tuam & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quod parceret dominus illi: eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem. Ibique loquuti sunt ad eum, dicentes, Salua animam tuam: noli respicere post tergum: nec stes in omni circa regionem, sed in monte saluum te fac,

c. 19.

ne & tu simul pereas. Dixitque Lot ad eos. Quæso domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari ne forte apprehendat me malum & moriar. Est ciuitas hic iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea: nunquid non modica est, & viuet anima mea? Dixitque ad eum, Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua loquutus es. Festina, & saluare ibi: quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen vrbis illius, Segor, Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. Igitur dominus pluit super Sodomam & Gomorrhæ sulphur, & ignem a domino de cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis.

☞ **Epistola beati Ioannis apostoli prima.**
Lectio. ij.

ca. 1.

Quod fuit ab initio, quod audiuius, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est: & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus & audiuius, annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre & cum filio eius Iesu Christo. & hæc scribimus vobis, vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiatio quam audiuius ab eo, & annuntiamus vobis, Quoniam Deus lux est: & tenebræ in eo non sunt vllæ. Si dixerimus

quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce: societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra: fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

IN illo tempore: Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. c. 11.

Et rel. Hom. sancti Hiero. presby.

Tunc oblatus est Iesu dæmoniacus, existens cæcus & mutus: & curauit eum ita vt loqueretur & videret. Tria signa simul in vno homine perpetrata sunt: cæcus videt, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur. Quod tunc carnaliter, factum est: sic quotidie impletur spiritualiter in conuersione credentium: vt expulso dæmone primum fidei lumen aspiciant: deinde in laudes Dei tacentia prius ora laxentur. Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis, Omne regnum diuisum se desolabitur. Turbæ stupebant, & confitebantur eum (quia tanta signa faciebat) filium Dauid. Pharisæi vero opera Dei, principi dæmoniorum deputabant. Quibus dominus non ad dicta, sed ad cogitata respondet: vt vel sic compellerentur credere potentia eius qui cordis videbat occulta. Si satanas satanam eijcit, aduersus se diuisus est. Quomodo ergo stabit regnum eius? Non potest ciuitas & regnum contra se diuisum stare. Sed quo-

modo concordia parvæ res crescunt: sic discordia maximæ collabuntur. Si ergo satanas pugnat contra se, & demon inimicus est dæmoni: debet iam mundi venire consummatio: nec haberent in eo locum aduersariæ potestates: quarum inter se bellum, pax hominum est. Si autem putatis, o Scribæ & Pharisæi, quia recessio dæmonis obedientia sit in principem suum vt homines ignorantibus fraudulenta simulatione deludat: quid potestis dicere de corporum sanitatibus, quas dominus perpetravit? Aliud est si membrorum quoque debilitates, & spiritualium virtutum insignia dæmonibus assignetis. *Miserere.* 70.

Oratio.

Quæsumus omnipotens Deus vota humilium respice: atque ad defensionem nostram dexteram tuæ maiestatis extende. Per dominum no.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

c. 19. **A**braham autem consurgens mane vbi steterat prius cum domino, intuitus est Sodomam & Gomorrhā, & vniuersam terram regionis illius: viditque ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum. Cum enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius: recordatus est Abrahæ: & liberavit Lot de subuersione vrbium, in quibus habitauerat. Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte: duæ quoque filiæ eius cum eo. (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo. Dixitque maior ad minorem, Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo: vt seruare possimus ex patre nostro semen. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et

ingressa est maior, dormiuitque cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. Altera quoque die dixit maior ad minorem, Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro. Dederunt & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia dormiuit cum eo: & nec tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. Peperitque maior filium, & vocauit nomen eius Moab, ipse est pater Moabitarum vsque in præsentem diem. Minor quoque peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon, id est filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum vsque hodie.

¶ Ex epistola prima Ioannis. L ij.

Filioli mei hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit: mendax est, & in eo veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est. in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere: debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio. Mandatum vetus, est verbum quod audistis. Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis, quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet.

Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Scribo vobis filioli quoniam remittuntur vobis peccata vestra propter nomen eius. Scribo vobis patres quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes quoniam vicistis malignum. Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis patrem. Scripsi vobis patres, quoniam cognouistis eum qui est ab initio. Scripsi vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius. qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

☞ *Sermo sancti Aug. episc. Lectio. iij.*

Dominus Deus noster nolens aliquem nostrum perire, extollens ecclesiam suam velut agrum suum, quærens fructum de arboribus suis, antequam tempus securis adueniat, cui necesse erit infructuosas arbores amputare, non cessat nos admonere: vt dum tempus est nobis cum Dei adiutorio, dum in nostra potestate consistit, bona opera faciamus. Cum enim transierit tempus bene operandi, non restat nisi recipiendi. Nemo tibi dicturus est post resurrectionem mortuorum in regno cœlorum, Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in do-

mum tuam: quia non inuenies esurientem neque egentem. Nemo dicturus est, Vesti nudum: vbi omnium tunica immortalis erit. Nemo dicturus est, Suscipe peregrinos: vbi omnes in patria sua viuunt. Nam modo sumus inde peregrini. Nemo enim dicet, Visita ægrum: vbi est sempiterna sanitas. Nemo dicet, Sepeli mortuum: vbi mors morietur. Ista omnia pietatis officia in vita æterna necessaria non erunt, vbi sola pax erit & lætitia sempiterna. *Miserere. 70. Oratio.*

Cordibus nostris quæsumus domine gratiam tuam benignus infunde: vt sicut ab escis corporalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros a noxijs retrahamus excessibus. Per do.

☞ *Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.*

Profectus inde Abraham in terram c 20 australem, habitauit inter Cades & Sur: & peregrinatus est in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech, rex Geraræ, & tulit eam. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi, En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. Abimelech vero non tetigerat eam: & ait, Domine num gentem ignorantem & iustam interficies? Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est? & ipsa ait, Frater meus est? in simplicitate cordis mei & munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus, Et ego scio quod simplici corde feceris: & ideo custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam, Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia propheta est: & orabit pro te, & viues. si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu & omnia quæ tua sunt. Statimque de nocte consurgens Abimelech: vocauit omnes seruos suos: & loquutus est vniuersa

verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei, Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis, Rursumque exostulans ait, Quid vidisti, vt hoc faceres? Respondit Abraham, Cogitauit mecum, dicens, forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter vxorem meam: alias autem & vere soror mea est, filia patris mei, non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam, Hanc misericordiam facies mecum. In omni loco ad quem ingrediemur dices quod frater tuus sim.

☞ *Ex epistola prima Ioannis. L. ij.*

ca. 2. **F**ilioli, nouissima hora est & sicut audistis quia antichristus venit, & nunc antichristi multi facti sunt, vnde scimus quia nouissima hora est. Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis: permansissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis. Sed vos vnctionem habetis a sancto, & nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus? Hic est antichristus, qui negat patrem & filium. Omnis qui negat filium, nec patrem habet, qui confitetur filium: & patrem habet. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: quia si in vobis permanserit: quod audistis ab initio, & vos in filio & patre manebitis. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. Hæc scripsi vobis de his

qui seducunt vos. Et vos vnctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus: & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo. Et nunc filioli manete in eo: vt cum apparuerit, habeamus fiduciam & non confundamur ab eo in aduentu eius: Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore: Respicens Iesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro, Si peccauerit in te frater tuus, valde & corripe eum inter te & ipsum solum. c. 18.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Quare illum corripis? Quia doles quod peccauerit in te? Absit: si amore tui id facis, nihil facis: si amore illius facis: optime facis. Denique in ipsis verbis attende cuius amore id facere debeatis, vtrum tui, an illius. Si te audierit (inquit) lucratus eris fratrem tuum. Ergo propter illum fac vt lucreris illum. Si faciendo, lucraris: nisi fecisses, perierat. Quid est ergo quod plerique homines ista peccata contemnant & dicunt: Quid magnum feci? In hominem peccaui. Noli contemnere, quod in hominem peccasti. Vis nosse, quia in hominem peccando perijsti? Si te ille in quem peccasti corripuerit inter te & ipsum solum, & audieris illum: lucratus est te. Quid est, lucratus est te: nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat, quando peccat in fratrem. Ait enim in quodam loco apostolus: Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis: ideo quia membra Christi omnes facti

sumus. Quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi? Nemo ergo dicat, quia non peccaui in Deum: sed peccaui in fratrem. In hominem peccaui, leue peccatum est, vel nullum peccatum est. **Miserere.** 70.

Oratio.

EXaudi nos omnipotens, & misericors Deus: & continentię salutaris propitius nobis dona concede. Per domi.

¶ Feria. iiij. ex Genesi. Lectio. j.

c. 20. **T**vlit igitur Abimelech oues & boues & seruos & ancillas, & dedit Abraham, reddiditque illi Saram vxorem suam, & ait, Terra coram vobis est, vbicunque tibi placuerit, habita. Saræ autem dixit, Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt: & quocunque perrexeris, memento te deprehensam. Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech & vxorem, ancillasque eius: & pepererunt: concluderat enim Deus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.

c. 21. Visitauit autem dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ loquutus est: Concepitque, & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac: & circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum: hac quippe ætate patris natus est Isaac Dixitque Sara, Risum fecit mihi Deus: quicunque audierit, corridebit mihi. Rursumque ait, Quis auditorus crederet Abraham quod Sara lactaret filium quem peperit ei iam seni? Creuit igitur puer, & ablactatus est: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

¶ Ex Epistola quam charitatem dedit. ij. ca. 3.
Vobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Propter hoc, mundus non nouit nos: quia non nouit eum. Charissimi, nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo: sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit vt peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum: Quoniam opera eius maligna erant: fratris autem eius, iusta. † Nolite mirari fratres, si **B** odit vos mundus. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam pro nobis po-

suit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo: neque lingua, sed opere & C veritate:] in hoc cognoscimus, quod ex veritate sumus: & in conspectu eius suadebimus corda nostra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos: fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. Et hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi: & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Et qui seruat mandata eius: in illo manet, & ipse in eo, & in hoc scimus quoniam manet in nobis, de spiritu quem dedit nobis.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 15. **I**N illo tempore: Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisei dicentes: quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?

Et rel. Homilia sancti Hiero. presby.

Mira Phariseorum, Scribarumque stultitia: Dei filium arguunt, quare discipuli eius hominum traditiones & præcepta non seruent: Non enim lauant manus suas cum panem manducant. Manus, id est, opera non corporis sed animæ lauandæ sunt: vt fiat in illis verbum Dei. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Falsam calumniam vera responsione confutat. Cum (inquit) vos propter traditiones hominum

præcepta Dei negligatis: quare discipulos meos arguendos creditis, quod seniorum iussa paruipendant, vt Dei scita custodiant? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem tuam: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri aut matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum aut matrem. Honor in scripturis non tantum in salutationibus & officijs deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora (inquit Apostolus) viduas quæ vere viduæ sunt. Hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri duplici honore honorandi sunt: maxime qui laborant in verbo & doctrina Dei. Et per hoc mandatum iubemur vt boui trituranti os non claudamus: & dignus sit operarius mercede sua. Miserere. 70. Oratio.

PRæsta nobis quæsumus domine, vt salutaribus ieiunijs eruditi, a noxijs quoque vitijs abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per domi.

¶ Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.

CUmque vidisset Sara filium Agar c. 21. Aegyptiæ ludentem cum Isaac, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero & super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Surrexit itaque Abraham mane & tollens panem, & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum &

dimisit eam. Quæ cum abijsset, errabat in solitudine Bersabeæ. Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem quæ ibi erant. Et abijt, seditque e regione procul quantum potest arcus iacere. Dixit enim: Non videbo morientem puerum, & sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit: exaudiuit autem Deus vocem pueri: vocauitque angelus domini Agar de cœlo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est. Surge tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtre, deditque puero bibere. Et fuit cum eo: qui creuit, & moratus est in solitudine, factusque est iuuenis sagittarius. Habitauitque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti.

☩ *Ex epistola prima Ioan. Lectio. iij.*

ca. 4. **C**harissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est. Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eos, quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos. qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris. Charissimi, diligamus nos inuicem: quia charitas ex Deo est. Et

omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam † Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis: quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicem: Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus quod in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. qui autem timet: non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum: quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum: & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.]

Secundum Lucam.

Lectio. iij.

ca. 4. **I**N illo tempore: Surgens Iesus de synagoga intrauit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Vide clementiam domini saluatoris: nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec iniuria violatus, Iudæam deseruit. Quinetiam immemor iniuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spiritu nequitiae liberatum ante præmisit, & substituit foeminae sanitatem. Vtrunque enim sexum dominus curaturus aduenerat. Et primo sanari debuit, qui prior creatus est. Nec prætermitti illa debuit, quæ mobilitate magis animi, quam prauitate peccauerat. Sabbato dominicæ medicinæ opera coepta significant, vt inde creatura noua coeperit, vbi vetus creatura ante desierat. Nec sub lege esse Dei filium: sed supra legem in ipso principio designaret: nec solui legem, sed impleri. Neque enim per legem sed verbo factus est mundus: sicut legimus, Verbo domini coeli firmati sunt. Non soluitur ergo lex, sed impletur, vt fiat renouatio hominis iam labentis. Vnde & apostolus ait, Expoliantes vos veterem hominem, induite nouum, qui secundum Christum creatus est Et bene Sabbato coepit: vt ipse se ostenderet curatorem, qui opera operibus intexeret, & prosequeretur opus quod ipse iam coeperat: vt si faber domum renouare disponat, non a fundamentis, sed a culminibus incipit soluere vetustatem. **Miserere. 70. Oratio.**

SVbiectum tibi populum quæsumus domine propitiatio cœlestis amplificet, & tuis semper faciat seruire mandatis. Per do.

¶ Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.

Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham, Deus tecum est in vniuersis quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi & posteris meis, stirpique meæ: sed iuxta misericordiam quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es aduena? Dixitque Abraham, ego iurabo. Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerunt serui eius. Responditque Abimelech, Nesciui quis fecerit hanc rem: sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie. Tulit itaque Abraham oues & boues & dedit Abimelech: percusseruntque ambo foedus. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech, Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? At ille, Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: vt sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est locus ille Bersabæ: quia ibi vterque iurauit. Et inierunt foedus pro puteo iuramenti. Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, reuersique sunt in terram Palæstinorum. Abraham vero plantauit nemus in Bersabæ, & inuocauit ibi nomen domini Dei æterni. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

¶ Ex epistola prima Ioannis. Lectio. ij.

OMnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit: diligit & eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei: cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius graua non sunt. Quoniam † omne quod natum est ex Deo,

vincit mundum, & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei? hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus: non in aqua solum: sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo: pater, verbum, & spiritus sanctus: & hi tres, vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres, vnum sunt. Si testimonium hominum accipimus: testimonium Dei maius est: Quoniam hoc est testimonium Dei quod maius est: quoniam testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei: habet testimonium Dei in se.] Qui non credit filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. Et hoc est testimonium, Quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. & hæc vita, in filio eius est. Qui habet filium Dei, habet vitam: qui non habet filium Dei: vitam non habet. Hæc scribo vobis: vt sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei. Et hæc est fiducia quam habemus ad Deum, Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Et scimus quia audit nos quicquid petierimus: scimus, quod habemus petitiones quas postulauimus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas, peccatum est: & est peccatum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non pec-

cat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. Scimus quoniam ex Deo sumus: & mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius Dei venit: & dedit nobis sensum: vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna. Filioli, custodite vos a simulachris. Amen.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Venit Iesus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sychar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. ca. 4.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Erat autem ibi fons Iacob: puteus erat, sed omnis puteus fons: non omnis fons puteus. Vbi enim de terra aqua manat, & vsui præbetur haurientibus, fons dicitur. Sed si in promptu & superficie sit, fons tantum dicitur. Si autem in alto & profundo sit, ita puteus vocatur, vt fontis nomen non amittat. Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat quasi sexta. Iam incipiunt mysteria. Non enim frustra fatigatur Iesus. Non enim frustra fatigatur virtus Dei. Non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur. Non enim frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præsentem firmamur. Fatigatur tamen Iesus, & fatigatur ab itinere, & sedet, & iuxta puteum sedet, & hora sexta fatigatus sedet. Omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid. Intentos nos faciunt: vt pulsemus, hortantur. Ipse ergo nobis aperiat & vobis, qui dignatus est ita hortari, vt diceret, Pulsate & aperietur vobis: tibi fatigatus est ab itinere Iesus. Inuenimus Virtutem Iesu, & inuenimus infirmitatem Iesu: fortem, & infirmum. Fortem, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, &

Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Vis videre quam iste fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & sine labore facta sunt omnia. *Miserere.* 70.

Oratio.

IEiunia nostra quæsumus domine benigno fauore prosequere: vt sicut ab alimentis abstinemus in corpore: ita a vitijs ieiunemus in mente. Per.

Hodie dicuntur septem psalmi.

℟ *Sabbato. ex Genesi. Lectio. j.*

c. 22.

QVæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum, Abraham, Abraham. At ille respondit, adsum. Ait illi, Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum: ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul, dixitque ad pueros suos. Expectate hic cum asino, ego autem & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem & gladium. Cumque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo, Pater mi. At ille respondit. Quid vis fili? Ecce inquit, ignis & ligna, vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham, Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit, cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in

altari super struem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum. Ecce angelus domini de cœlo clamauit, dicens: Abraham Abraham. Qui respondit, Adsum. Dixitque ei, Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognoui quod timeas Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres, hærentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio. Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vsque hodie dicitur, In monte dominus videbit.

Epistola beati Ioannis apostoli secunda. Lectio secunda.

Senior, Electæ dominæ & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes qui cognouerunt veritatem, propter veritatem quæ permanet in vobis, & vobiscum erit in æternum. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo patre, & a Christo Iesu filio patris in veritate, & charitate. Gaudis sum valde quod inueni de filijs tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a patre. Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum. Et hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem. hic est seductor & antichristus. Videte vosmetipsos, ne perdatiis quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiat. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non

ca. 1.

habet. Qui permanet in doctrina: hic patrem & filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue: communicat operibus eius malignis. Ecce, prædixi vobis, vt in die domini non confundamini. Plura habens vobis scribere, nolui, per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit. Salutant te filij sororis tuæ Electæ.

Secundum Ioannem. Lectio. iiij.

ca. 8. **I**N illo tempore: Perrexit Iesus in montem Oliueti: & diluculo iterum venit in templum.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

In montem autem Oliueti, in montem fructuosum, in montem vnguenti, in montem chrismatis. Vbi enim decebat docere Christum, nisi in monte Oliueti? Christi enim nomen dictum est a chrismate. Chrisma autem Græce, Latine vnctio nominatur, Ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Et diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum. Et sedens docebat eos, & non tenebatur: quia nondum pati dignabatur. Nunc iam attendite, vbi ab inimicis tentata sit domini mansuetudo. Adducunt autem illi Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medium, & dixerunt ei, Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum vt possent accusare eum. Vnde accusare? Nunquid ipsum in aliquo facinore deprehenderant? Aut illa mulier ad eum aliquo modo pertinuisse dice-

batur? Quid est ergo tentantes eum, vt possent accusare eum? Intelligimus, fratres, admirabilem mansuetudinem in Christo fuisse. Animaduertebant eum nimium esse mitem, nimium esse mansuetum. Miserere. 70. **Oratio.**

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui se affligendo carnem ab alimentis abstinent, sectando iustitiam a culpa ieiuent. Per dominum.

¶ **Dominica quarta Quadragesimæ, ex Genesi. Lectio. j.**

Ocauit autem angelus domini Abraham secundo de cælo, dicens: Per memetipsum iuravi (dicit dominus) quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in litore maris: Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Reuersus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabeæ simul: & habitauit ibi. His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo, Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum, & Cased, & Azau, Pheldas quoque & Iedlaph ac Bathuel, de quo nata est Rebecca. octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ Concubina vero illius nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Thas & Maacha. Vixit autem Sara centum vigintiseptem annis. Et mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan, venitque Abraham vt plangeret & fleret eam. Cumque surrexisset Abraham ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: aduena sum & peregrinus apud

vos, date mihi ius sepulchri vobiscum vt sepeliam mortuum meum. Responderunt filij Heth, dicentes, Audi nos domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit quin in monumento eius sepelias mortuum tuum.

Epistola beati Ioannis Apostoli tertia. Lectio secunda.

Senior, Caio charissimo, quem ego diligo in veritate. Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi & valere, sicut prospere agit anima tua. Gausus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare. Charissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres: & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu ecclesiæ: quos, bene facies, deducens digne Deo. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes a gentibus. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi: vt cooperatores simus veritatis. Scripsissem forsitan ecclesiæ: sed is qui amat primatum genere in eis, Diotrophes, non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo eius opera quæ facit: verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant: neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt, prohibet, & de ecclesia eiecit. Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui bene facit: ex Deo est: qui male facit, non vidit Deum. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate. Sed & nos testimonium perhibemus, & nosti quoniam testimonium nostrum verum est. Multa habui tibi scribere:

sed nolui per atramentum & calamum scribere tibi. Spero autem protinus te videre: & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna: quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. ca. 6.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Miracula quæ fecit dominus noster Iesus Christus, sunt quidem diuina opera, & ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. quia enim ille non est talis substantia, quæ videri oculis possit, & miracula eius quibus totum mundum regit, vniuersamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt ita vt pene nemo dignetur attendere opera Dei mira & stupenda in quolibet seminis grano. Secundum ipsam suam misericordiam seruauit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter vsitatum cursum ordinemque naturæ, vt non maiora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Maius enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus. Et tamen hoc nemo miratur. Illud mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarum est. Quis enim & nunc pascit vniuersum mundum: nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quomodo Deus. Vnde enim multiplicat de paucis granis segetes: inde in manibus suis multiplicauit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi: panes autem illi quinque quasi semina erant: non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit, multi-

plicata. Miserere. 70. Oratio.

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per dominum no.

☩ **Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.**

- c. 23. **S**vrrexit Abraham & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth, dixitque ad eos. Si placet animæ vestræ vt sepeliam mortuum meum, audite me & intercedite pro me apud Ephron filium Seor, vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui, pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth: responditque Ephron Hethæus ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens: Nequaquam ita fiet domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor, agrum trado tibi, & speluncam quæ in eo est, præsentibus filijs populi mei, sepeli mortuum tuum. Adorauit Abraham coram domino & populo terræ. Et locutus est ad Ephron circumstante plebe eius, Quæso vt audias me, dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo. Responditque Ephron, Domine mi, audi me. Terra quam postulas quadringentos siclos argenti valet: istud est pretium inter me & te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ. Confirmatusque est ager quondam Ephronis in quo erat spelunca duplex respiciens Mambre: tam ipse quam spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circumitum Abrahæ in posses-

sionem videntibus filijs Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius. Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre: hæc est Hebron in terra Chanaan. Et confirmatus est ager & antrum quod erat in eo Abrahæ in possessionem monumenti a filijs Heth.

Epist. catholica Iacobi apostoli. L. ij.

Iacobus Dei & domini nostri Iesu ca. 2.
Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. Omne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ, patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropere: & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento mouetur & circumfertur: non ergo existimet homo ille quod accipiat aliquid a domino. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. Glorietur autem frater humilis, in exaltatione sua: diues autem, in humilitate sua: quoniam sicut flos fœni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt: ita & diues in itineribus suis marcescet. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Vnusquisque vero tentatur, a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia.

cum conceperit, parit peccatum. peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi: † Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum: & tardus ad iram. Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur. Propter quod abijciantes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.]

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

ca. 2. **I**N illo tempore: Prope erat Pascha Iudæorum: & ascendit Iesus Ierosolymam. Et inuenit in templo vendentes oues & boues & columbas.

Et reliqua. Homilia sancti Augustini episc.

Quid audiuius fratres? Ecce templum illud figura adhuc erat: & eiecit inde dominus omnes qui sua quærebant: qui ad nundinas venerant. Et quæ illi vendebant? Illa quæ opus habebant homines in sacrificijs illius temporis. Nouit enim charitas vestra quod sacrificia illi populo pro eius carnalitate & corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur ne in idola deflueret: & immolabant ibi sacrificia, boues & oues, & columbas. Nostis, quia legistis. Non ergo magnum peccatum, si hoc vendebantur in templo quod emebatur vt offerretur in templo: & tamen eiecit illos inde. Quid si ibi ebriosos inueniret, quid faceret Dominus, si vendentes ea quæ licita sunt,

& contra iustitiam non sunt, eiecit? Quæ cum honeste emuntur, non illicite venduntur. Expulit tamen, & non est passus domum orationis fieri domum negociationis. Si negociationis domus non debet fieri domus Dei: potationis debet fieri? Nos autem quando eis ista dicimus, strident dentibus suis aduersum nos. Et consolatur nos psalmus quem audistis, Striderunt super me dentibus suis. Miserere. 70. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt obseruationes sacras annua deuotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per domi.

¶ Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.

ERat autem Abraham senex c. 24. dierumque multorum: & dominus in cunctis benedixerat ei. Dixitque ad seruum seniore[m] domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat, Pone manum tuam subter femur meum: vt adiurem te per dominum Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem, filio meo Isaac, Respondit seruus, Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum, ad locum de quo tu egressus es? Dixitque Abraham, Caue ne quando reducas filium meum illuc. Dominus Deus cœli & terræ, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo: sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento: filium meum tantum ne reducas illuc. Posuit ergo seruus manum sub femore Abraham domini sui, & iurauit illi super

sermone hoc. Tulitque decem camelos de grege domini sui, & abijt, ex omnibus bonis eius portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ vespere, eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit, domine Deus domini mei Abraham occurre obsecro mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham: ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo.

Epist. catholica Iacobi apostoli. L. ij.

c.1.c **E**†stote autem factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum: huius vana est religio. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc est, Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum: & immaculatum se custodire ab hoc seculo.]

c.2.a Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si in-

troierit in conuentum vestrum vir aureum anulum habens, in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei, Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Audite fratres mei dilectissimi. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exonorastis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos: & ipsi trahunt vos ad iudicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super vos? Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores.

Secundum Ioannem.

Lectio. iij.

IN illo tempore: Iam die festo mediantes ante ascendit Iesus in templum, & docebat, & admirabantur Iudæi.

ca. 7.

Et reliqua. Homilia sancti Augustini episc.

Ille qui latebat, docebat: & palam loquebatur, & non tenebatur. Illud enim vt lateret erat causa exempli: hoc potestatis. Sed cum doceret mirabantur Iudæi Omnes quidem quantum arbitror mirabantur: sed non omnes conuertebantur. Et vnde admiratio? Quia multi nouerant vbi natus: quemadmodum fuerit educatus: nunquam eum viderant discentem literas. Audiebant autem eum de lege disputantem, legis testimonia proferentem: quæ nemo poterat proferre, nisi legisset: nemo legere, nisi literas didicisset. Et

ideo mirabantur. Eorum autem admiratio, magistra facta est insinuandæ altius veritatis occasio. Ex eorum quippe admiratione & verbis, dixit dominus aliquid profundum, & diligentius inspicere & discuti dignum. Propter quod intentam facio charitatem vestram non solum ad audiendum pro vobis: sed etiam ad orandum pro nobis. Quid ergo dominus respodit eis admirantibus: quomodo sciret literas quas non didicerat? Mea doctrina (inquit) non est mea: sed eius qui misit me. Hæc est enim profunditas prima. Videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. Non enim ait, ista doctrina non est mea. Sed, mea doctrina non est mea. Si non tua, quomodo tua? si autem tua, quomodo non tua? Tu enim dicis vtrunque: & mea doctrina, & non mea. Nam si dixisset, ista doctrina non est mea, nulla esset quæstio. **Miserere. 70.**

Oratio.

Sacræ nobis quæsumus domine observationis ieiunia. & piæ conuersationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præstent auxilium. Per domi.

¶ Feria. iiij. ex Genesi. Lectio. j.

c. 24. **N**ecdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua, puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro: descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. Occurritque ei seruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad sorbendum præbe de hydria tua. Quæ respondit, Bibe domine mi, Celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adiecit. Quin & camelis tuis hauriam

aquam, donec cuncti bibant. Effundenque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum vt hauriret aquam: & haustam omnibus camelis dedit. Ille autem contemplantur eam tacitus, scire volens vtrum prosperum iter suum fecisset dominus, an non. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos: & armillas totidem pondo siclorum decem. Dixitque ad eam: Cuius es filia? indica mihi, est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit: Filia sum Bathuelis filij Melchæ, quem peperit ipsi Nachor & addidit dicens, Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. Inclinauit se homo, & adorauit dominum, dicens: Benedictus dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam a domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris Domini mei. Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domo matris suæ omnia quæ audierat. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban: qui festinus egressus est ad hominem foras vbi erat fons. Cumque vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis. Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum qui stabat iuxta camelos & prope fontem aquæ, dixitque ad eum: ingredere benedictæ domini, cur foris stas? præparauit domum & locum camelis tuis. Et introduxit eum in hospitium: ac destrauit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & viro- rum, qui venerant cum eo. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones

meos. Respondit ei, Loquere.

Ex epistola Iacobi. Lectio. ij.

ca. 2. **Q**vicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno: factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis: dixit & Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. Sic loquimini, & sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere: opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Si autem frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicit quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quod vnus est Deus. Bene facis: & dæmones credunt & contremiscunt. Vis autem scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura dicens, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo: & non ex fide tantum? Similiter & Raab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eijciens? Sicut enim corpus sine spiritu

mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Præteriens Iesus vidit hominem cæcum a natiuitate. ca. 9

Et rel. Hom sancti Augusti. episc.

Exiens Iesus vidit hominem cæcum: non vtunque cæcum, sed a natiuitate. (Et interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi?) Scitis quia Rabbi magister est. Magistrum appellabant, quia discere desiderabant. Quæstionem quippe domino proposuerunt tanquam magistro (Quis peccauit: hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus, Neque hic peccauit, neque parentes eius) Quid est hoc, quod dixit? Si nullus homo sine peccato, nunquid parentes huius cæci sine peccato erant? Nunquid ipse vel sine originali peccato natus erat, vel viuendo nihil addiderat? An quia oculos clausos habebat, concupiscentiæ minime vigilabant? Quanta mala cæci committunt? A quo enim malo abstinet mens mala: etiam oculis clausis? Non poterat videre, sed nouerat cogitare: & forte concupiscere aliquid, quod cæcus non posset implere. Sed in corde iudicari a nullo potest, nisi a cordis perscrutatore. Si ergo & parentes eius habuerunt peccatum, & iste habuit peccatum: quare dominus dixit, neque hic peccauit, neque parentes eius: nisi ad rem de qua interrogatus est, vt cæcus nasceretur? Habebant enim parentes eius peccatum: sed non ipso peccato factum est vt cæcus nasceretur. **Miserere. 70. Oratio.**

DEus qui & iustis præmia meritorum, & peccatoribus per ieiunium veniam præbes: miserere supplicibus tuis, vt reatus nostri confessio indulgentiam percipere valeat delicto-

rum? Per do.

☉ **Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.**

c. 24.

AT ille, Seruus, inquit, Abraham sum. Et dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est: & dedit ei oues & boues, argentum & aurum: seruos & ancillas, camelos & asinos. Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito: sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo. Ego vero respondi domino meo, Quid si noluerit venire mecum mulier? Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, & diriget viam tuam: accipiesque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. Innocens eris a maledictione mea, cum veneris ad proximos meos, & non dederint tibi. Veni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi, Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam in qua nunc ambulo, ecce sto iuxta fontem aquæ, & virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me: Da mihi paxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua: & dixerit mihi, Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam præparauit dominus filio domini mei. Dumque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria quam portabat in scapula: descenditque ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad eam, Da mihi paululum bibere. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum, Bibi, & adaquauit camelos. Interrogauique eam, & dixi: Cuius es

filia? Quæ respondit, Filia Bathuelis sum filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius, pronusque adorauit dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt sumerem filiam fratris Domini mei filio eius. Quam ob rem si facitis misericordiam, & veritatem cum Domino meo: indicate mihi, sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram, siue ad sinistram.

Ex epistola Iacobi. Lectio. ij.

NOlite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendet: hic perfectus est vir, potens etiam fræno circumducere totum corpus. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, omne corpus illorum circumferimus. Et ecce naues cum magnæ sint, & a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. ecce quantus ignis quam magnam sylum incendit. Et lingua, ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflamat rotam natiuitatis nostræ inflammata a gehenna. Omnis enim natura bestiarum & volucrum & serpentium & cæterorum domantur, & domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus deum & patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore

ca. 3.

procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Nunquid potest fratres mei, ficus vuas facere: aut vitis, ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatem: non est enim ista sapientia desursum descendens a patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est: deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonus consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Fructus autem iustitiæ, in pace seminatur facientibus pacem.

Secundum Lucam.

Lectio iij.

ca. 7. **I**N illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. **Et reliqua. Homilia sancti Ambrosij episc.**

Hic locus ad vtranque redundat gratiam, vt cito flecti diuinam misericordiam matris viduæ lamentatione credamus: eius præcipue quæ vnici filij vel labore vel morte frangatur. Cui tamen viduæ grauitatis meritum exequiarum turba conciliet. Et hanc viduam populorum turba septam, plus videri esse quam foeminam, quæ resurrectionem vnici adolescentis filij sui lachrymis meruerat impetrare, eo quod sancta ecclesia populum iuniorem a pompa funeris atque a supremi sepulchri suarum reuocet ad vitam con-

templatione lachrymarum: Quæ flere prohibetur eum cui resurrectio debeatur. Qui quidem mortuus in loculo materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis: sed spem resurgendi habebat: quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non proderat: tamen posteaquam Iesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam: vt esset indicio salutem populo per crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo steterunt acerbi illius funeris portitores: qui corpus humanum letali fluxu naturæ materialis vrgebant. Quid enim aliud, nisi quasi in quodam feretro, hoc est supremi funeris instrumento, iacemus exanimes: cum vel ignis modicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exudat, vel pigra quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta noster spiritus labe puræ lucis vacuus alit mentem? Hi sunt nostri funeris portitores. **Miserere. 70. Oratio.**

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt quos ieiunia votiua castigant: ipsa quoque deuotio sancta lætificet, vt terrenis affectibus mitigatis, facilius cœlestia capiamus. Per do.

¶ Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.

Responderuntque Laban & Bathuel, A domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij domini tui, sicut loquutus est dominus. Quod cum audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram dominum. Pro-latisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebecçæ pro munere: fratribus quoque eius, & matri dona obtulit. Initoque conuiuio vescentes pariter & bibentes manserunt ibi. Sur-

gens autem mane, loquutus est puer: Dimitte me, vt vadam ad dominum meum. Responderuntque fratres eius & mater. Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur. Nolite, ait, me retinere, quia dominus direxit viam meam: dimittite me vt pergam ad dominum meum. Et dixerunt, Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait, Vadam. Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruumque Abraham, & comites eius: imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes, Soror nostra es, crescas in mille millia: & possideat semen tuum portas inimicorum suorum. Igitur Rebecca, & puellæ illius ascensis camelis sequutæ sunt virum: qui festinus reuertebatur ad dominum suum. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum, cuius nomen est Viuentis & Videntis: habitabat enim in terra australi. Et egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die: cumque eleuasset oculos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo, & ait ad puerum. Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei, Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium suum, operuit se. Seruus autem cuncta quæ gesserat, narrauit domino suo Isaac. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem: & intantum dilexit eam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

Ex epistola Iacobi. Lectio ij.

ca. 4. **V**Nde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris quæ militant in membris vestris? Concu-

piscitis: & non habetis. occiditis & zelatis: & non potestis adipisci. litigatis & belligeratis: & non habetis, propterea quod non postulatis, Petitiss & non accipitis, eo quod male petatis vt in concupiscentijs vestris insumatis: Adulteri, nescitis quod amicitia huius mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. An putatis quod inaniter scriptura dicat, Ad inuidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? Maiorem autem dat gratiam. Propter quod dicit, Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo: & fugiet a vobis. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo. Miseri estote, & lugete, & plorate, risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. Nolite detrahere alterutrum, fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum: detrahit legi & iudicat legem. Si autem iudicas legem: non es factor legis, sed iudex. Vnus est enim legislator & iudex qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum tuum? Ecce nunc qui dicitis. Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum & mercabimur, & lucrum faciemus (qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est, ad modicum parens, & deinceps, exterminabitur) pro eo vt dicatis. Si Dominus voluerit & Si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem exultatis in superbijs vestris. Omnis exultatio talis, maligna est. Scienti igitur

bonum facere, & non facienti: peccatum est illi.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

c. 11. **I**N illo tempore. Erat quidam languens Lazarus in Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. **Et reliqua. Homilia sancti Augustini episc.**

In superiori lectione meministis, quod Dominus exijt de manibus eorum, qui lapidare eum voluerant: & discessit trans Iordanem, vbi Iohannes baptizabat. Ibi domino constituto infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Ierosolymis. Maria autem erat quæ vnxit dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes, Domine, ecce, quem amas infirmatur. Iam intelligimus quo miserunt, vbi erat Dominus, quoniam absens erat. Trans Iordanem scilicet miserunt ad dominum, nuntiantes quod ægrotaret frater earum: vt dignaretur venire, & eum ab ægritudine liberare: ille distulit sanare, vt posset resuscitare. Quid ergo renuntiauerunt sorores eius? Domine, ecce, quem amas infirmatur. Non dixerunt, veni. Amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere. Veni, & sana. Non ausæ sunt dicere, Ibi iube, & hic fiet. Cur enim non & istæ sicut fides illius centurionis inde laudatur? Ait enim, Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus. nihil horum istæ, sed tantummodo, Domine, ecce, quem amas infirmatur. Sufficit vt noueris. non enim amas, & deseris. Sed dicet aliquis, Quomodo per Lazarum peccator significabatur, & a domino sic amabatur? Audiat eum dicentem, Non

veni vocare iustos, sed peccatores. **Miserere. 70. Oratio.**

DEus, qui ineffabilibus mundum renouas sacramentis: præsta quæsumus, vt ecclesia tua & æternis proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxilijs: Per dominum nostrum Iesum Christum filium.

Hodie dicitur matu. pro defunctis.

¶ Sabbato, ex Genesi. Lectio. j.

ABraham vero aliam duxit vxorem c. 25. nomine Ceturam, quæ peperit ei Zamran, & Iescan, & Madan, & Madian, & Iosboc, & Sue. Iescan quoque genuit Saba, & Dada. filij Dadam fuerunt Assurim, & Latusim, & Laomin: at vero ex Madian ortus est Epha, & Epher, & Enoch, & Abida, & Eldaa. omnes hi, filij Ceturæ. Deditque Abraham cuncta quæ possederat Isaac: filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo dum adhuc ipse viueret: ad plagam orientalem. Fuerunt autem, dies vitæ Abrahamæ centum septuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona prouectæque ætatis, & plenus dierum, congregatusque est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac, & Ismael filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, filij Seor Hethæi, e regione Mambre, quam emerat a filijs Heth. ibi sepultus est ipse, & Sara vxor eius. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viuentis & Videntis. Hæ sunt generationes Ismael filij Abrahamæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ: & hæc nomina filiorum eius in vocabulis, & generationibus suis. Primogenitus Ismaelis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam. Masma quoque, & Duma,

& Massa, Hadad, & Thema, & Ietur, & Naphis, & Cedma. isti sunt filij Ismahelis: & hæc nomina per castella & oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum. Et facti sunt anni vitæ Ismahelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, & appositus ad populum suum. Habitauit autem ab Euila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios. Coram cunctis fratribus suis obiit.

Ex epistola Iacobi. Lectio. ij.

ca. 5. **A** Gite nunc diuites, plorate, vultantes in miserijs vestris quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra a tineis comesta sunt Aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum, in aures domini Sabaoth introiuit. Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra in die occisionis. Addixistis & occidistis iustum: & non resistit vobis. Patientes igitur estote fratres, vsque ad aduentum domini. Ecce, agricola expectat pretiosum fructum terræ: patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam aduentus domini appropinquauit. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum: vt non iudicemini. Ecce, iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite fratres exitus mali laboris & patientiæ prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini. Ecce, beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem domini vidistis, quod mis-

ericors dominus est & miserator. Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, est est, non non: vt non sub iudicio decidatis. Tristatur autem aliquis vestrum? oret æquo animo & psallat. infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini. & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. † Confitemini ergo alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem vt saluemini. multum enim valet deprecatio iusti assidua. Elias, homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit vt non pluret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursus orauit: & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Fratres mei, Siquis ex vobis errauerit a veritate, & conuerterit quis eum: scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum.]

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore, Dicebat Iesus turbis Iudæorum. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ.

Et reliqua. Homilia sancti Augustini episc.

Quod nunc ait dominus, Ego sum lux mundi: clarum puto esse eis qui habent oculos, vnde huius lucis participes fiant. Qui autem non habent oculos nisi in sola carne, mirantur quod dictum est a domino Iesu Christo, Ego sum lux mundi. Et forte non desit qui dicat apud semetipsum, Nunquid forte dominus Christus est sol iste qui

B

ca. 8.

ortu & occasu peragit diem? Non enim defuerunt hæretici qui ista senserunt. Manichæi solem istum oculis, carnis visibilem expositum & publicum, non tantum hominibus, sed etiam pecoribus ad videndum Christum dominum esse putauerunt. Sed catholicæ ecclesiæ recta fides improbat tale commentum, & diabolicam doctrinam esse cognoscit credendo. Non solum autem cognoscit credendo: sed in quibus potest conuincit etiam disputando. Improbemus itaque huiusmodi errorem, quem sancta ab initio anathematizauit ecclesia Non arbitremur dominum Iesum hunc esse solem, quem videmus oriri ab oriente, occidere in occidente: cuius cursui nox succedit, cuius radij nube obumbrantur, qui certa de loco in locum motione transmigrat. Non est hic dominus Iesus Christus. Non est Christus sol factus: sed per quem sol factus est: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Est ergo lux, quæ fecit hanc lucem. *Miserere.* 70. *Oratio.*

Fiat Dominæ quæsumus per gratiam tuam fructuosus nostræ deuotionis affectus: quia tunc nobis proderunt suscepta ieiunia, si tuæ sint placita pietati: Per dominum nostrum Iesum.

Dominica de passione ad Matut. invita Christum Dei filium, qui sua nos Passione redemit, Venite adoremus. Hoc inuitatorium cum hymnis. Pange ling. ad Matutinum, & Vexila regis. ad Vesperas dicuntur vsque ad Feriam quintam in cœna Domini exclusiue: nisi agendum sit de aliquo festo duplici. Hymnus.

Pange lingua gloriosi Prælium certaminis: Et super crucis trophæum, Dic triumphum nobilem, Qualiter redemptor orbis Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti Fraude facta condolens: Quando pomi noxialis Morte morsu corrui, Ipse lignum tunc notauit, Damna ligni vt solueret.

Hoc opus nostræ salutis Ordo depoposcerat, Multiformis proditoris Ars vt artem falleret: Et medelam ferret inde Hostis vnde læserat.

Quando venit ergo sacri Plenitudo temporis, Missus est ab arce patris Natus orbis conditor: Atque ventre virginali Caro factus prodijt.

Vagit infans inter arcta Conditus præsepia: Membra pannis inuoluta Virgo mater alligat. Et manus pedesque crura Stricta cingit fascia.

Gloria & honor Deo vsquequo altissimo, Vna patri filioque Inlyto paracleto, Cui laus est & potestas Per immensa secula. Amen. *Antiphona.* Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui, responde mihi?

Notandum. quod omnes antiphonæ vsque ad Pascha dicuntur integræ in principio & in fine, ad Matutinum, Laudes, & Vesperas. Hic interruptur liber Genesis vsque ad Feriam secundam Pasche.

Ex libro Sapientiæ. Lectio. j.

Dixerunt impij apud se non recte cogitantes, Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis. & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a vijs nostris tanquam ab im-

Ex ca. 2.

munditijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius: Si enim est verus filius dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manu contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

- c. 26. **E**T factum est cum consummas-
 A set Iesus sermones hos omnes,
 dixit discipulis suis, † Scitis quia post
 biduum pascha fiet, & filius hominis
 tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati
 sunt principes sacerdotum & seniores
 populi in atrium principis sacerdotum,
 qui dicebatur Caiphaz, & consilium
 fecerunt vt Iesum dolo tenerent,
 & occiderent. Dicebant autem, Non
 in die festo, ne forte tumultus fieret
 in populo. Cum autem Iesus esset in
 Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit
 ad eum Mulier habens alabastrum vnguenti
 pretiosi, & effudit super caput ipsius
 recumbentis. Videntes autem discipuli
 eius indignati sunt dicentes, Vt quid
 perditio hæc? potuit enim istud venundari
 multo, & dari pauperibus. Sciens autem
 Iesus, ait illis, Quid molesti estis huic
 mulieri? opus enim bonum operata est in
 me: nam semper pauperes habetis vobiscum:
 me autem non semper habebitis. Mittens
 enim hæc vnguentum hoc in corpus meum,
 ad sepeliendum me, fecit. Amen dico
 vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc
 euangelium in

toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit
 in memoriam eius.

Tunc abiit vnus de duodecim, qui
 dicitur Iudas Iscariotes, ad principes
 sacerdotum, & ait illis, Quid vultis mihi
 dare, & ego vobis eum tradam? At illi
 constituerunt ei triginta argenteos.
 Et exinde quærebat opportunitatem vt
 eum traderet. Prima autem die azy-
 morum accesserunt discipuli ad Iesum,
 dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere
 Pascha? At Iesus dixit, Ite in ciuitatem
 ad quendam, & dicite ei, Magister dicit:
 Tempus meum prope est, apud te facio
 Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt
 discipuli sicut constituit illis Iesus, &
 parauerunt Pascha. Vespere autem facto,
 discumbebat cum duodecim discipulis
 suis. Et edentibus illis, dixit, Amen dico
 vobis quia vnus vestrum me traditurus
 est. Et contristati valde cœperunt singuli
 dicere, Nunquid ego sum domine? At ipse
 respondens, ait, Qui intingit mecum
 manum in paropside, hic me tradet. Filius
 quidem hominis vadit, sicut scriptum est
 de illo: væ autem homini illi per quem
 filius hominis tradetur. bonum erat ei:
 si natus non fuisset homo ille. Respondens
 autem Iudas qui tradidit eum, dixit,
 Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi, Tu dixisti.
 Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem,
 & benedixit, ac fregit, deditque discipulis
 suis, & ait, Accipite & comedite: hoc est
 corpus meum. Et accipiens calicem, gratias
 egit, & dedit illis, dicens: Bibite: ex hoc
 omnes. Hic est enim sanguis meus noui
 testamenti, qui pro multis effundetur
 in remissionem peccatorum. Dico autem
 vobis, non bibam amodo de hoc genimine
 vitis vsque in diem illum cum illud
 bibam vobiscum nouum in regno

patris mei. Et hymno dicto: exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Iesus. Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte, Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi, Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus, Amen dico tibi: quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus, Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo, Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

ca. 8. **I**N illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum & principibus sacerdotum. Quis ex vobis arguet me de peccato?

Et rel. Homilia sancti Gregorij papæ.

Pensate fratres charissimi mansuetudinem Dei: relaxare peccata venerat, & dicebat, Quis ex vobis arguet me de peccato? Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iustificare. Sed terribile est valde quod subditur, Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit, qui ex Deo est: & audire verba eius non potest quisquis ex illo non est, interroget se vnusquisque si verba Dei in aure cordis percipit: & intelliget vnde sit. Cœlestem patriam desiderare veritas iubet, carnis desideria conteri, a mundi gloria declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset ergo vnusquisque vestrum apud se, si hæc vox Dei in cordis eius aure conualuit, & quia iam ex Deo sit agnoscit. Nam sunt nonnulli qui præcepta Dei nec aure cordis percipere dignantur. Et

sunt nonnulli, qui hæc quidem cordis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita etiam vt in fletibus compungantur, sed post lachrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, qui ea exercere opere contemnunt. Vitam ergo vestram, fratres charissimi, ante mentis oculos reuocate: & alta consideratione pertimescite hoc quod ex ore veritatis sonat, Propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis.

Miserere. 70. Oratio.

QVæsumus omnipotens, Deus familiarum tuam propitius respice: vt te largiente regatur in corpore, & te seruante custodiat in mente. Per. *Ad vesper. hym.*

VExilla regis prodeunt
Fulget crucis mysterium
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo,
Quo vulneratus insuper,
Mucrone diro lanceæ:
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda sanguine.
Impleta sunt quæ concinit,
Dauid fidelis carmine:
Dicens in nationibus,
Regnauit a ligno Deus.
Arbor decora, & fulgida,
Ornata regis purpura:
Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere,
Beata cuius brachijs,
Secli pendit pretium:
Statera facta corporis,
Prædamque tulit tartari.
O crux aue spes vnica,
Hoc passionis tempore:
Auge pijs iustitiam,
Reisque dona veniam.
Te summa Deus trinitas,

Collaudat omnis spiritus:

Quos per crucis mysterium.

Saluas, rege per secula. Amen. **Antiphona.** Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. **Notandum quod antiphonæ huius diei dicuntur vsque ad dominicam Palmarum nisi festum duplex occurrat. Feria. ij. ex Daniele. Lec. j.**

Ex ca. 9. **N**unc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui. & preces eius: & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum quod desertum est, propter temetipsum. Inclina deus meus aurem tuam & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum. neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac, ne moreris propter temetipsum deus meus: quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum. Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea & peccata populi mei Israhel: vt prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei, adhuc me loquente in oratione mea, ecce vir Gabriel quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque, Daniel, nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es tu: ergo animaduerte sermonem: & intellige visionem, Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum & super urbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas,

& adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia: & vngatur sanctus sanctorum. Scito ergo & animaduerte: ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem? hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexagintaduas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani: & dixit discipulis suis, Sedete hic, donec vadam illuc & orem. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & moestus esse. Tunc ait illis, Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic & vigilate mecum. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes: & dixit Petro, Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilare & orate, vt non intretis in tentationem. spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abijt, & orauit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum: fiat voluntas tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes, c. 26.

erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abijt: & orauit tertio, eundem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos, & dixit illis, Dormite iam, & requiescite, ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit, qui me tradet.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus, missi a principibus sacerdotum & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum, dixit, Aue rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Iesus, Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum: & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus, Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meum: & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? quia sic oportet fieri? In illa hora dixit Iesus turbis, Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo: & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

ca. 7. **I**N illo tempore: Miserunt principes & Pharisæi ministros vt apprehenderent Iesum.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Quomodo apprehenderent adhuc nolentem? Quia ergo non poterant apprehendere nolentem, missi sunt vt audirent docentem. Quid docentem? Dixit ergo Iesus, Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Quod modo vultis facere, facturi estis, sed non modo: quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo? Quia adhuc modicum tempus vobiscum sum: & nunc vado ad eum, qui me misit. Implere debeo dispensationem meam, & sic peruenire ad passionem meam. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. Hic iam resurrectionem suam prædixit. Noluerunt enim eum agnoscere præsentem, & postea quæsierunt eum cum viderunt in eum multitudinem iam credentem. Magna enim signa facta sunt: etiam cum dominus resurrexit, & ascendit in cœlum. Tunc per discipulos facta sunt magna: sed ille per illos, qui & per ipsum. Ille illis quippe dixerat, Sine me nihil potestis facere. Quando claudus ille qui sedebat ad portam ad vocem Petri surrexit, & in suis pedibus ambulauit, vt homines mirarentur: sic eos allocutus est Petrus, Quia non in sua potestate ista fecit: sed in virtute illius quem ipsi occiderunt: multi compuncti dixerunt, Quid faciemus? Viderunt enim se ingenti crimine impietatis astrictos: quia illum occiderunt quem venerari & adorare debuerunt: & hoc putabant esse inexpiable. Miserere. 70. Oratio.

Sanctifica quæsumus domine nostra sieiunia: & cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum. Per do.

☩ Feria tertia ex Isaia. Lectio. j.

c. 25. **D**omine, Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis: ciuitas gentium robustarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, vmbraculum ab æstu. Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis: & quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. Et faciet dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra, quia dominus locutus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos: iste dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius: quia requiescet manus domini in monte isto.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 26. **A**T illi tenentes Iesum duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, vbi Scribæ & seniores conuenerant. Petrus autem sequebatur eum a longe, vsque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris: vt videret finem. Principes autem sacerdotum & omne concilium

quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent: & non inuenerunt: cum multi falsi testes accessissent. Nouissime autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit, Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi. Nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Iesus, Tu dixisti. Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid adhuc egeamus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentem dixerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Petrus vero sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla, dicens, Et tu cum Iesu Galilæo eras? At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla: & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento: Quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant: & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam, & loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari & iurare, quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit, Et recordatus est Petrus verbi Iesu qui dixerat, Priusquam gallus cantet, ter me ne-

gabis. Et egressus foras, fleuit amare. c. 27. Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum: & tradiderunt Pontio Pilato præsi- di. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset: poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens, Peccaui, tradens sanguinem iustum: At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt. Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito: emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem, Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt a filijs Israël & dederunt eos in agrum figuli sicut constituit mihi dominus.

Secundum Ioannem. Lectio. iiij.

ca. 7. **I**N illo tempore, Ambulabat Iesus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere. Et reliqua.

Homilia sancti Augusti. episc.

Dominus noster Iesus Christus Deus & homo: Deus cum patre semper: homo nobiscum ex tempore. Non enim quæret quod fecerat, nisi ipse quod fecerat fieri voluisset. Verum hoc mementote: & dimittere, sic esse Christum hominem factum, vt non destiterit Deus esse. Manens deus accepit hominem, qui fecit hominem. Quando

ergo latuit vt homo, non potentiam perdidisse putandus est: sed exemplum infirmitati præbuisse. Ille enim quando voluit detentus est: quando voluit occisus est. Sed quoniam futura erant membra eius, id est fideles eius, qui non haberent illam potestatem quam habebat & ipse dominus noster, quod latebat, quod se tanquam ne occideretur occultabat: hoc indicabat factura esse membra sua, in quibus vtique membris suis ipse erat. Non enim Christus in capite, & non in corpore: sed Christus totus in capite & in corpore. Quod ergo membra eius, hoc ipse: quod autem ipse, non continuo membra eius. Nam si ipse non essent membra eius, non diceret Saulo, quid me persequeris? Non enim Saulus ipsum, sed membra eius, id est fideles eius in terra persequabatur. Noluit tamen dicere sanctos meos, seruos meos, postremo honorabilius fratres meos, sed me, hoc est membra mea, quibus ego sum caput.

Miserere. 70. Oratio.

NOstra tibi domine quæsumus sint accepta ieiunia: quæ nos expiando gratia tua dignos efficiant, & ad remedia perducant, æterna. Per dominum nostrum.

¶ Feria. iiij. ex Isaia. Lectio. j.

IVstus perit, & non est qui recogitet c. 57. in corde suo, & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiæ collectus est iustus: Veniat pax, requiescat incubili suo qui ambulauit in directione sua. Vos autem accedite huc filij auguratricis, semen adulteri, & fornicariæ. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? nunquid non vos filij scelesti semen mendax? qui consolamini in dijs subter omne lignum

frondosum, immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras? In partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua, & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium, nunquid super his non indignabor? Super montem excelsum & sublimem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti, vt immolares hostias. Et post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum: quia iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus. Dilexisti stratum eorum manu aperta. Et ornasti te regio vnguento, & multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, & humiliata es vsque ad inferos. In multitudine viæ tuæ laborasti: non dixisti, Quiescam. Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti. Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es. Ego annuntiabo iustitiam tuam: & opera tua non proderunt tibi. Cum clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum meum.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

- c. 27. **I**esus autem stetit ante præsidem: &
 b interrogauit eum præses, dicens, Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Iesus, Tu dicis. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dixit illi Pilatus, Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum. ita vt miraretur præses vehementer. Per diem autem solennem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent:

habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens, Nihil tibi & iusto illi. multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum & seniores, persuaserunt populo, vt peterent, Barabbam, Iesum vero perderent. Respondens autem præses, ait illis, Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam. Dixit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes, Crucifigatur. Ait illis præses, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo dicens, Innocens ego sum a sanguine iusti huius: vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigetur. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exeuntes eum, chlamydem coccineam circunderunt ei: & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem: & induerunt eum vestimentis

eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est, Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

c. 10. **I**N illo tempore: Facta sunt encænna in Ierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis.

Et rel. Hom. sancti Augusti episc.

Encænna festiuitas erat dedicationis templi. Græce enim cænnon, dicitur nouum Latine. Quodcumque nouum nouum aliquid fuerit dedicatum, encænna vocatur. Iam & vsus habet hoc verbum, Si quis noua tunica induatur, encænnaire dicitur. Illum ergo diem quo templum dedicatum est, Iudæi solenniter celebrabant. Ipse dies festus agebatur, cum ea quæ lecta sunt locutus est dominus. Hyems erat, & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circumderunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Non veritatem desiderabant: sed calumniam præparabant. Hyems erat, & ideo frigidi erant. Ad illum enim diuinum ignem accedere pigri erant. Sed accedere est credere. Qui credit, accedit, qui negat, recedit. Non mouetur anima pedibus, sed affectibus. Frigidi erant non diligendo charitate, & ardebant nocendi cupiditate. Longe aberant, & ibi erant. Non accedebant credendo, & premebant persequendo. Quærebant audire a domino, Ego sum Christus Et fortasse de Christo secundum hominem sapiebant. Prædicauerunt prophetæ

Christum: sed diuinitatem Christi & in prophetis, & in ipso Christi euangelio nec hæretici intelligunt. Quanto minus Iudæi, quandiu velamen est super cor eorum? *Miserere. 70. Oratio.*

Sanctificato hoc ieiunio deus tuorum corda fidelium miserator illustra: & quibus deuotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per dominum.

¶ Feria. v. ex Oseæ. Lectio. j.

IN tribulatione sua mane consurgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum: quia ipse cœpit, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus sequemurque, vt cognoscamus dominum: quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. Propter hoc dolui in prophetis, occidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua quasi lux egredientur. Quia misericordiam volui, & non sacrificium: & scientiam Dei plus quam holocausta.] Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me. Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem: quia scelus operati sunt. In domo Israel vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israel. Sed & Iuda pone messem tibi, cum conuertero captiuitatem populi mei.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius sortem c. 27. c

mittentes: vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem, Diuiserunt sibi vestimenta mea: & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: vnus a dextris, & vnus a sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum: mouentes capita sua, & dicentes, Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribes & senioribus, dicebant, Alios saluos fecit: seipsum non potest saluum facere. si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in Deo: liberet nunc eum si vult: dixit enim, Quia filius Dei sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei. A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabachthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant, Eliam vocat iste. Et continuo currens vnus ex eis: acceptam spongiam impleuit aceto: & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant, Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce, velum templi scissum est in duas partes, a summo vsque deorsum, & terra mota est, & petreæ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, sur-

rexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem: & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes, Vere filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Iesum a Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu: hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu, Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore Ioseph, inuoluit illud in syndone munda: & posuit illud in monumento suo nouo quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Altera autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens, Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit a mortuis. & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus, Habetis custodiam: ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum: signantes lapidem cum custodibus.]

Secundum Lucam.

Lectio. iij.

IN illo tempore, rogabat Iesum ca. 7. quidam Pharisæus vt manducaret cum illo. Et rel.

Homilia sancti Gregorij papæ.

Cogitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet quam aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliunt? Considerauit nanque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est: non iussa venit: inter epulas lachrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere etiam inter epulas non erubescit. Hanc vero quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia eiecta fuisse testatur: & quid per septem dæmones, nisi vniuersa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero vniuersitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ vniuersis vitijs plena fuit. Sed ecce, quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit: conuiuantes non erubuit. Nam quia semetipsam grauiter erubescibat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris. Quid igitur miramur fratres? Mariam venientem, an dominum suscipientem? Suscipientem dicam, an trahentem? Sed melius dicam trahentem & suscipientem. Quia nimirum ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. *Miserere. 70. Oratio.*

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicualis parsimoniæ studio reformetur. Per do.

☞ *Feria. vj. ex Ieremia. Lectio. j.*

c. 11. **E**T dixit dominus ad me, Inuenta est coniuratio in viris Iuda, & in habitatoribus Ierusalem. Reuersi sunt ad

iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea. Et hi ergo abierunt post Deos alienos, vt seruirent eis: irritum fecerunt domus Israel & domus Iuda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum. Quam ob rem hæc dicit dominus, Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt: & clamabunt ad me: & non exaudiam eos. & ibunt ciuitates Iuda, & habitatores Ierusalem, & clamabunt ad Deos quibus libant, & non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum. Secundum numerum enim ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda: & secundum numerum viarum Ierusalem posuisti aras confusionis ad libandum Baalim. Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem, & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me in tempore afflictionis eorum. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit dominus nomen tuum. Ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius. Et dominus exercituum qui plantauit te, locutus est super te malum: pro malis domus Israel, & domus Iuda, quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim. † Tu autem domine demon- Dstrasti mihi & cognoui: tunc ostendisti mihi studia eorum. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia, dicentes, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Tu autem

domine Sabaoth, qui iudicas iuste, & probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelau i causam meam.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

- c. 14. **E**Rat autem Pascha & azyma post
 a bibuum: & quærebant summi sacerdotes & scribæ quomodo eum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem, Non in die festo: ne forte tumultus fieret in populo. Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis Leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi pistici pretiosi: & fracto alabastro, effudit super caput, eius. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes, Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud venundari plus quam trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Iesus autem dixit, Sinite eam: quid illi molesti estis? bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. Quod habuit, hæc fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius. Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim abijt ad summos sacerdotes, vt proderet eum illis. Qui audientes gauisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportune traderet. Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli. Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? Et mittit duos ex discipulis suis: & dicit eis, Ite in ciuitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ

baiulans, sequimini eum: & quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit, Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum: & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem: & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis & manducantibus, ait Iesus, Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me qui manducat mecum. At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim, Nunquid ego? Qui ait illis, Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. & filius quidem hominis vadit: sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. bonum erat ei, si non esset natus homo ille. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait illis, Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis, Hic est sanguis mei noui testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia iam non bibam de genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei. Et hymno dicto, exierunt in montem oliuarum. Et ait eis Iesus, Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est, Percutiam pastorem: & dispergentur oues. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi, Et si omnes scandalizati fuerint: sed non ego. Et ait illi Iesus, Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur, Et si oportuerit

me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

c. 11. **I**N illo tempore: Collegerunt pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesum, & dicebant, Quid facimus? quia hic homo multa signa facit? *Et rel.*

Homilia sancti Augustini episc.

Pontifices & Pharisæi sibi consulebant: nec tamen dicebant, credamus. Plus enim perfidi homines cogitabant quomodo nocerent, vt perderent: quam quomodo sibi consulerent ne perirent. Et tamen timebant, & quasi consulebant. Dicebant enim, Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic: omnes credent in eum, & venient Romani, & tolent locum nostrum & gentem. Temporalia quidem perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac sic vtrunque amiserunt. Nam & Romani post domini passionem & glorificationem, tulerunt eis locum & gentem expugnando & transferendo. Et illud eos sequitur quod alibi dictum est, Filij autem regni ibunt in tenebras exteriores. Hoc autem timuerunt: ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui aduersus Romanos ciuitatem Dei templumque defenderet: quoniam contra ipsum templum, & contra suas paternas leges, doctrinam Christi esse sentiebant. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit illis, Vos nescitis quicquam nec cogitatis: quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a seipso non dixit. Sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit. Hic docemur etiam homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere. Quod tamen euangelista diuino tribuit sacramento:

quia pontifex fuit, id est, summus Sacerdos. *Miserere. 70. Oratio.*

COrdibus nostris quæsumus domine, gratium tuam benignus infunde: vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes temporaliter potius maceremur, quam supplicijs deputemur æternis. Per domi.

Hodie dicuntur septem psalmi.

C *Sabbato, ex Zacharia. L. j.*

EXulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem gentibus, & potestas eius a mari vsque ad mare, & a fluminibus vsque ad fines terræ. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Conuertimini ad munitionem vincti spei: hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. Quoniam extendi mihi Iudam, quasi arcum, impleui Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia, & ponam te quasi gladium fortium. Et dominus Deus super eos videbitur, & exhibit vt fulgur iaculum eius, & dominus deus in tuba canet, & vadet in turbine austri. Dominus exercituum proteget eos: deuorabunt, & subijcient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur quasi a vino, & replebuntur vt phialæ, & quasi cornua altaris. Et saluabit eos dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum: & vinum germinans virgines?

Secundum Marcum. Lectio. ij.

Ex
ca. 9.

- c. 14. **E**T veniunt in prædium cui nomen
 b Gethsemani. Et ait discipulis
 suis, Sedete hic donec orem. Et as-
 sumit Petrum & Iacobum, & Ioannem
 secum: & cœpit pauere & tædere. Et
 ait illis, Tristis est anima mea vsque ad
 mortem, sustinete hic, & vigilate. Et
 cum processisset paululum, procidit su-
 per terram: & orabat vt si fieri posset
 transiret ab eo hora, & dixit, Abba pa-
 ter, omnia tibi possibilis sunt: transfer
 calicem hunc a me, sed non quod ego
 volo, sed quod tu. Et venit, & inuenit
 eos dormientes. Et ait Petro, Simon,
 dormis? non potuisti vna hora vigilare?
 Vigilate, & orate vt non intretis in
 tentationem: Spiritus quidem promptus
 est: caro vero, infirma. Et iterum
 abiens orauit, eundem sermonem, di-
 cens. Et reuersus denuo inuenit eos
 dormientes (erant enim oculi eorum
 grauati) & ignorabant quid responderent
 ei. Et venit tertio, & ait illis, Dormite
 iam, & requiescite. Sufficit, venit
 hora: ecce filius hominis tradetur in
 manus peccatorum Surgite eamus: ecce
 qui me tradet prope est. Et adhuc eo
 loquente, venit Iudas Iscariotes vnus
 de duodecim. & cum eo turba multa
 cum gladijs & lignis, a summis sacer-
 dotibus & Scribis & senioribus. Dederat
 autem traditor eius signum eis,
 dicens: Quemcunque osculatus fuero:
 ipse est, tenete eum, & ducite caute.
 Et cum venisset, statim accedens ad
 eum, ait, Rabbi, & osculatus est eum.
 At illi manus iniecerunt in Iesum: &
 tenuerunt eum. Vnus autem quidam de
 circumstantibus, educens gladium per-
 cussit seruum summi sacerdotis & am-
 putauit illi auriculam. Et respondens
 Iesus, ait illis, Tanquam ad latronem
 existis cum gladijs & lignis compre-
 hendere me? quotidie eram apud vos
 in templo docens, & non me tenuis-
 tis. Sed vt impleantur scripturæ. Tunc
 discipuli eius relinquentes eum: omnes
 fugerunt. Adolescens autem quidam
 sequebatur eum amictus syndone su-
 per nudo: & tenuerunt eum. At ille
 reiecta syndone, nudus profugit ab eis.
 Et adduxerunt Iesum ad summum sacer-
 dotem, & conuenerunt omnes sacer-
 dotes & Scribæ & seniores. Petrus
 autem a longe sequutus est eum vsque
 intro in atrium summi sacerdotis: &
 sedebat cum ministris ad ignem, &
 calefaciebat se. Summi vero sacerdotes
 & omne concilium quærebant aduer-
 sus Iesum testimonium, vt eum morti
 traderent: nec inueniebant. Multi
 autem testimonium falsum dicebant
 aduersus eum: & conuenientia testimo-
 nia non erant. Et quidam surgentes
 falsum testimonium ferebant aduersus
 eum dicentes, Quoniam nos audiimus
 eum dicentem, Ego dissoluam templum
 hoc manufactum: & post triduum ali-
 ud non manufactum ædificabo. Et
 non erat conueniens testimonium illo-
 rum. Et exurgens summus sacerdos
 in medium, interrogauit Iesum, dicens,
 Non respondes quicquam ad ea quæ
 tibi obijciuntur ab his? Ille autem
 tacebat & nihil respondit. Rursum
 summus sacerdos interrogabat eum, &
 dixit ei, Tu es Christus filius Dei bene-
 dicti? Iesus autem dixit illi, Ego sum:
 & videbitis filium hominis sedentem a
 dextris virtutis Dei, & venientem cum
 nubibus cœli. Summus autem sacer-
 dos scindens vestimenta sua, ait, Quid
 adhuc desideramus testes? Audistis
 blasphemiam, quid vobis videtur? Qui
 omnes condemnauerunt eum esse reum
 mortis. Et cœperunt quidam conspuere

eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei Prophetiza. & ministri alapis eum cædebant.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

ca. 8. **I**N illo tempore: Dicebat Iesus ad eos qui crediderunt ei, Iudæos. Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Cum rex iustitiæ sederit in throno, sicut scriptura loquitur, quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Multum nos terruit, o fratres mei, dicendo, Seruus non manet in domo in æternum Adiungit autem & dicit, Filius manet in æternum. Ergo solus in domo sua erit Christus? Nullus ne ei populus cohærebit? Cui erit caput si non erit corpus? An forte totum hoc filius caput & corpus? Non enim sine causa terruit & spem dedit. Terruit ne peccatum amaremus. Spem dedit, ne de peccati solutione diffideremus. Omnis (inquit) qui facit peccatum, seruus est peccati, Seruus autem non manet in domo in æternum. Quæ ergo nobis spes est, qui non sumus sine peccato? Audi spem tuam. Filius manet in domo in æternum. Si ergo filius vos liberauerit, tunc vere liberi eritis. Hæc spes nostra fratres est, vt a libero liberemur. Et liberando nos seruos facit. Serui enim eramus cupiditatis: liberati serui efficimur charitatis. Hoc & Apostolus dicit. Vos autem fratres in libertatem vocati estis: tantum ne libertatem in occasionem carnis detis: sed per charitatem seruite inuicem. Non ergo dicat Christianus, liber sum, in libertatem vocatus sum: seruus eram: sed ipsa redemptione liber effectus sum: faciam quod volo. *Miserere. 70. Oratio.*

PRoficiat quæsumus domine plebs tibi dicata piæ deuotionis affectu: vt sacris actionibus erudita, quanto maiestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per domi.

Dominica palmarum. Ad matu. an. Confortati sunt, qui persequuti sunt me inimici mei iniuste, quæ non rapui tunc exoluebam.

Ex Isaia.

Lectio prima.

HÆc dicit dominus, Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret. Nunquid abbreviata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce, in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum: computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. Induam cœlos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui: lapsus est, verbo. Erigit mane: mane erigit mihi aurem: vt audiam quasi magistrum. † Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul: quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce dominus Deus, auxiliator meus: quis est qui condemnet me?

c. 50.
a

B

Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens dominum, audiens vocem serui sui? quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine domini, & innitatur super Deum suum.]

C Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis: ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis. de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

c. 14. **E**T cum esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi sacerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem se aspiciens illum, ait, Et tu cum Iesu Nazareno eras? At ille negauit, dicens, Neque scio, neque noui quid dicas. Et exijt foras ante atrium: & gallus cantauit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla cœpit dicere circumstantibus, Quia hic ex illis est. At ille iterum negauit. Et post pusillum rursus qui astabant dicebant Petro, Vere ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare & iurare, Quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim gallus iterum cantauit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Iesus, Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

c. 15. Et confestim mane consilium facientes a summi sacerdotes cum senioribus, & scribis, & vniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et interrogauit eum Pilatus, Tu es rex Iudæorum? At ille respondens, ait illi, Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis: Pilatus autem rursus interrogauit eum, dicens: Non respondes quicquam? vides in quantis te accusant. Iesus autem amplius nihil respondit: ita vt miraretur Pilatus. Per diem autem festum solebat

dimittere illis vnum ex vincitis quemcunque petijissent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vincitus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, & dixit, Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens, ait illis, Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum clamauerunt, Crucifige eum. Pilatus vero dicebat illis, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem: & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum, Aue rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine: & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum vt crucifigerent eum. Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi: vt tolleret crucem eius. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Caluarie locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore, cum appropinquasset Iesus Ierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc c. 21.

misit duos ex discipulis suis dicens eis, Ite in castellum quod contra vos est.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Pvlchre autem relictis Iudæis habitaturus in affectibus gentium, templum dominus ascendit. Hoc enim templum est verum, in quo non in litera, sed in spiritu dominus adoratur. Hoc Dei templum est, quod fidei series, non lapidum structura fundauit. Deseruntur ergo qui adorant: eliguntur qui amaturi erant. Et ideo ad montem venit Oliueti, vt nouellas oliuas in sublimi virtutum plantaret: quarum mater est illa quæ sursum est Ierusalem: in hoc monte est ille cœlestis agricola: vt plantati omnes in domo domini possint in veritate dicere, Ego sicut oliua fructificaui in domo domini. Et fortasse ipse mons est Christus. Quis enim alius tales fructus ferret oliuarum non curuescentium vbertate baccarum: sed spiritus plenitudine gentium fœcundarum? Ipse est per quem ascendimus, & ad quem ascendimus: ipse est ianua: ipse est via: quæ aperitur & qui aperit: qui pulsatur ab ingredientibus, & ab egredientibus adoratur. Ergo in castello erat, & ligatus erat pullus cum asina, non poterat solui nisi iussu domini. Soluit eum manus apostolica: talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis vt possis ligatos soluere. Nunc consideremus qui fuerunt illi qui errore detecto de paradiso eiecti in castello sunt religati. Et videbimus quemadmodum quos mors expulerat, vita reuocauerit. Et ideo secundum Matthæum & asinam & pullum legimus: vt quia in duobus hominibus vterque fuerat sexus expulsus, duobus animalibus vterque reuocetur. *Miserere. 70. Ad laudes. antiphona.* Pueri Hebræorum tollentes ramos oli-

uarum obuiauuerunt domino clamantes, & dicentes, Hosanna in excelsis. *Oratio.*

OMnipotens sempiternus Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum saluatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti: concede propitius, vt & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eun. *Ad vespervas antiphona.* Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.

℟ *Feria. ij. ad matutinum an.* Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.

Ex Zacharia.

Lectio. j.

A Peri libane portas tuas, & comedet ignis cedros tuas, vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus. Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Iordanis. Hæc dicit dominus Deus meus, Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, & non dolerant: & vendebant ea, dicentes, Benedictus dominus, diuites facti sumus: & pastores eorum non parcebant eis. Et ego non parcam vltra super habitantes terram, dicit dominus: ecce ego tradam homines, vnunquemque in manu proximi sui, & in manu regis sui, concident terram, & non eruam de manu eorum. Et pascam pecus occisionis propter hoc o pauperes gregis: & assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum: & pauis gregem. Et succidi tres pastores in mense vno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variavit in me. Et dixi, Non pascam vos: c. 11.

quod moritur moriatur: & quod succiditur, succidatur: & reliqui deorent Vnusquisque carnem proximi sui. Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus, & abscidi eam: vt irritum facerem fœdus meum quod percussi cum omnibus populis. Et in irritum deductum est in die illa: & cognouerunt sic pauperes gregis qui custodiunt mihi, quia verbum domini est. Et dixi ad eos, Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, Projice illud ad statuarium decorum pretium quo appretiatum sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum domini, ad statuarium.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

- c. 15. **E**T crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ eius inscriptus, Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones: vnum a dextris, & alium a sinistris eius. Et impleta est scriptura quæ dicit, Et cum iniquis reputatus est, Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes, Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: saluum fac te ipsum descendens de cruce. Similiter & summi Sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant, Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam. Et hora nona exclamauit Iesus voce magna, dicens, Eloi, Eloi,

lamma sabacthani? quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et quidam de circumstantibus audientes dicebant. Ecce, Eliam vocat. Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens, Sinite: videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Iesus autem emissa voce magna expirauit. Et velum templi scissum est in duo, a summo vsque deorsum. Videns autem Centurio qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait, Vere hic homo, filius Dei erat. Erant autem & mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi Minoris & Ioseph mater, & Salome, & cum esset in galilæa sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam. Et cum iam sero esset factum (quia erat parasceue quod est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimatæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei. Et audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obiisset. Et accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset a Centurione: donauit corpus Ioseph. Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit syndone, & posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti.] Maria autem

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

- I**N ilo tempore, Ante sex dies Paschæ venit Iesus Bethaniam, vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit Iesus. *Et rel.*

Homilia sancti Augustini episc.

c. 12.

Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, Lazarus vnus erat ex recumbentibus. Videbat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur, infidelitas Iudæorum confundebatur. Discumbebat ergo dominus cum Lazaro & cæteris: ministrabat Martha vna ex sororibus Lazari. Maria altera soror Lazari accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi: & vnxit pedes Iesu: & extersit capillis suis pedes eius: & domus impleta est ex odore vnguenti. Factum audiuiumus: requiramus mysterium. Quæcunque anima fidelis vis esse cum Maria, vnge pedes domini pretioso vnguento. Vnguentum illud iustitia fuit: ideo libra fuit. Erat autem vnguentum nardi pistici pretiosi. Quod ait pistici, locum aliquem credere debemus, vnde hoc erat vnguentum pretiosum. Nec tamen hoc vacat, & sacramento optime consonat. Pistis Græce, Latine, dicitur fides. Quærebas operari iustitiam, iustus autem ex fide viuit. Vnge pedes Iesu bene viuendo: dominica sectare vestigia. Capillis terge: si habes superflua, da pauperibus, & domini pedes tersisti. Capilli enim superflua corporis videntur esse. Habes quod agas de superfluis tuis: tibi superflua sunt: sed domini pedibus necessaria sunt. *Miserere. 70. Ad laudes an.* Salua me ex ore leonis, & a cornibus vnicornium humilitatem meam. *Oratio.*

DA quæsumus omnipotens Deus: vt qui in tot aduersis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente vnigeniti filij tui passione respiremus. Per eun.

Ad vesp. an. Aperuerunt super meos suum, sicut leo rapiens, & rugiens.

¶ *Feria. iij. ad matu. an.* Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.

Ex Zacharia.

Lectio prima.

IN die illa, erit fons patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem: in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit dominus exercituum. Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pseudopphetas, & spiritum immundum auferam de terra. Et erit: cum prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum, Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine domini: & configent eum pater eius & mater eius genitores eius cum prophetauerit. Et erit: in die illa confundentur prophetæ vnusquisque ex visione sua cum prophetauerint, nec operientur pallio saccino, vt mentiantur: sed dicet, Non sum propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et dicetur ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit dominus exercituum: percutite pastorem, & dispergentur oves: & conuertam manum meam ad paruulos. Et erunt in omni terra, dicit dominus: partes duæ in ea dispergentur & deficient: & tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem: & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam, Populus meus es, & ipse dicet, Dominus Deus meus.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

A†ppropinquat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha: & quærebant principes sacerdotum

c. 13.

c. 22.

a

& scribæ quomodo eum interficerent: timebant vero plebem. Intrauit autem satanas in Iudam qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim: & abiit, & loquutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt: & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spondit. Et quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt, Vbi vis paremus? Et dixit ad eos, Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus, Dicit tibi magister, Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum: & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis: & parauerunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim apostoli cum eo, & ait illis. Desiderio desiderauit hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit: & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Veruntamen

ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est, vadit: veruntamen væ homini illi, per quem tradetur. Et ipsi cœperunt quærere inter se quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis, Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est: qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. vos autem estis qui permansistis mecum in temptationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus, regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Ait autem dominus Simoni, Simon: ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei, domine, tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit, Dico tibi Petre, non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis, Quando misi vos sine sacco & pera & calceamentis: nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam: & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem

habent. At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis, Satis est. Et egressus ibat secundum consuetudinem in monte Oliuarum. Sequuti sunt autem illum & discipuli. Et cum peruenisset ad locum, dixit illis, Orate ne intretis in tentationem. Et ipse aulus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis, Quid dormitis? surgite, orate ne intretis in tentationem.

Sermo sancti August. episc. Lectio. iiij.

DE domino & saluatore nostro, fratres dilectissimi, ante multa tempora prophetatum est, Ascendet sicut virgultum, & sicut radix in terra sitiendi. Quare vt radix? Ideo quia non est species illi, neque honor. passus est, humiliatus est, consumptus est, non habebat speciem: homo apparebat, cum esset Deus. Sed quomodo radix non est pulchra, sed intus habet vim pulchritudinis suæ? Attendite fratres mei: videte misericordiam Dei: attendens arborem pulchram, amœnam, folijs virentem, fructibus opulentam, laudas: delectat aliquid de fructu eius carpere: sub vmbra eius sedere: & requiescere ab æstu. Laudas totam illam pulchritudinem. Si radix ostendatur tibi: nulla pulchritudo in ea est. Noli contemnere quod abiectum est: inde processit quod miraris: vt radix in terra sitiendi. Attendite modo claritatem arboris: creuit eccle-

sia, crediderunt gentes, victi sunt terræ principes sub nomine Christi, vt essent victores in orbe terrarum. Positum est collum sub iugo Christi. Persequerantur ante Christianos propter idola: persequuntur idola propter Christum. Omnes confugiunt ad auxilium ecclesiæ in omni pressura, in omni tribulatione sua. Creuit illud granum sinapis: factum est maius super omnia olera. **Miserere. 70. Ad laudes antiphona.** Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. **Oratio.**

OMnipotens sempiterne Deus, da nobis ita dominicæ passionis sacramenta peragere, vt indulgentiam percipere mereamur. Per eundem.

Ad vespervas an. Captabunt in animam iusti: & sanguinem innocentem condemnabunt.

☩ Feria. iiij. ad matutinum antiphona. Proprio filio suo non pepercit Deus: sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Ex Isaia. Lectio. j.

Q†Vis credidit auditui nostro? & brachium domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiendi. Non est species ei, neque decor: Et vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam

declinavit: & posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondeute se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuientium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius: & dominus voluit contere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispersiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.]

Secundum Lucam. Lectio. ij.

- c. 22. **A** Dhuc eo loquente, ecce turba:
 b & qui vocabatur Iudas vnus de duodecim, antecedeat eos, & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum. Iesus autem dixit illi. Iuda, osculo filium hominis tradis? Videntes autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerunt ei, Domine, si percussimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum: & amputauit auriculam eius dexteram. Respondens autem Iesus, ait, Sinite vsque huc. Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum & magistratus templi & se-

niores, Quasi ad latronem existis cum gladijs, & fustibus? Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, & non extendistis manus in me, sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum. Petrus vero sequebatur eum a longe. Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit, Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum. Et post pusillum alius videns eum, dixit, Et tu de illis es. Petrus vero ait, O homo, non sum. Et interuallo facto, quasi horæ vnus, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et ait Petrus, Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantauit gallus. Et conuersus dominus, respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi domini sicut dixerat, Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus, fleuit amare. Et viri qui tenebant Iesum illudebant ei cædentes. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes Prophetiza, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis & principes sacerdotum & scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes, Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis, Si vobis dixerero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes, Tu ergo

es filius Dei? Qui ait, Vos dicitis: quia ego sum. At illi dixerunt, Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuiimus de ore eius.

c.23. Et surgens omnis multitudo eorum,
 a duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes, Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem interrogauit eum dicens, Tu es rex Iudæorum? At ille respondens ait, Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas, Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebant dicentes, Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens a Galilæa vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de eo: & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum: Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illudit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Pilatus & Herodes in ipsa die, nam antea inimici erant adinuicem.

Sermo sancti Ambro. episc. Lectio. iij.

L Egimus quia Christus peccata nostra portat: & pro nobis dolet. Doles ergo domine non tua, sed nostra vulnera: non tuam mortem, sed nostram infirmitatem: & nos existimauimus te esse in doloribus, cum tu

non pro te, sed pro nobis doleres. Infirmatus enim es: sed propter peccata nostra. Non quia tibi illa infirmitas erat ex patre assumpta, sed pro nobis suscepta: quia nihil proderat vt eruditio pacis nostræ esset in te: nisi liuore tuo vulnera nostra sanares. Sed quid mirum, si pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit? Quid mirum, si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum resuscitaturus illachrymat? Sed & ibi piæ sororis lachrymis commouetur: quia mentem humanam tangebant: & hic alto appetitur affectu: vt quia in carne sua peccata nostra perimebat, mortem quoque animæ nostræ, suæ animæ mœror aboleret. Et fortasse ideo tristis est: quia post Adæ lapsum tali transitu nobis erat de hoc seculo recedendum vt mori esset necesse. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum: & ideo fastidit quod ipse non fecit. Denique ait, Transfer a me calicem istum: quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam reseruans. Oportet enim nos mori seculo, vt resurgamus Deo. **Miserere. 70. Ad laudes an.** Omnes videntes me, deriserunt me: loquuti sunt labijs, & mouerunt caput.

Oratio.

P Ræsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui nostris excessibus incessanter affligimur, per vnigeniti filij tui passionem liberemur. Qui tecum vi.

Ad vespervas an. Sperauit in domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.

¶ Notandum quod si in aliquo ex his tribus diebus sequentibus incidit aliquod festum simplex, non debet fieri officium, nec commemoratio de eo: si autem fuerit duplex, transferendum est

post octa. Paschæ.

C Feria. v. in cœna domini. Notandum quod hodie Pater noster. & Aue Maria. dicuntur in principio omnium horarum sicut antea, sed omnibus alijs prætermisissis, absolute incipitur matuti. ab antipho. infrascripta antiphona. Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Deinde dicuntur, psalmi, & terminantur absolute sine Gloria patri. & sic terminantur etiam in omnibus alijs horis. Post psalmos repetitur antiphona & statim dicitur Pater noster. &c. Deinde dicuntur tres sequentes lectiones sine benedictionibus, & sine Tu autem.

Lamentatio Ieremiæ prophetæ. Lectio prima. Aleph.

Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium. Princeps prouinciarum facta est sub tributo.

Beth. Plorans plorauit in nocte: & lachrymæ eius in maxillis eius: non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici.

Gimel. Migravit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis: habitauit inter gentes, nec inuenit requiem: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.

Daleth. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem: omnes portæ eius destructæ, sacerdotes eius gementes: virgines eius squallidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

He. Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt: quia dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: paruuli eius ducti sunt in captiuitatem, ante faciem tribulantis.

Vau. Et egressus est a filia Sion omnis decor eius. Facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

Zain. Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis: omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator: Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius.

Heth. Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens, conuersa est retrorsum.

Teth. Sordes eius in pedibus eius: nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

Iod. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.

Caph. Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam. Vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis.

Lamed. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, vt locutus est dominus in die iræ furoris sui. Ierusalem, Ierusalem, conuertere ad dominum Deum tuum.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

Platus autem conuocatis, principibus & plebe, dixit ad illos, Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum: & ecce, ego coram vo-

c. 23.
b

bis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. nam remisi vos ad illum, & ecce, nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam: qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus loquutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi succlamabant dicentes, Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos, Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur: & inualescebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant. Iesum vero tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum: quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit, Filiæ Ierusalem, nolite flere super me: sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. quoniam ecce venient dies in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc

faciunt: in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones vnum a dextris, & alterum a sinistris. Iesus autem dicebat, Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt: Diuidentes vero vestimenta eius, miserunt sortes. Et stabat populus expectans, & deridebant eum principes cum eis dicentes, Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes, Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis & Latinis, & Hebraicis, Hic est rex Iudæorum. Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens, Si tu es Christus, saluum fac te ipsum & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens. Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste: nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. Erat autem fere hora sexta: & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque ad horam nonam. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Iesus, ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens: expirauit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens, Vere, hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant quæ

fiabant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius a longe: & mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes. Et ecce, vir nomine Ioseph qui erat decurio. vir bonus & Iustus hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu, & depositum inuoluit syndone, & posuit illud in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.] Et dies erat parasceues, & sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta: & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio tertia.

Ex c. 11. **C**onuenientibus vobis in vnum iam non est dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis: & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi a domino quod & tradidi vobis: quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit, Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam com-

memorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducauerit panem, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne: iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus domini: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos diiudicemus: non vtique iudicemur. Dum iudicamur autem, a domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.

Finitis lectionibus non dicitur Te Deum nec Miserere, sed statim ad laudes dicitur an. Traditor autem dedit eis signum dicens, Quem osculatus fuero, ipse est: tenete eum. *Deinde dicuntur psalmi cum cantico.* Benedictus. *quo finito repetitur antiph. & statim dicitur V̄.* Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. *R̄.* Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. *Deinde flexis genibus dicitur Pater noster. &c. & psalmos.* Miserere. &c. folio. 65. *quo finito immediate sine.* Oremus. *dicitur oratio.*

Respice quæsumus domine super hanc familiam tuam, pro qua dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum: *Deinde dicitur sub silentio* Qui tecum viuit. &c. *Et non dicitur* Benedicamus. *nec Fidelium. Prædicto modo dicitur V̄.* Christus factus. &c. *vsque ad finem orationis.* Respice. *in omnibus horis vsque ad vespas sabba. sancti ex-*

clusiue. Ad primam, tertiam, sextam & nonam, cæteris omnibus omissis absolute dicuntur psalmi, quibus finitis in qualibet dictarum horarum dicitur statim *Ÿ*. Christus factus. &c. vt supra. Ad vespervas absolute dicitur an. Cœnantibus illis accepit Iesus panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis. Deinde dicuntur psalmi cum canti. Magnificat. quo finito repetitur an. & statim dicitur. Christus factus. &c. vt supra. Ad completo. absolute dicuntur psalmi cum cantico. Nunc dimittis. quo finito statim dicitur Christus factus. &c. vt supra. Notandum quod sicut in hac feria. v. ita etiam dicendum est officium in duobus diebus sequentibus, mutando antiphonas & lectiones, vt in eis videbis.

Ɔ Feria sexta in Parasceue ad matutinum an. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius.

Ex lamentatione Ieremiæ prophetæ.
Lectio prima. Nun.

ca 3. **S**Crutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad dominum.

Nun. Leuemus corda nostra, cum manibus ad dominum in cœlo.

Nun. Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es.

Samech. Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti.

Samech. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

Samech. Eradicationem & abiectionem posuisti me in medio populorum.

Phe. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici nostri.

Phe. Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio.

Phe. Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.

Ain. Oculus meus afflictus est nec tacui, eo quod non esset requies.

Ain. Donec respiceret & videret dominus de cœlis.

Ain. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbs meæ.

Sade. Venatione cœperunt me quasi auem inimici mei gratis.

Sade. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.

Sade. Inundauerunt aquæ super caput meum: dixi, Perij.

Coph. Inuocaui nomen tuum domine de lacis nouissimis.

Coph. Vocem meam audisti: ne auertas aurem tuam a singultu meo & clamoribus.

Coph. Appropinquasti in die quando inuocaui te: dixisti, Ne timeas.

Res. Iudicasti domine causam animæ meæ, redemptor vite meæ.

Res. Vidisti domine iniquitatem illorum aduersum me: iudica iudicium meum.

Res. Vidisti omnem furorem, vniuersas cogitationes eorum aduersum me.

Sin. Audisti opprobrium eorum domine, omnes cogitationes eorum aduersum me.

Sin. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die.

Sin. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide: ego sum psalmus eorum.

Tau. Reddes eis vicem domine, iuxta opera manuum suarum.

Tau. Dabis eis scutum cordis laborem tuum.

Tau. Persequeris eos in furore tuo, & conteres eos sub cœlis domine.

Ierusalem Ierusalem conuertere ad dominum Deum tuum.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

- c. 18. **H**æc cum dixisset Iesus, egressus
 a est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & a pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus & armis. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se, processit & dixit eis, Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus, Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus, Dixi vobis quia ego sum, si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi non perdiidi ex eis quenquam. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum: & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo, Malchus. Dixit ergo Iesus Petro, Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Cohors autem & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis, Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus

autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ: & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria. Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis & de doctrina eius. Respondit ei Iesus, Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus, Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei. Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam, Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit. Adducunt ergo Iesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Re-

sponderunt & dixerunt ei, Si non eset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum. Dixit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi, Nobis non licet interficere quenquam. Vt sermo Iesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus: & vocauit Iesum, & dixit ei, Tu es rex Iudæorum? Respondit Iesus. A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus, Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices, tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicis: quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum: vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dixit ei Pilatus, Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis, Ego nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum? Clamauerunt rursus omnes dicentes, Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

Ex tractatu sancti Augustini super psalmos. Lectio tertia.

PRotexisti me Deus a conuentu malignantium: a multitudine operantium iniquitatem: Iam ipsum caput nostrum intueamur: Multi martyres talia passi sunt: sed nihil sic elucet quomodo caput martyrum. Ibi melius

intuemur quod illi experti sunt: protectus est a multitudine malignantium protegente se Deo. Protagente carnem suam ipso filio & homine quem gerebat: quia filius hominis est, & filius Dei est. Filius Dei propter formam Dei: & filius hominis propter formam serui, habens potestatem ponere animam suam & recipere eam. Quid ei potuerunt facere inimici? occiderunt corpus: animam autem non occiderunt. Intendite: parum ergo erat dominum hortari martyres verbo, nisi firmaret exemplo. Nostis qui conuentus erat malignantium Iudæorum, & quæ multitudo operantium iniquitatem. Quam iniquitatem? Quia voluerunt occidere dominum Iesum Christum. Tanta opera bona, inquit, ostendi vobis, propter quod horum opus vultis me occidere? Pertulit omnes infirmos eorum: curauit omnes languidos eorum: prædicauit regnum cœlorum: non tacuit vitia eorum, vt ipsa potius eis displicerent: non medicus a quo sanabantur. His omnibus curationibus eius ingrati, tanquam multa feбри phrenetici, insanientes in medicum, qui venerat curare eos, excogitauerunt consilium perdendi eum, tanquam ibi volentes probare vtrum vere homo sit qui mori possit: an aliquid super homines sit, & mori se non permittat. Verbum ipsorum agnoscamus in sapientia Salomonis. Morte turpissima, inquit, condemnemus eum. Erit enim respectus in sermonibus ipsius. Si enim vere filius Dei est, liberet eum.

Ad laudes an. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. **Ad vespas dicitur antiphona.** Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

¶ Sabbato. Ad matutinum an. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, in vmbra mortis.

Ex lamentatione Ieremiæ.

Lectio prima. Ain.

ca. 4. **C**Vm adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem quæ saluare nos non poterat.

Sade. Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum: appropinquauit finis noster, completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

Coph. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

Res. Spiritus oris nostri Christus dominus, captus est in peccatis nostris: cui diximus, in vmbra tua viuemus in gentibus.

Sin. Gaude & lætare filia Edon quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.

Thau. Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet vltra vt transmigret te: visitauit iniquitatem tuam filia Edom: discooperuit peccata tua.

Oro. Recordare domine quid acciderit nobis: intuere & respice opprobrium nostrum: Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparauimus. Ceruicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies. Ægypto dedimus manum, & Assyrijs: vt saturaremur pane. Patres nostri peccauerunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus. Serui dominati sunt nostri: non fuit qui red-

ca. 5.

imeret de manu eorum. In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladij in deserto. Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. Ierusalem Ierusalem, conuertere ad dominum Deum tuum.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

TVnc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum. & dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus, & dixit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia in eo nullam inuenio causam. Exiuit ergo Iesus foras portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dixit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus: & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus, Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset

c. 19.

hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabatha. Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta: & dicit Iudæis, Ecce rex vester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices, Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt eum. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraice autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. vt scriptura impleretur, dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stan-

tem quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Postea sciens Iesus quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit, Sitio. Vas autem erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.

Iudæi ergo (quoniam parasceue **B** erat) vt non remaneret in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt. Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum. Acceperunt autem corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat

autem in loco vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Ex tractatu sancti Augusti. episc. super psalmos. Lectio tertia.

Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus. Illi dixerunt: Quis nos videbit? Defecerunt scrutantes scrutinio consilia mala. Accessit homo ad ipsa consilia: passus est se teneri homo. Non enim teneretur, nisi homo: aut videretur, nisi homo: aut cæderetur, nisi homo: aut crucifigetur & moreretur, nisi homo. Accessit ergo homo ad omnes illas passiones, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. Accessit homo ad cor altum, id est cor secretum, obijciens aspectibus humanis hominem, seruans intus Deum, celans formam Dei, in qua æqualis est patri: & offerens formam serui, qua minor est patre. Ipse enim dixit vtrunque: sed aliud ex forma Dei, aliud ex forma serui. Dixit ex forma Dei: Ego & pater vnum sumus. Dixit ex forma serui, Quoniam pater maior me est. Vnde ex forma Dei? ego & pater vnum sumus. Quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Vnde ex forma serui? quoniam pater maior me est: quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Accessit ergo ad cor altum, & exaltatus est Deus. Occiditur homo, & exaltatur Deus. Quod enim occisus est, ex infirmitate humana fuit. Quod resurrexit & ascendit, ex potestate diuina. Accedet homo ad cor altum, cor secretum, cor absconditum: non ostendens quid nosset, non osten-

dens quid esset.

Ad laud. an. O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne. **Ad vespere absolute dicitur an.** Haleluiah, haleluiah, haleluiah. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, Haleluiah. **Deinde psalmi vt in psalterio, & in fine cuiuslibet dicitur.** Gloria patri. **more solito, quibus finitis cum cantico.** Magnificat. **repetitur antiphona. Deinde dicitur V̇.** Domine exaudi ora. &c. **Oratio.**

Spiritum nobis domine tuæ charitatis infunde: vt quos sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordēs. Per. in vnitatem eiusdem. **V̇.** Benedicamus domino Haleluiah, haleluiah. **℞.** Deo gratias Haleluiah, haleluiah. Fidelium animæ. &c. **Prædicto modo dicitur.** Benedicamus. **cum duplici Haleluiah. in fine omnium horarum per totam hebdomadam sequentem. Ad complet. V̇.** Conuerte nos. &c. Deus in adiutorium. &c. Haleluiah. & cæte. **omnia, vt sup. an. septuagesimam. Et in fine antiphonæ: Salua nos. additur Haleluiah, vsque ad ascensionem.**

℥ Dominica resurrectionis duplex maius. Si hodie inciderit aliquod festum simplex, omittitur omnino: si autem venerit infra octauam, fiet commemorata. de eo finita prima ante **V̇.** Pretiosa vt supra dictum fuit. Si vero fuerit festum duplex, transferendum est post octauam Paschæ. **Ad matut. inuita.** Surrexit dominus vere, Haleluiah. **Hymnus.**

AVrora lucis rutilat,
Cælum laudibus intonat,
Mundus exultans iubilat,
Gemens infernus vlulat.
Cum rex ille fortissimus,

Mortis concontractis viribus:

Pede conculcans tartara,

Soluit a pœna miseros.

Ille qui clausus lapide,

Custoditur sub milite:

Triumphans pompa nobili,

Victor surgit de funere.

Solutis iam gemitibus, Et inferni doloribus: Qui surrexit dominus, Resplendens clamat angelus.

Gloria tibi domine,

Qui surrexisti a mortuis:

Cum patre, & sancto spiritu,

In sempiterna secula. Amen.

☩ **Notandum, quod in fine omnium hymnorum tam festiuorum quam feriale in omnibus horis vsque ad Ascensionem dicitur.** Gloria tibi domine, qui surrexisti a mor. &c. **An.** Ego dormiui, & somnum coepi, & exurrexi, quoniam dominus suscepit me, Haleluiah haleluiah.

☩ **Ex Iona propheta.** **Lectio. j.**

ca. 2. **E**T præparauit dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad dominum Deum suum de vtero piscis. Et dixit, Clamaui de tribulatione mea ad dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi, Abiectus sum a conspectu oculorum tuorum: veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum. Circunderunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendendi, terræ vectes concluderunt me in æternum: & subleuabis de corruptione vitam meam: domine Deus meus. Cum

angustiaretur in me anima mea, domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquent. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcunque voui reddam pro salute domino. Et dixit dominus pisci: & euomuit Ionam in aridam.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

V†Espere autem sabbati quæ c. 28.
a
luciscit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim domini descendit de cœlo: & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus, dixit mulieribus, Nolite timere vos. Scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim, sicut dixit, Venite & videte locum, vbi positus erat dominus. Et cito euntes, dicite discipulis eius quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam. ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.] Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus, Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cum abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, di-

B

centes, dicite, Quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diem. † Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem vbi consituerat illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus loquutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandavi vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.]

Secundum Marcum. Lectio. iij.

- c. 16. **I**N illo tempore, Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome abeuntes emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. *Et rel.*

Homilia sancti Grego. papæ.

Multis vobis lectionibus fratres charissimi, per dictatum loqui consueui: sed quia lacessente stomacho ea quæ dictaueram, legere ipse non possum: quosdam vestrum minus libenter audientes intueor. Vnde nunc a memetipso exigere contra morem volo: vt inter sacra missarum solennia lectionem sancti euangelij non dictando, sed colloquendo edisseram, sicque excipiat vt loquimur. Quia collocutionis vox corda torpentia plusquam lectionis sermo excitat, & quasi quadam manu sollicitudinis vt euigilent, pulsat. Et quidem ad hoc opus me sufficere posse non video: sed tamen vires quas imperitia denegat, charitas ministrat. Scio nanque qui dixit, Aperi os tuum, & adimplebo il-

lud. Bonum ergo opus nobis in voluntate sit: nam ex diuino adiutorio erit in perfectione. Dat loquendi ausum etiam resurrectionis dominicæ tanta solennitas. Quia & indignum valde est, vt eo die laudes debitas taceat lingua carnis: quo videlicet die caro resurrexit auctoris. Audistis fratres charissimi, quod sanctæ mulieres quæ dominum fuerant sequutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt, & ei quem uiuentem dilexerant, etiam mortuo studio humanitatis obsequuntur. Sed res gesta aliquid in sancta ecclesia significat gerendum. Sic quippe necesse est, vt audiamus quæ facta sunt: quatenus cogitemus etiam quæ nobis sunt ex eorum imitatione facienda. Et nos ergo in eum qui est mortuus credentes, si odore virtutum referti cum opinione bonorum operum dominum quærimus: ad monumentum profecto illius cum aromatibus venimus. *Post tertiam lectionem dicitur Te Deum. semper vsque ad aduentum. Ad laudes an. Halleluiah, exurrexi, & adhuc tecum sum, halleluiah. Deinde dicuntur psalmi, & repetitur antiphona more solito, & post an. dicitur. Hæc est dies quam fecit dominus: exultemus, & lætemur in eis, Halleluiah. & sic fieri debet in omnibus horis per totam octauam ̄.* Domine exaudi. &c.

Oratio.

DEus, qui hodierna die per vni-genitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reserasti: vota nostra quæ præueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere. Per. *Ad primam, tertiam, sextam, & nonam, antiphona. Halleluiah, halleluiah, halleluiah. Ad vesper. hym.*

AD cœnam agni prouidi: Et stolis albis candidi, Post transitum maris rubri,

Christo canamus principi.

Cuius corpus sanctissimum,

In ara crucis torridum:

Cruore eius roseo,

Gustando, viuimus Deo.

Protecti Paschæ vespere,

A deuastante angelo:

Erepti de durissimo,

Pharaonis imperio.

Iam Pascha nostrum Christum est,

Qui immolatus agnus est:

Synceritatis azyma,

Caro eius oblata est.

O vere digna hostia,

per quam fracta sunt tartara:

Redempta plebs captiuata,

Redit ad vitæ præmia.

Consurgit Christus tumulo,

Victor redit de barathro:

Tyrannum tradens vinculo,

Et reserans paradisum.

Gloria tibi domine, Qui sur. &c.

Antiphona. Halleluia: gauisi sunt discipuli viso Domino, Halleluia.

☞ **Notandum, quod inuitatorium hymni, & antiph. huius diei dicuntur per totam octauam, & deinde vsque ad Ascensionem quando fit officium de dominica, vel de feria.**

Item notandum quod in antiphonis de communi sanctorum, & in antiph. completorij adiungitur Haleluiah. in fine vsque ad Ascensionem, & in prædicto tempore omittuntur antiphonæ assignatæ in Psalterio ad primam, tertiam, sextam, & nonam.

☞ **Feria. ij. de octaua, duplex.**

Ex Genesi.

Lectio prima.

HÆ quoque sunt generationes Isaac filij Abraham, Abraham genuit Isaac: qui cum quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatusque est

Isaac dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli: quæ ait, Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque Rebecca vt consuleret Dominum. Qui respondens, ait, Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius Esau. protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei paruuli. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob. Coxit autem Iacob pulmentum, ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait, Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edon. Cui dixit Iacob, Vende mihi primogenita tua. Ille respondit, En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob, Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita. Et sic accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt, paruipendens quod primogenita vendidisset.

Secundum Marcum.

Lectio. ij.

ET cum transisset sabbatum. † c. 16. a
Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna sabbatorum, veniunt ad monumen-

tum, orto iam sole. Et dicebant adinuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes: viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dixit illis, Nolite expauescere. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic: ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quod præcedit vos in Galilæam:

B ibi eum videbitis, sicut dixit vobis] At illæ exeuntes, fugerunt de monumento. inuaserat enim eas tremor & pavor: & nemini quicquam dixerunt: timebant enim. Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Illa vadens, nuntiauit his qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audientes quia viueret & visus esset ab ea, non crediderunt. Post hæc autem duobus ex his ambulatibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam: & illi euntes nuntiauerunt cæteris: nec illis crediderunt.

C Nouissime autem † recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt, & dixit eis, Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient. Linguis loquentur nouis. Serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et

dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Secundum Lucam.

Lectio. iij.

IN illo tempore: Duo ex discipulis c. 24.
Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus. **Et rel.**

Homilia sancti Gregorij papæ.

In quotidiana nobis solennitate laborantibus pauca loquenda sunt: & fortasse hæc vtilius proderunt: quia sæpe & alimenta quæ minus sufficiunt, auidius sumuntur. Lectionis ergo euangelicæ summatim sensum statui non per singula verba discutere, ne dilectionem vestram valeat sermo prolixior expositionis onerare. Ecce, audistis, fratres charissimi, quia duobus discipulis ambulatibus in via, non quidem credentibus, sed tamen de se loquentibus dominus apparuit: sed eis speciem quam recte cognoscerent non ostendit. Hoc ergo egit foris dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi nanque apud semetipsos intus & amabant & dubitabant. Eis autem dominus foris & præsens aderat, & quis esset non ostendebat. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit: sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem occultauit. Verba quidem contulit, duritiam intellectus increpauit. Scripturæ sacræ mysteria, quæ de ipso erant, aperuit: & tamen quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire se longius finxit. Fingere nanque, componere dicimus. Vnde & compositores luti, figulos vocamus. **Te Deum.**
Oratio.

DEus qui solennitate paschali mundo remedia contulisti, populum tuum quæsumus domine cœlesti dono proseguere: vt & perfectam libertatem consequi mereatur, & ad vitam proficiat sempiternam. Per.

¶ *Feria. iij. de octaua duplex ma. ex Genesi. Lectio prima.*

c. 26. **O**Rta autem fame super terram post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinarum in Gerara. Apparuitque ei dominus, & ait, Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod sponendi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis vniuersas regiones has: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obediit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias meas legesque seruauerit. Mansit itaque Isaac in Geraris. Qui cum interrogaretur a viris loci illius super vxore sua, respondit, soror mea est. timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata coniugio: reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem. Cumque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinarum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua. Et accersio eo ait, Perspicuum est, quod vxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit, Timui ne morerer propter eam. Dixitque Abimelech, Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum.

Præcepitque omni populo, dicens: Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.

Secundum Lucam.

Lectio. ij.

VNa autem sabbati valde diluculo c. 24. venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum a monumento, Et ingressæ, non inuenerunt corpus domini Iesu. & factum est: dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit, recordamini qualiter loquutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius. Et regressæ a monumento, nuntiauerunt hæc omnia a monumento, nuntiauerunt hæc omnia Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat. Et ecce † duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem nomine Emaus: & ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est: dum fabularentur, & secum quærent, & ipse Iesus appropinquans, ibat cum illis. oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos, Qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem, ambulantes, & estis tristes? Et respon-

dens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei, Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa, his diebus? Quibus ille dixit Quæ? Et dixerunt, De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis: & crucifixerunt eum, nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius venerunt dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere: Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos, O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt prophetæ: nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

Sermo sancti Aug. episc. Lectio. iiij.

Pascha Christi, fratres charissimi, regnum est cœlorum, salus mundi, occasus inferi, gloria supernorum, vita credentium, & resurrectio mortuorum, testimonium miserationis diuinæ, pretium redemptionis humanæ, contritio mortis abolitæ. Quæ festiuitas Dei sacra mysteria & incognita sacramenta virtutem dominicæ resurrectionis per angelos indicat, per populos manifestat. Hæc ergo est dies, dilectissimi, quam fecit dominus, vt audistis, excelsior cunctis, dulcior vniuersis: in qua dominus resurrexit, in qua nouam sibi plebem, vt ipsi videtis, generationis spiritu conquisiuit, in

quo singulorum mentes gaudio, & exultatione perfudit. Sic ergo dies resurrectionis Christi defunctis vita peccatoribus venia, sanctis est gloria. Siquidem operatione virtutum eleuat de imis, suscitatur de terrenis, collocatur in excelsis: confirmatur iustos, firmatur dubios, damnatur incredulos. Ad hoc enim Dominus resurrexit, vt imaginem futuræ resurrectionis ostenderet. Et ideo hodie vitale lauachrum resurgens Dei populus ad instar resurrectionis ecclesiam nostram splendore niueo illuminat. Gratias Deo nostro agere debemus, quod dum sancti Paschæ solennitatem colimus, futuræ resurrectionis speciem iam videmus. Resurrecturum est enim genus humanum in seculi consummatione post mortem: nunc resurgit in baptismo. *Te Deum. Oratio.*

Deus qui ecclesiam tuam nouo semper foetu multiplicas: concede famulis tuis, vt sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt. Per do.

¶ Feria. iiij. de oct. ex Genesi. L. j.

Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei dominus. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens: donec magnus vehementer effectus est, habuitque possessiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo: in tantum vt ipse Abimelech diceret ad Isaac Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde. Et ille discedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi: rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos illo mortuo olim obstruxerant Philisthijm: appellauitque

eos eisdem nominibus quibus ante pater vocauerat. Foderuntque in torrente, & reppererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac dicentium, Nostra est aqua. quam obrem nomen putei ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati sunt, appellauitque eum Inimicitias. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitudo, dicens, nunc dilatauit nos dominus, & fecit crescere super terram.

Secundum Lucam. **Lectio. ij.**

c. 24. **E**T incipiens a Moyse, & omnibus
c prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quo ibant, & ipse finxit se longius ire. Et coegerunt illum, dicentes, Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euauit ex oculis eorum. Et dixerunt adinuicem, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant dicentes, Quod surrexit dominus vere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.]

D Dum autem hæc loquuntur, † stetit Iesus in medio eorum, & dicit, eis, Pax vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati vero & conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt

in corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus, præ gaudio dixit, Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos, Hæc sunt verba quæ loquutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes,] incipientibus **E** ab Ierosolyma. Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno: & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. Amen.

Secundum Ioannem. **Lectio iij.**

IN illo tempore, Manifestauit se
c. 21. iterum Iesus discipulis suis ad mare Tyberiadis: manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus. **Et reliqua.**

Homilia sancti Gregorij papæ.

Lectio sancti euangelij quæ modo in vestris, auribus lecta est, fratres charis-

simi, quæstione animum pulsat: sed pulsatione sua vim discretionis indicat. Quæri etenim potest, cur Petrus qui piscator ante conuersionem fuit, post conuersionem ad piscationem rediit? Et cum veritas dicat: nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei: cur repetiit quod reliquit? Sed si virtus discretionis inspicitur, citius videtur: quia nimirum negotium quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionem repetere culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum, Matthæum vero telonearium scimus. Et post conuersionem suam ad piscationem Petrus rediit: Matthæus vero ad telonij negotium non resedit. Quia aliud est victum per piscationem quærere: aliud telonij lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, vt post conuersionem animus non recurat. Quæri etiam potest, cur discipulis in mari laborantibus post resurrectionem suam Dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis suis in fluctibus maris ambulauit? Cuius rei ratio festine cognoscitur, si ipsa quæ tunc inerat causa pensetur. Quid enim mare nisi præsens seculum designat: quod se causarum tumultibus & vndis vitæ corruptibilis illidit? Te Deum. **Oratio.**

DEus qui nos resurrectionis dominicæ annua solennitate lætificas: concede propitius, vt per temporalia festa quæ agimus: peruenire ad gaudia æterna mereamur: Per.

☩ **Feria. v. de octa. ex Gen. L. j.**

c. 26. **A**scendit autem Isaac ex illo loco in Bersabeæ, vbi apparuit ei Domi-

nus in ipsa nocte dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum, & benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Itaque ædificauit ibi altare, & inuocato nomine domini extendit tabernaculum, præcepitque seruis suis vt foderunt puteum. Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, loquutus est eis Isaac, Quid venistis ad me hominem quem odistis, & expulistis a vobis? Qui responderunt, Vidimus tecum esse dominum, & idcirco nos diximus, Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus: vt non facias nobis quicquam mali sicut, & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus auctum benedictione domini. Fecit ergo eis conuiuium: & post cibum & potum surgentes mane, iurauerunt sibi mutuo: dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum. Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac annuntiantes ei de puteo quem foderant atque dicentes, Inuenimus aquam: Vnde appellauit eum Abundantiam: & nomen vrbi impositum est Bersabeæ, vsque in præsentem diem. Esau vero quadragenarius duxit vxores, Iudith filiam Beerî Hethæi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci: quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

V†Na autem sabbati Maria Magdalenæ venit mane cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem amabat Iesus: & dicit illis, Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus

c. 20.
a

vbi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul: & ille alius discipulus præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum & vidit: & credidit, nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. †
 B Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu: Dicunt ei illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus, Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei Iesus. Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuntians discip-

ulis, Quia vidi dominum, & hæc dixit mihi.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Maria stabat ad monumentum foris plorans. Et rel. c. 20.
 Homilia sancti Grego. papæ.

Maria Magdalene, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem lauilachrymis maculas criminis: & vox veritatis impletur, qua dicitur, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quæ enim frigida prius peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. Nam postquam venit ad monumentum, ibique corpus dominicum non inuenit, sublatum credidit, atque discipulis nuntiauit. Qui venientes viderunt, atque ita esse, vt mulier dixerat, crediderunt. Et de eis protinus scriptum est. Abierunt ergo discipuli ad semetipsos. Ac deinde subiungitur, Maria stabat ad monumentum foris plorans. Qua in re pensandum est huius mulieris mentem, quanta vis amoris accenderat, quæ a monumento domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat. Exquirebat quem non inueniebat. Flebat inquirendo, & amoris sui igne succensa, eius quem ablatum credidit, ardebat desiderio. Vnde contigit, vt tunc eum sola videret, quæ remansit vt quæret. Quia nimirum virtus boni operis perseuerantia est: & voce veritatis dicitur, Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Te Deum.

Oratio.

DEus qui diuersitatem gentium in confessione tui nominis adunasti: da, vt renatis fonte baptismatis vna sit fides mentium, & pietas actionem. Per.

¶ Feria. vj. de oct. ex Gen. L. j.

Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: c. 27.

vocauitque Esau filium suum maiorem, & dixit ei, Fili mi? Qui respondit, Adsum. Cui pater, Vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras. Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam: & benedicat tibi anima mea antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, & ille abijsset in agrum vt iusionem patris impleret, † dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei, Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram domino ante quam moriar. Nunc ergo fili mi acquiesce consilijs meis: & pergens ad gregem affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur, quas cum intuleris & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. Cui ille respondit, Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis? Si atretauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater, In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

Secundum Ioannem. Lectio. ij.

c. 20. **C**†Vm ergo sero esset die illo c vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis, Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis: sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis, Accipite spiritum

sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.] † Thomas autem vnus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus: & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus, Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.] Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.]

Sermo sancti Ambro. episc. L. iij.

AVdistis fratres charissimi, quod sanctæ mulieres, quæ cum aromatibus ad monumentum venerunt angelos viderunt: & Maria Magdalene quæ arctius Iesum diligebat, Apostolis ad domum, de qua cucurrerant, reuertentibus, quia erga sepulchrum perseueravit, Deum prima omnium cognouit. Nos per hoc monemur, vt cum aromatibus, id est cum odore bonorum operum, & pleni virtutibus Deum quæramus. Sunt qui videntur Deum quærere, sed otiosi sunt, & a virtutibus alieni: ideo illum videre non

merentur. Quid quærebant illæ sanctæ mulieres in monumento, nisi corpus domini Iesu? Et vos quid quæritis in ecclesia, nisi Iesum, id est Salvatorem? Sed si cupitis illum inuenire: orto sole venite: id est, non sint in cordibus vestris tenebræ vitiorum. Carnalia vero de sideria, & opera mala tenebræ sunt. In quorum cordibus tales tenebræ sunt, non vident lucem, & non intelligunt Christum, quia Christus lux est. Repellite a vobis, fratres, tenebras, id est, omnes delectationes, & omnia opera mala, & curate habere aromata, hoc est orationem mundam, dicentes cum psalmista, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Ecce Maria perseuerando ad monumentum quem quærebat inuenit, quia qui perseuerauerit vsque sin finem, saluus erit. **Te Deum. Oratio.**

OMnipotens sempiternæ Deus, qui paschale sacramentum in reconciliationis humanæ foedere contulisti: da mentibus nostris, vt quod professione celebramus, imitemur effectum. Per dominum nostrum.

¶ Sabbato de oct ex Gen. L. j.

- c. 27. **A** Bijt, & attulit, deditque matri.
 b **A** Parauit illa cibos sicut velle nouerat patrem illius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculasque hoedorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit. Quibus illatis dixit, Pater mi? At ille respondit: Audio, quis es tu fili mi? Dixitque Iacob. Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium suum, Quomodo, inquit, tam cito inuenire potuisti fili mi? Qui

respondit, Voluntas Dei fuit, vt cito curreret mihi, quod volebam. Dixitque Isaac, Accede huc vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non: Accessit ille ad patrem: & palpato eo, dixit Isaac, Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus Esau sunt. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant. Benedicens ergo illi, ait, Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum, At ille, affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum, quo hausto, dixit ad eum, Accede ad me, & da mihi osculum fili mi. Accessit, & osculatus est eum. Statimque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait, Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

Secundum Ioannem.

Lectio. ij.

P†Ostea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis. Manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat a Cana Galileæ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus, Vado piscari. Dicunt ei, Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto, stetit Iesus in litore, non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Respon-

c. 21.

a

derunt ei, Non. Dixit eis, Mittite in dexteram nauigij rete: & inuenietis. Miserunt ergo: & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro, dominus est. Simon Petrus cum audisset, quia dominus est: tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio uenerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, uiderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus, Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centumquingentatribus. Et cum tot essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus, Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes quia dominus est. & uenit Iesus & accipit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cum surrexisset a mortuis.] Cum ergo prandissent, †

B dicit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dixit ei iterum, Simon Ioannis diligis me? Ait illi, Etiam domine: tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me: & dixit ei, domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei, Pasce oues meas. Amen amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas ubi uolebas: cum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, sig-

nificans qua morte clarificaturus esset Deum.] Et cum hoc dixisset, dicit ei, † Sequere me. Conuersus Petrus uidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum uidisset Petrus, dixit Iesu, Domine hic autem quid? Dixit ei Iesus, Sic eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? tu me sequere. Exiuit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, Non moritur: sed, si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia uerum est testimonium eius.] Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Vna sabbati, Maria Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua. Homilia sancti Gregorij papæ. Fractus longa molestia stomachus, diu me charitati uestræ de lectionis euangelicæ loqui expositione prohibuit. Vox nanque ipsa a clamoris uirtute succumbit: & quia a multis audiri non ualeo, loqui (fateor) inter multos erubesco. Sed hanc in me uerecundiam & ipse reprehendo. Quid enim? Nunquid si multis prodesse nequeo, nec paucis curabo? Et si ex messe portare manipulos multos non possum, nunquid nam debeo ad aream uacuum redire? Quamuis enim quantos debeo ferre non ualeo: certe uel paucos, certe uel duos, certe uel unum feram. Habet nanque ipsa infirmitatis intentio mercedis suæ certitudinem: quia supernus

c. 20.

arbiter noster, & si pondus considerat in retributione, tamen vires pensat in pondere. Lectio sancti Euangelij, quam modo, fratres, audistis, valde in superficie historica est aperta: sed eius nobis sunt mysteria sub breuitate requirenda. Maria Magdalene, cum adhuc tenebræ essent, venit ad monumentum. Iuxta historiam notatur hora: iuxta intellectum vero mysticum requirentis signatur intelligentia. Maria etenim auctorem omnium, quem carne viderat mortuum quærebat in monumento: & quia hunc minime inuenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, cum venit ad monumentum. Cucurrit ergo citius. Discipulis nuntiauit. Sed illi præ cæteris cucurrerunt, qui præ cæteris amauerunt: videlicet Petrus, & Ioannes. **Te Deum. Oratio.**

COncede quæsumus omnipotens Deus: vt qui festa Paschalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per.

¶ Dominica in albis octa. Paschæ, duplex minus. Ex Gen. Lectio. j.

c. 27. **I**x Isaac sermonem impleuerat: & egresso Iacob foras, venit Esau, coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui: vt benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Isaac, Quis es tu? Qui respondit, Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit Isaac stupore vehementi: & vltra quam credi potest admirans, ait, Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixique ei, & erit benedictus. Auditis Esau sermonibus patris, irrugijt clamore magno: & consternatus ait, Benedic etiam & mihi, pater mi. Qui ait, Venit germanus tuus

fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. At ille subiunxit, Iuste vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me iam altera vice. Primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem, Nunquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem? Respondit Isaac, Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugauit: frumento & vino stabiliui eum: & tibi post hæc fili mi vltra quid faciam? Cui Esau, Num vnam, inquit, tantum benedictionem habes pater? mihi quoque obsecro, vt benedicas. Cunque eiulatu magno fletet, motus Isaac dixit ad eum, In pinguedine terræ, & in rore cœli, desuper erit benedictio tua.] Viues in gladio. & fratri tuo seruiet: tempusque veniet cum excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. **D**

Epistola Pauli apostoli ad Romanos. Lectio secunda.

P†Aulus seruus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in euangelium Dei (quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis) de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis: ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri, per quem accepimus gratiam & apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius, in quibus estis & vos vocati Iesu Christi:] omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis, gratia vobis & pax a Deo patre & domino nostro Iesu Christo. Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum, pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiat in vniuerso mundo. Testis enim **B** c.1.a

mihī est Deus, cui seruio in spiritu meo, in euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei, veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos: id est, simul consolari in vobis, per eam quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc, vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus. Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum: ita quod in me promptum est, & vobis qui Romæ estis, euangelizare. Non enim erubescō euangelium. Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cælo, super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, &

serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in secula. Amen.

Secundum Ioannem.

Lectio. iij.

IN illo tempore: Cum esset sero die in illo vna sabbatorum: & fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus: & stetit in medio: & dixit eis, Pax vobis. c. 20.

Et rel. Hom. sancti Grego. papæ.

Prima lectionis huius euangelicæ quæstio animum pulsatur: quomodo post resurrectionem corpus dominicum verum fuit, quod clausis ianuis ad discipulos ingredi potuit? Sed sciendum nobis est, quod diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa redemptoris nostri opera, quæ ex semetipso comprehendi nequaquam possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt: vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim corpus domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exijt vtero Virginis. Quid ergo mirum si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam victurus intrauit: qui moriturus veniens non aperto vtero virginis exijt? Sed quia ad illud corpus quod videri poterat, fides intuentium dubitabat: ostendit eis protinus manus & latus. Palpandam carnem præbuit, quam clausis ianuis introduxit. Qua in re duo mira & iuxta humanam rationem sibi valde

contraria ostendit: dum post resurrectionem suam & corpus suum incorruptibile, & tamen palpabile demonstravit. Nam & corrumpi necesse est quod palpatur, & palpari non potest quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæstimabili redemptor noster, & incorruptibile post resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit, vt monstrando incorruptibile, inuitaret ad præmium: & præbendo palpabile, firmaret ad fidem.

Te Deum. **Oratio.**

Præsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui Paschalia festa peregrimus, hæc, te largiente, moribus, & vita teneamus. Per do.

☩ **Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.**

- c. 27. **O**derat ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo, Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ, quæ mittens, & vocans Iacob filium suum: dixit ad eum, Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te. Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscaturque eorum, quæ fecisti in eum: postea mittam, & adducam te inde huc. cur vtroque orbabor filio in vno die? Dixitque Rebecca ad Isaac, Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere. Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei, dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan: sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patrem matris tuæ & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Deus autem om-

nipotens benedicat tibi, & crescere te faciat atque multiplicet: vt sis in turbas populorum. Et det tibi benedictiones Abraham, & semini tuo post te: vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo. Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syriæ, fratrem Rebeccæ matris suæ.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

Propterea tradidit illos Deus in passionibus ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrone, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obediens. insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc o homo, qui iudi-

cas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnique secundum opera eius: ijs quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati: ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci: gloria autem & honor & pax, omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt, & quicumque in lege peccauerunt: per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur.

☩ **Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.**

c. 28. **V**idens autem Esau quod benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret: & quod post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies vxorem de filiabus Chanaan: quodque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam: probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus, iuit ad Ismahelem, & duxit vxorem absque ijs quas prius habebat, Maheleth filiam Ismahel filij Abraham, sororem Nabaioth. Igitur egressus Iacob de Bersabeæ, pergebat Haran. Cunque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occu-

bitum, tulit, de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & dominum innixum scalæ dicentem sibi, Ego sum dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram in qua dormis, tibi dabo & semini tuo. Eritque semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad orientem & occidentem, & septentrionem, & meridiem: & benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi compleuero vniuersa quæ dixi. Cunque euigilasset Iacob de somno, ait, Vere dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque, quam terribilis est, inquit, locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum: fundens oleum desuper. Appellauitque nomen vrbs, Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

CVm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus

ca. 2.

suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum per Iesum Christum. Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris per præuaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est. Circuncisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est. Si igitur præputium iustitias legis custodiat: nonne præputium illius incircuncisionem reputabitur? & iudicabit quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam & circuncisionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifesto est, Iudæus est: neque quæ in manifesto in carne, est circuncisio: sed qui in abscondito, Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex

ca. 3.

Deo est. Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circuncisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? Nunquid increduli-

tas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris. Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & non (sicut blasphemamur: & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona? quorum damnatio iusta est.

☞ *Feria. iiij. ex Genesi. Lectio. j.*

Profectus ergo Iacob venit in terram orientalem. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur, morisque erat vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent. Dixitque ad pastores, Fratres, vnde estis? Qui responderunt, De Haran. Quos interrogans, Nunquid (ait) nostis Laban filium Nachor? Dixerunt, Nouimus. Sanus ne est inquit? Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit cum grege suo. Dixitque Iacob, Adhuc multum diei superest, nec est tempus vt reducantur ad caulas greges: date ante potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. Qui responderunt, Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat. Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Laban auun-

c. 29.

culi sui: amouit lapidem quo puteus claudebatur. Et adaquato grege, osculatus est eam: & eleuata voce fleuit. Et indicauit ei quod frater esset patris sui, & filius Rebeccæ. at illa festinans nuntiauit patri suo. Qui cum audisset venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit obuiam ei: complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, respondit, Os meum es, & caro mea.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

ca. 3. **Q**uid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Iudæos & Græcos, omnes sub peccato esse: sicut scriptum est. Quia non est iustus quisquam, non est intelligens: non est requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: Venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, ijs qui in lege sunt, loquitur: vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim, cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata a lege & prophetis. Iustitia autem Dei, per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt: & egent gloria Deim, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit

Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum? Nonne & gentium? Imo & gentium: quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide: & præputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.

¶ Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.

ET postquam impleti sunt dies mensis vnus, dixit ei, Num quia frater meus es, gratis seruius mihi? dic quid mercedis accipias. Habebat vero duas filias, nomen maioris Lia: minor vero appellabatur Rachel. Sed Lia, lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venusto aspectu. Quam diligens Iacob, ait, Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. Respondit Laban, Melius est vt tibi eam dem, quam alteri viro: mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Dixitque ad Laban, Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam. Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum, dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more, Iacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam: & dixit ad socerum suum, Quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel seruiui tibi?

c. 29.

quare imposuisti mihi? Respondit Laban, Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis alijs. Acquieuit placito: & hebdomada transacta, Rachel duxit vxorem: cui pater seruam Balam tradiderat. Tandemque potitus optatis nuptijs, amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eum septem annis alijs.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

ca. 4. **Q**uid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus, est habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatam est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium: reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei, sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc, in circumcissione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abraham fides ad iustitiam: Quomodo ergo reputata est? in circumcissione, an in præputio? Non in circumcissione, sed in præputio. Et signum accepit circumcissionis, signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio: vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam: & sit pater circumcissionis,

non ijs tantum qui sunt ex circumcissione, sed & his qui sectantur vestigia fidei quæ est in præputio patris nostri Abraham. Non enim per legem, promissio Abraham aut semini eius vt hæres esset mundi: sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex: nec præuaricatio. Ideo ex fide: vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abraham qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti, qui viuificat mortuos: & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: qui contra spem in spem credidit: vt fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei, Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli & arena maris. Et non infirmatus est fide: nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia: sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens quia quæcunque promisit Deus potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, Quia reputatum est illi ad iustitiam: sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

¶ Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.

Videns autem dominus quod despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente. Quæ c. 29.

c. 30. conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben, dicens: Vidit dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. Rursumque concepit & peperit filium, & ait, Quoniam audiuit me dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocauitque nomen eius Simeon. Concepitque tertio, & genuit alium filium: dixitque, Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios. & idcirco appellauit nomen eius Leui. Quarto concepit, & peperit filium, & ait, Modo confitebor domino, & ob hoc vocauit eum Iudam: cessauitque parere. Cernens autem Rachel quod infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo, Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Iacob, Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? At illa, Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios. Deditque illi Balam in coniugium: quæ ingresso ad se viro, concepit, & peperit filium. Dixitque Rachel, Iudicauit mihi dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium, & appellauit idcirco nomen eius Dan. Rursumque Bala concipiens, peperit alterum, pro quo ait Rachel, Comparauit me dominus cum sorore mea, & inualui: vocauitque eum Nephthalim. Sentiens Lia quod parere desijsset, Zelpham ancillam suam marito tradidit. Qua post conceptum edente filium, dixit. Feliciter: & idcirco vocauit nomen eius Gad. Peperit quoque Zelpha alterum. Dixitque Lia, Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent mulieres, propterea appellauit eum Aser.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

c.5.a
B
I†Vstificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum per dominum nostrum Iesum Christum: per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.] Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impijs mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis, nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed & gloriamur in Deo per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim, peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnauit mors ab Adam, vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuocationis Adæ, qui est forma futuri. Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnus delicto, multi mortui sunt:

multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in iustificationem. Si enim vnus delicto, mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnus delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnus iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnus hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnus obeditionem, iusti constituentur multi. Lex autem subintravit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum dominum nostrum.

☞ **Sabbato ex Genesi. Lectio. j.**

c. 30. **E**gressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui. Illa respondit, Parumne tibi videtur quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel, Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. Redeuntque ad vesperam Iacob de agro egressa est in occursum eius Lia, & ait: Ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxisti te pro mandragoris filij mei, dormiuitque cum ea, nocte illa. Et exaudiuit Deus preces eius: concepitque & peperit filium quintum, & ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, appel-

lavitque nomen eius Issachar. Rursum Lia concipiens peperit sextum filium, & ait: Dotauit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios, & idcirco appellauit nomen eius Zabulon. Post quem peperit filiam nomine Dinam. Recordatus quoque dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius. Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum. Et vocauit nomen eius Ioseph, dicens: addat mihi dominus filium alterum. Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo, Dimitte me vt reuertar in patriam meam, & ad terram meam. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam: tu vero nosti seruitutem, qua seruiui tibi. Ait illi Laban: Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te: constitue mercedem tuam, quam dem tibi. At ille respondit: Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitque tibi Deus ad introitum meum: iustum est igitur vt aliquando prouideam etiam domui meæ.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato vt gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, quia † quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitu-

ca. 6. A

dini mortis eius: simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruat^r corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est: iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam viuemus cum Christo, scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo in B Christo Iesu.] Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes: & membra vestra, arma iustitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum: serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Gratias autem Deo, quod fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis. Liberati autem a peccato, serui facti estis iustitiæ. † Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in

quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum, mors est. Nunc vero liberati a peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu domino nostro.]

¶ Dominica secunda post Pascha, ex Genesi. Lectio prima.

Dixitque Laban, Quid tibi dabo? At ille ait, Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias, & sparso vellere, & quodcunque furuum & maculosum, variumque fuerit, tam in ouibus quam in capris, erit merces mea. Respondebitque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te: & omnia quæ non fuerint varia, & maculosa, & fulua, tam in ouibus quam in capris, furti me argues. Dixitque Laban, Gratum habeo quod petis. Et separauit in die illa capras, & oues, & hircos & arietes varios atque maculosos: cunctum autem gregem vnicolore, id est albi aut nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. Et posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat reliquos greges eius. Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amigdalinas, ex platanis ex parte decorticauit eas: detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quæ integra fuerant viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius. Posuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: vt cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Fac-

c. 30.

tumque est vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa. Diuisitque gregem Iacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: Erant autem alba & nigra quæque Laban: cætera vero Iacob, separatis inter se gregibus. Igitur quando primo tempore ascendebantur oues ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum & ouium: vt in earum contemplatione conciperent. Quando vero serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque sunt ea quæ erant serotina, Laban: & quæ primi temporis, Iacob. Ditatusque est homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

ca. 7. **A**N ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Nam quæ sub viro est mulier: viuente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri: vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi, per corpus Christi: vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti: nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur: ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi

lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuiebam sine lege aliquando Sed cum venisset mandatum: peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me: & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Et reliqua. c. 10.

Homilia sancti Grego. papæ.

Audistis fratres charissimi ex lectione euangelica eruditionem vestram: audistis & periculum nostrum. Ecce enim, is qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus: atque eiusdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adiunxit dicens, Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Fecit quod monuit, ostendit quod iussit. Bonus pastor pro ouibus suis animam suam posuit: vt in sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oues quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret. Ostensa nobis est igitur de contemptu mortis via quam sequamur: apposita est forma cui imprima-

mur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere. Postremum vero, si necesse est, etiam vitam nostram pro eisdem ouibus ministrare. A primo autem hoc minimo, peruenitur ad postremum maius. Sed cum incomparabiliter longe sit anima melior, qua viuimus. terrena substantia quam exterius possidemus: qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro eis daturus est animam suam? Et sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam quam oues diligunt, meritum pastoris perdunt. De quibus protinus subditur, Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Non pastor sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. **Te Deum. Oratio.**

DEus, qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiā: vt quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudijs facias sempiternis perfrui: Per eundem dominum no.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

c. 31. **P**ostquam autem audiuit verba filiorum Laban dicentium, Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri: & de illius facultate ditatus, factus est inclytus: animaduertit quoque faciem Laban quod non esset erga se sicut heri & nudiustertius, maxime dicente sibi domino, Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum: misit Iacob, & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi pascebat greges, dixitque eis. Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum. Et ipse nostis

quod totis viribus meis seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi. Si quando dixit, Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oues varios foetus: quando vero contrario ait, Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepere-runt. Tulitque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi. Postquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuauit oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super foeminas, varios & maculosos, & diuersorum colorum. Dixitque angelus Dei ad me in somnis, Iacob? Et ego respondi, Adsum. Qui ait, Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super foeminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, vbi vnixisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. Responderuntque Rachel, & Lia, nunquid habemus residui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum? Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filijs nostris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

Quod enim operor, non intelligo. **ca. 7.** Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adiacet

mihi: perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruius legi Dei: carne autem, legi peccati.

ca. 8. Nihil ergo nunc damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu: qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me a lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. qui vero secundum spiritum sunt: quæ sunt spiritus, sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax, quoniam sapientia carnis, inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet: hic non est eius. Si autem Christus in vo-

bis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus vero viuus propter iustificationem. Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum a mortuis: habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

☞ *Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.*

Svrrexit itaque Iacob: & impositis liberis, ac coniugibus suis super camelos, abiit: Tulitque omnem substantiam suam, & greges, & quicquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui. Noluitque Iacob confiteri socio suo quod fugeret. Cumque abiisset tam ipse quam omnia quæ iuris sui erant: & amne transmissio pergeret contra montem Galaad: nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret Iacob. Qui assumptis fratribus suis, persequutus est eum diebus septem, & comprehendit eum in monte Galaad. Viditque in somnis dicentem sibi dominum, Caue ne quicquam aspere loquaris contra Iacob. Iamque Iacob extenderat in monte tabernaculum: cumque ille consequutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium Et dixit ad Iacob, Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi: vt prosequer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? Non es passus vt oscularer filios meos, & filias, stulte operatus es. Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi, Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desyderio

c. 31.

erat tibi domus patris tui: cur furatus es Deos meos? Respondit Iacob, Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. Quod autem furti me arguis: apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris: scrutare, quicquid tuorum apud me inueneris, aufer. Hæc dicens: ignorabat quod Rachel furata esset idola.

Ex epistola Pauli ad Ro.

L. ij.

c.8.b

ERgo fratres, † debitores sumus: non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:]
 C si tamen compatimur, vt conglorificemur. † Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes
 D redemptionem corporis nostri.] Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes, nam quod

videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis.

¶ Feria. iiij. ex Genesi. Lect j.

c. 31.

Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit: Cumque intrasset tentorium Rachelis, illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper: scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti, ait, Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo: quia iuxta consuetudinem foeminarum nunc accidit mihi, sic delusa sollicitudo quærentis est. Timensque Iacob, cum iurgio ait, Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. Idcirco viginti annis fui tecum, oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi: nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne redderam: quicquid furto perierat, a me exigebas: die noctuque æstu vrgebar, & gelu: fugiebatque somnus ab oculis meis. Sic per viginti annos in domo tua seruiui tibi quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis, immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me demisisses: af-

flictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri. Respondit ei Laban, Filiæistæ, filiæ meæ: & filij isti filij mei. Sed & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filijs & nepotibus meis? Veni ergo, & ineamus foedus: vt sit testimonium inter me & te.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

ca. 8. **S**Cimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit: & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis: quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat: quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Caritate Dei, quæ est in

Christo Iesu domino nostro.

ca. 9. Veritatem dico, in Christo Iesu non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

☩ Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.

c. 31. **T**Vlit itaque Iacob lapidem & erexit illum in titulum. Dixitque fratribus suis, Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum: Quem vocauit Laban Tumulum testis: & Iacob, Aceruum testimonij, vterque iuxta proprietatem linguæ suæ. Dixitque Laban, Tumulus iste erit testis inter me, & te hodie: & idcirco appellatum est nomen eius Galaad, id est tumulus testis. Intueatur & iudicet dominus inter nos quando recesserimus a nobis, si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. Dixitque rursus ad Iacob, En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me & te, testis erit. Tumulus inquam iste & lapis sint in testimonium: si aut ego transiero illum pergens ad te: aut tu præterieris, malum mihi cogitans. Deus Abraham & Deus Nachor iudicet inter nos, Deus patris eorum Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac: immolatisque victimis in monte, vocauit fratres suos, vt ederent panem. Qui cum comedissent,

manserunt ibi. Laban vero de nocte consurgens, osculatus est filios & filias suas: & benedixit illis, reuersusque est in locum suum.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

ca. 9. **N**on autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahamæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est, Secundum hoc tempus veniam: & erit Saræ filius. Non solum autem illa: sed & Rebecca ex vno concubitu habens, Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit, Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo, cuius vult miseretur: & quem vult indurat. Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, & notum facere potentiam suam sustinuit

in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam, Quos & vocauit, nos: non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam Et erit, in loco vbi dictum est eis, Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui. Isaias autem clamat pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquæ saluæ fient. Verbum autem consummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet dominus super terram. Et sicut prædixit Isaias, nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen: sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissetus. Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est: Israel vero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ, non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur.

¶ Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.

Iacob autem abiit in itinere, quo c. 32. cœperat: fueruntque ei obuiam angeli Dei. Quos cum vidisset, ait, Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius Mahanin, id est, castra. Misit autem & nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir regionis Edom: præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Iacob, Apud Laban peregrinatus sum, & fui vsque in

præsentem diem. Habeo boues, & asinos, & oues, & seruos, & ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum, vt inueniam gratiam in conspectu tuo. Reuersique sunt nuntij ad Iacob, dicentes, Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat in occursum tibi cum quadringentis viris. Timuit Iacob valde: & perterritus diuisit populum qui secum erat, greges quoque & oues, & boues, & camelos in duas turmas: dicens: Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma quæ reliqua est, saluabitur, Dixitque Iacob Deus patris mei Abraham, & deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi, Reuertere in terram tuam & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo: in baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filijs. Tu locutus es quod benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest: Cumque dormisset ibi nocte illa, separauit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, arietes viginti, camelos foetas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, pullos earum decem.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

- c. 10. **F**Ratres, voluntas quidem cordis mei & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim iustitiam dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ dei non

sunt subiecti. Finis enim legis, Christus: ad iustitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id, est Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc, est Christum a mortuis reuocare. Sed quid dicit scriptura? prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit a mortuis: saluus eris. † corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura, Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt eum in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est, Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt euangelio. Isaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides, ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Sed dico, Nunquid non audierunt? Et quidem, in omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.] Sed dico, Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit, Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias

B

C

autem audet & dicit, Inuentus sum a non quærentibus me: palam apparui ijs qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.

☩ Sabbato ex Genesi. Lectio. j.

c. 32. **E**T misit per manus seruorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis, Antecedite me, & sit spatium inter gregem & gregem. Et præcepit priori, dicens: Si obuium habueris fratrem meum Esau, & interrogauerit te, Cuius es? aut, Quo vadis? aut, Cuius sunt ista quæ sequeris? respondebis, Serui tui Iacob, munera misit domino suo Esau: ipse quoque post nos venit. Similiter dedit mandata secundo & tertio, ac cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau cum inueneritis eum, & addetis, ipse quoque seruus tuus Iacob iter nostrum insequitur: dixit enim, Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris. Cumque mane surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem famulas cum vndecim filijs, & transiuit vadum Iaboch. Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum, Dimitte me, iam enim ascendit aurora, Respondit, Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Ait ergo, Quod nomen est tibi? Respondit, Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis


fuisti, quanto magis contra homines præualebis? interrogauit eum Iacob, Dic mihi quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum quod est mirabile? Et benedixit ei in eodem loco. Vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Ortusque est ei statim sol postquam transgressus est Phanuel: ipse vero claudicabat pede. Quam ob causam non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob, vsque in præsentem diem: eo quod tetigerit neruum femoris eius, & obstupuerit.

Ex epistola Pauli ad Roman L. ij.

Dico ergo, Nunquid Deus repulit c. 11. populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraham de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. An nescitis in Elia quid dicit scriptura: quemadmodum interpellat Deum aduersum Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia: iam non ex operibus: Alioquin gratia iam non est gratia. Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, vt non videant: & aures, vt non audiant vsque in hodiernum diem. Et Dauid dicit, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retri-

butionem illis. Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua. Dico ergo: Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est gentibus: vt illos æmulentur. Quod si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico gentibus, Quoad quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? Quod si delibatio sancta est: & massa, & si radix sancta: & rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radices & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te.

¶ *Dominica tertia post Pascha, ex Genesi. Lectio prima.*

c. 33.  Leuans autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cum eo quadringentos viros, diuisitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum: & posuit vtranque ancillam & liberos earum in principio: Liam vero, & filios eius in secundo loco: Rachel autem, & Ioseph nouissimos. Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius. Currens itaque Esau obuiam fratri suo, amplexatus est eum: stringensque collum eius, & osculans fleuit. Leuatisque oculis vidit mulieres & paruulos earum, & ait, Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent? Respondit, Paruuli sunt quos donauit mihi Deus seruo tuo. Et ap-

propinquantes ancillæ, & filij earum incuruati sunt. Accessit quoque Lia cum pueris suis: & cum similiter adorassent, extremi Ioseph, & Rachel adorauerunt. Dixitque Esau. Quænam sunt istæ turmæ quas obuiam habui? Respondit, Vt inuenirem gratiam coram domino meo. At ille ait: Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi. Dixit Iacob, Noli ita obsecro: sed si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis: sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius, & suscipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus, tribuens omnia. Vix fratre compellente suscipiens ait, gradiamur simul, eroque socius itineris tui. Dixitque Iacob, Nosti domine mi quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues foetas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante seruum suum: & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir. Respondit Esau, Oro te, vt de populo qui mecum est, saltem socij remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc vno tantum indigeo, vt inueniam gratiam in conspectu tuo, domine mi.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

Dicis ergo, Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & illi, si non permanserint in in-

c. 11.

credulitate, inserentur, potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si & tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam: quanto magis ij qui secundum naturam, inserentur suæ oliuæ? Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobisipsis sapientes: quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret: sicut scriptum est, Veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem a Iacob. Et hoc illis a me testamentum: cum abstulero peccata eorum. Secundum euangelium quidem, inimici propter vos: secundum electionem autem, charissimi propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum, ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur. Concluit enim Deus omnia in incredulitate: vt omnium misereatur. † O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

c. 16. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Modicum & iam non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. *Et rel.*

Homilia sancti Augustini episc.

Hæc domini verba, vbi ait, Modicum & iam non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad pa-

trem: ita obscura erant discipulis antequam id quod dixit esset impletum, vt quærentes inter se quid esset quod diceret, omnino se nescire faterentur. Sequitur enim euangelium, Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem, Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit nobis, modicum? Nescimus quid loquitur. Hoc enim est quod eos mouebat, quia dixit, modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me. Nam in præcedentibus, quia non dixerat, modicum: sed dixerat, ad patrem vado, & iam non videbitis me: tanquam aperte illis visus est loqui: nec inter se de hoc aliquid quæsierunt. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit, & mox manifestatum est: iam nobis vtique manifestum est. Post paululum enim passus est, & non viderunt eum. Rursus post paululum resurrexit, & viderunt eum. Illud autem quod ait, Et iam non videbitis me: quia isto verbo, id est, iam, hoc intelligi voluit, quod eum vltius non viderent. ibi exposuimus quomodo accipiendum sit: vbi dixit, De iustitia arguet mundum spiritus sanctus: quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: quia scilicet mortalem Christum vltius non viderunt. *Te deum. Oratio.*

DEUS, qui errantibus vt in viam possint redire iustitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis: da cunctis qui Christiana professione censentur, & illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari: Per do.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

Reuersus est itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir. Et Iacob venit in Sohot: vbi ædificata domo c. 33.

- & fixis tentorijs, appellauit nomen loci illius Socoth, id est tabernacula. Transiuitque in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ: & habitauit iuxta oppidum. Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, a filijs Hemor patris Sichem centum agnis. Et erecto ibi altari, inuocauit super
- c. 34. illud fortissimum Deum Israel Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam: & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata est anima eius cum ea, tristemque delinuiuit blanditijs. Et pergens ad Hemor patrem suum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem. Quod cum audisset Iacob absentibus filijs, & in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent. Egresso autem Hemor patre Sichem vt loqueretur ad Iacob, ecce filij eius veniebant de agro, auditoque quod acciderat, irati sunt valde, eo quod fœdam rem operatus esset in Israel, & violata filia Iacob, rem illicitam perpetrasset. Locutus est itaque Hemor ad eos, Sichem filij mei, adhæsit anima filiæ vestræ: date eam illi vxorem Et iungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite. Et habitate nobiscum: terra in potestate vestra est, exercete, negotiamini, & possidete eam.
- Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.
- c. 12. **O**bscuro itaque vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sicut enim in vno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: † habentes donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione: odientes malum, adhærentes bono: charitatem fraternitatis inuicem diligentes honore inuicem præuenientes, solitudine non pigri, spiritu feruentes, domino seruietes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes. Benedicite persecuentibus vos. Benedicite, & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum inuicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.] Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes. Prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim, Mihi vindictam: & ego retribuam, dicit dominus. Sed si esurierit inimicus tuus,

ciba illum: si sitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci a malo: sed vince in bono malum.]

☞ **Feria. iij. ex Genesi. Lectio j.**

c. 34. **S**ed & Sichem ad patrem, & ad fratres eius ait: Inueniam gratiam coram vobis: & quæcunque statueritis dabo, augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc vxorem. Responderunt filij Iacob Sichem & patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis: Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircunciso: quod illicitum & nefarium est apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circuncidatur in vobis omnis masculini sexus. Tunc dabimus & accipiemus mutuo filias vestras ac nostras: & habitabimus vobiscum, erimusque vnus populus. Si autem circuncidi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius. Nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur expleret: amabat enim puellam valde, & ipse erat inclytus in omni domo patris sui. Ingressique portam vrbis, locuti sunt ad populum, Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, & exercent eam: quæ spatiosa & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus. Vnum est, quo differtur tantum bonum. Si circuncidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes, & substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt: tantum in hoc acquiescamus, & habitantes simul, vnum efficiamus populum. Assensique sunt omnes, circuncis cunctis maribus.

Ex epistola Pauli ad Roman L. ij.

OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt: ipsi sibi damnationem acquirunt. nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris: time. non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram, ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote: non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt: in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tribulatum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. † Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adultaberis, Non occides, Non furaberis: Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum: in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.] Et hoc † scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die, honeste ambulemus, non in comessionibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induamini dominum Iesum Christum,] & carnis curam ne feceritis

in desiderijs.

☉ **Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.**

c. 34.

ET ecce, die tertio quando grauisimus vulnere dolor est, arreptis duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladijs, ingressi sunt urbem confidenter: interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Quibus egressis irruerunt super occisos cæteri filij Iacob: & depopulati sunt urbem in vltionem stupri. Oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus & in agris erant: paruulos quoque eorum, & vxores duxerunt captiuas. Quibus perpetratis audacter, Iacob dixit ad Simeon & Leui, Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius: nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego & domus mea. Responderunt. Nunquid vt scorto abuti debuere sorore nostra? Interea locutus est Deus ad Iacob, Surge & ascende in Bethel, & habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum. Iacob vero conuocata omni domo sua, ait: Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos quos habebant, & inares quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eas subter Terebinthum, quæ est post urbem Sichem. Cumque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates: & non sunt ausi persequi recedentes.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

INfirmum autem in fide assum- c. 14.
 ite: non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit, stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem: domino sapit. Et qui manducat: domino manducat, gratias enim agit Deo. Et qui non manducat domino, non manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi viuit: & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: vt & viuorum & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu, quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim Viuo ergo dicit dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio & confido in domino Iesu, quia nihil commune per ipsum: nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus

mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto: qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo: & probatus est hominibus.

☞ *Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.*

c. 35. **V**enit igitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse & omnis populus cum eo. Aedificauitque ibi altare, & appellauit nomen loci illius domus Dei: ibi enim apparuit ei Deus cum fugeret fratrem suum. Eodem tempore mortua est Delbora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radides Bethel subter quercum: vocatumque est nomen illius Quercus fletus. Apparuit autem iterum Deus Iacob, postquam reuersus est de Mespotamia Syriæ, benedixitque ei, dicens: Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit eum Israel, dixitque ei, Ego Deus omnipotens, Cresce & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt: reges de lumbis tuis egredientur. Terramque quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te. Et recessit ab eo: ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum: vocansque nomen loci illius Bethel. Egressus autem inde venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix Noli timere, quia & hunc habebis filium, Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est, filius doloris mei: pater vero appellauit eum Benjamin, id est, filius dextræ.

Ex epistola Pauli ad Ro.

L. ij.

ITaque quæ pacis sunt sectemur: & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes penes temetipsum: habe coram Deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit: sed sicut scriptum est, Improperia impropertantium tibi, ceciderunt super me. † Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ & solatij, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum: vt vnanimis, vno ore honorificetis Deum & patrem domini nostri Iesu Christi. Propter quod suscipite inuicem: sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum Iesum, ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia, honorare Deum, sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gentibus domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit, Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum, Lau-

date omnes gentes dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait, Et erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eo gentes sperabunt. Deus autem spei, repleat vos omni gaudio & pace in credendo: vt abundetis in spe, & virtute spiritus sancti.]

☩ *Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.*

- c. 35. **M**ortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratham, hæc est Bethlehem. Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius: hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem. Egressus inde fixit tabernaculum trans turrem gregis. Cumque habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui: quod illum minime latuit. Erant autem filij Iacob duodecim. Filij Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Leui, & Iudas, & Issachar, & Zabulon. Filij Rachel, Ioseph, & Benjamin. Filij Balæ ancillæ Rachelis: Dan, & Nephthalim. Filij Zephæ ancillæ Liæ: Gad & Aser. Hi sunt filij Iacob qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre ciuitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham & Isaac. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. Consumptusque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau & Iacob filij sui.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

- c. 15. **C**ertus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte, tanquam in memoriam vos reducens: propter gratiam,

quæ data est mihi a Deo, vt sim minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans euangelium Dei: vt fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in spiritu sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Christus in obedientiam gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute spiritus sancti: ita vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est, Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt de eo, intelligent. Propter quod & impediabar plurimum venire ad vos: & prohibitus sum vsque adhuc. Nunc vero vltterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos & a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fructus fuero. Nunc igitur proficiscor in Ierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos qui sunt in Ierusalem. Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cum consummauero, & assignauiero eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelij Christi veniam. Obsecro ergo vos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per chari-

tatem sancti spiritus vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa: & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

☩ **Sabbato ex Genesi. Lectio. j.**

c. 36. **H**Æ sunt autem generationes Esau, ipse est Edon. Esau accepit vxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filij Sebeon Heuæi. Basemath quoque filiam Ismahel sororem Nabaioth. Peperit autem Ada, Eliphaz: Basemath genuit Rahuel Oolibama genuit Iehus & Ihelom & Core, hi filij Esau qui nati sunt ei in terra Chanaan. Tulit autem Esau vxores suas & filios & filias, & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan: & abiit in alteram regionem, recessitque a fratre suo Iacob. Diuites enim erant valde, & simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. Habitauitque Esau in monte Seir, ipse est Edon. Hæ autem sunt generationes Esau patris Edon in monte Seir, & hæc nomina filiorum eius: Eliphaz filius Ada vxoris Esau: Rahuel quoque filius Basemath vxoris eius. Fueruntque Eliphaz filij: Theman, Omar, Sepho, & Gatham, & Cenez. Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filij Esau: quæ peperit ei Amalec. hi sunt filij Ada vxoris Esau. Filij autem Rahuel: Nahath & Zara, Samma & Meza. hi filij Basemath vxoris Esau. Isti quoque erant filij Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon vxoris Esau, quos genuit ei Iehus & Ihelom & Core.

Ex epistola Pauli ad Roman. L. ij.

Commendo autem vobis Phœbem sororem nostram, quæ est in ministerio ecclesiæ, quæ est in Cenchreis: vt eam suscipiatis in domino digne sanctis: & assistatis ei in quocunque negotio vestri indigerit. Etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi Salutate Priscam & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu (qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ ecclesiæ gentium) & domesticam ecclesiam eorum. Salutate Epeneum dilectum mihi: qui est primitiuus Achaïæ in Christo Iesu. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Salutate Andronicum & Iuniam cognatos & concaptiuos meos: qui sunt nobiles in apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in domino. Salutate Vrbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellem probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcisci domo, qui sunt in domino. Salutate Triphænam & Tryphosam: quæ laborant in domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multum laborauit in domino. Salutate Rufum electum in domino, & matrem eius & meam. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermam, & qui cum eis sunt, fratres. Salutate Philologum & Iuliam, Nereum, & sororem eius & Olimpiadem: & omnes qui cum eis sunt, sanctos. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes ecclesiæ Christi. Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offencicula præter doctrinam

quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia, in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono: & simplices in malo. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum. Salutatur vos Timotheus adiutor meus: & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam in domino. Salutatur vos Caius hospes meus & vniuersa ecclesia. Salutatur vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta euangelium meum & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti (quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

¶ Dominica quarta post Pascha, ex Genesi. Lectio prima.

c. 36. **H** I duces filiorum Esau, Filij Eliphaz primogeniti Esau: dux Themam, dux Omar, dux Sephua, dux Genez, dux Core, dux Gatham, dux Amalec. Hi filij Eliphaz in terra Edom, & hi filij Adæ. Hi quoque filij Rahuel filij Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. Hi autem duces Rahuel in terra Edom: isti filij Basemath vxoris Esau. Hi autem filij Oolibama vx-

oris Esau: dux Iehus, dux Ihelom, dux Core. Hi duces ex Oolibama filia Anæ vxoris Esau. Isti sunt filij Esau, & hi duces eorum. ipse est Edom. Isti sunt filij Seir Horrhæi, habitatores terræ: Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana, & Dison, & Eser, & Disan. Hi duces Horrhæi. filij Seir in terra Edom. Facti sunt autem filij Lotan: Hori & Heman. erat autem soror Lotan, Thamna. Et isti filij Sobal, Aluan, & Manahath, & Ebal, & Sepho, & Onam. Et hi filij Sebeon. Aia & Ana. Iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui. Habuitque filium Dison, & filiam Oolibama. Et isti filij Disan: Hamdam, & Eseban, & Iethran, & Charan. Hi quoque filij Eser: Balaan, & Zauan, & Acan. Habuit autem filios Disan: Hus, & Aran. Hi duces Horrhæorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, dux Dison, dux Eser, dux Disan. isti duces Horrhæorum, qui imperauerunt in terra Seir.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

P Aulus vocatus apostolus Iesu ca. 1. Christi, per voluntatem Dei, & Sosthenes frater: ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum & nostro, gratia vobis, & pax a Deo patre nostro & domino Iesu Christo. † Gratias ago A Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi,

qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, in die aduentus domini nostri Iesu Christi.] Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi domini nostri. Obsecro autem vos fratres, per nomen domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab ijs qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo, ego vero Cephæ: ego autem Christi. Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizauit, nisi Crispum & Caium: ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizauit autem & Stephanæ domum. Cæterum, nescio si quem alium baptizauerim. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare: non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi. Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est. Iis autem qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim. Perdam sapientiam sapientium: & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi Scriba? vbi inquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes. Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gen-

tibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientia. quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Secundum Ioannem. Lectio. iiij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Vado ad eum qui misit me: & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? *Et rel.* c. 16.

Homilia sancti Augusti. episc.

Cum dominus Iesus prædixisset discipulis suis persecutiones, quas passuri erant post eius abscessum, subiunxit, atque ait, Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: nunc autem vado ad eum qui misit me. Vnde primum videndum est vtrum eis futuras non prædixerit antea passiones. Sed alij tres Euangelistæ satis eum prædixisse ista demonstrant, antequam ventum esset ad cœnam. Qua peracta secundum Ioannem ista loquutus est, vbi ait, Hæc autem vobis ab initio non dixi: quia vobiscum eram. An forte hinc ista soluitur quæstio: quia & illi eum narrant passioni proximum fuisse cum hæc diceret? Non ergo ab initio quando cum illis erat: quia iam discessurus: iamque ad patrem perrecturus hæc dicit. Et ideo etiam secundum alios Euangelistas verum est quod hic dictum est. Hæc autem vobis ab initio non dixi. Sed quid agimus de fide Euangelij secundum Matthæum: qui hæc eis a Domino non solum cum iam esset Pascha cum discipulis cœnaturus imminente passione, verumetiam ab initio denuntiata esse commemorat: vbi primum nominatim duodecim apostoli exprimuntur, & ad opera diuina mittuntur: Quid sibi ergo vult quod hic ait? Hæc autem vobis ab initio non

dixi, quia vobiscum eram: nisi ea quæ Iesus hic dicit de Spiritu sancto, quod sit venturus ad eos: & testimonium perhibiturus, quando mala illa passuri sunt: hoc etiam ab initio eis non dixit: quia cum eis erat. Consolator ergo ille vel aduocatus (vtrunque enim interpretatur quod est Græce paracletus) Christo abscedente fuerat necessarius. Et ideo de illo non dixerat in initio quando cum illis erat: quia eius præsentia consolabantur. **Te deum.**

Oratio.

DEus, qui fidelium mentes vnus efficacis voluntatis: da populis tuis id amare quid præcipis, id desyderare, quod promittis: vt inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Per do.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

c. 6. **R**Eges autem qui regnauerunt in terra Edom antequam haberent regem filij Israel, fuerunt hi: Bela filius Beor, nomenque vrbs eius Denaba. Mortuus est autem Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra. Cumque mortuus esset Iobab, regnauit pro eo Husan de terra Themanorum. Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: & nomen vrbs eius Auih. Cumque mortuus esset Adad, regnauit pro eo Semla de Masreca. Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth. Cumque & hic obiisset. successit in regnum Balanam filius Achobor. Isto quoque mortuo, regnauit pro eo Adar, nomenque vrbs eius Phau: & appellabatur vxor eius Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab. Hæc ergo nomina ducum Esau in cognationibus & locis & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, dux Oolibama, dux Ela,

dux Phinon, dux Genez, dux Theman, dux Mabsar, dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperij sui, ipse est Esau pater Idumæorum. Habitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est. Et hæc sunt generationes eius.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

Videte enim vocationem vestram, ca. 1. fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non gloriatur omnis caro in conspectu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo & iustitia & sanctificatio & redemptio: vt (quemadmodum scriptum est) Qui gloriatur, in domino gloriatur.

Et ego cum venissem ad vos fratres, ca. 2. veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ annuntians vobis testimonium Christi. Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. sapientiam vero, non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit. si enim

cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Sed, sicut scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur: etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ a Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis: sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. stultitia enim est illi, & non potest intelligere quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse a nemine iudicatur. Sicut scriptus est, Quis enim cognouit sensum domini? aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus.

☞ *Feria. iij. ex Genesi. Lectio j.*

c. 37. **I**oseph cum sexdecim esset annorum, a pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: & erat cum filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui: accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo. Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius quod a patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. Accidit quoque vt visum somnium referret fratribus suis, quæ causa maioris B odij seminarium fuit. † Dixitque Ioseph fratribus suis, Audite somnium meum

quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres eius. Nunquid rex noster eris? aut subiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum. inuidiæ & odij fomitem ministravit. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait, Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me. Quod cum patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit, Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebant ei igitur fratres sui: pater vero rem tacitus considerabat.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo. Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri eius cui credidistis, vt vnique sicut dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum, dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, vnus sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Dei enim sumus adiutores: ca. 3.

Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est: quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vnus cuiusque opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vnus cuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit: mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit: disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est: quod estis vos. Nemo se seducat. Siquis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo: stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum. dominus nouit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt. Nemo itaque gloriatur in hominibus. Omnia enim vestra sunt: siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei.

☞ *Feria. iiij. ex Genesi. Lectio. j.*

c. 37. **C**Umque fratres illius in pascendis c gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel, Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto

sum: ait, Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem: inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit, Fratres meos quæro: indica mihi vbi pascant greges. Dixitque ei vir, Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothain. Perrexit itaque Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere. Et mutuo loquebantur. Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem: dicemusque, Fera pessima deuorauit eum: & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat, Non interficiamus animam eius, nec effundamus sanguinem: sed proiicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.] Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita, miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

S†Ic nos æstimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est vt a vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, dominus

D

c.4.a

est. Itaque nolite ante tempus iudicare: quoadusque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum: & manifestabit consilia cordium: & tunc
 B laus erit vnique a Deo.] Hæc autem fratres, transfigurauit in me, & Apollo, propter vos: vt in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Iam saturati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis: & vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus. Puto enim quod Deus nos apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti desti-
 C natos: quia † spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum: vos autem prudentes in Christo. nos infirmi: vos autem fortes: vos nobiles: nos autem ignobiles. Vsque in hanc horam & esurimus & sitimus & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur: & benedicimus: persecutionem patimur: & sustinemus. blasphemamur: & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt
 D filios meos charissimos moneo.] Nam si decem milia pædagogorum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.

☞ *Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.*

c. 37. **E**T sedentes vt comederent panem viderunt Ismahelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam & stacten in Ægyptum. Dixit ergo Iudas fratribus suis, Quid nobis prodest,

si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? Melius est vt vendatur Ismahelitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim, & caro nostra est. Acquieuerunt fratres sermonibus illius. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus: extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismahelitis viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum. Reuersusque Ruben ad cisternam, non inuenit puerum: & scissis vestibibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, & ego quo ibo? Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguinem hœdi quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent, Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non. Quam cum agnouisset pater, ait: Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Scissisque vestibibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum, lugens in infernum. Et illo perseuerante in fletu, Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Phutiphari Eunucho Pharaonis magistro militum.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

ROgo ergo vos, imitatores mei ca. 4. tote, sicut & ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus & fidelis in domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni ecclesia doceo. Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed

virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid vultis? In virga veniam ad vos: an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

ca. 5. Omnino auditur inter vos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit? Ego quidem absens corpore: præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est, in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute domini nostri Iesu tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Non est bona gloriatio vestra Nescitis, quia modicum fermentum, totam massam corrumpit? † Expurge gate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur: non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiae, sed in azymis synceritatis & veritatis.] Scripsi in epistola, Ne commisceamini fornicarijs, non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis, non commiseri, si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Nonne de ijs qui intus sunt vos iudicatis? nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobisipsis.

☞ *Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.*

Eodem tempore descendens Iudas a c. 38. fratribus suis diuertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram. Veditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sua: & accepta vxore, ingressus est ad eam. Quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her. Rursumque concepto foetu, natum filium vocauit Onam. Tertium quoque peperit: quem appellauit Sela, quo nato, parere vltra cessauit. Dedit autem Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuit quoque Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu domini: & ab eo occisus est. Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum, Ingredere vxorem fratris tui, & sociare illi: vt suscites semen fratri tuo. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram: ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum dominus, quod rem detestabilem faceret. Quam ob rem dixit Iudas Thamar nurui suæ, Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus: Timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius. Quæ abijt, & habitauit in domo patris sui. Euolutis autem multis diebus mortua est filia Sua, vxor Iudæ, qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonsos ouium suarum, ipse & Hiras opilio gregis Odollamites in Thamnas.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

Avdet aliquis vestrum habens negocium aduersus alterum, iudicari ca. 6. apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus: indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis:

contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis & fraudatis: & hoc fratribus? An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarij, neque idolis seruietes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent: sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet, corpus autem non fornicationi, sed domino: & dominus corpori. Deus vero & dominum suscitauit: & nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret domino: vnus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra tem-

plum sunt spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.

☞ **Sabbato ex Genesi. Lectio. j.**

NVntiatumque est Thamar, quod c. 38.
socer illius ascenderet in Thamar ad tondendas oues. Quæ depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: & mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Tharnnam: eo quod creuisset Sela, & non eum accepisset maritum. Quam cum vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur. Ingrediensque ad eam ait: Dimitte me, vt cœam tecum, nesciebat enim quod nurus sua esset. Qua respondente, Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? dixit, Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumque illa dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem: donec mittas quod polliceris: ait Iudas, Quid vis tibi pro arrhabone dari? Respondit, Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes. Ad vnum igitur coitum mulier concepit, & surgens abiit: depositoque habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Misit autem Iudas hœdum per pastorem suum Odollamitem, vt reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cum non inuenisset eam, interrogauit homines loci illius, Vbi est mulier, quæ sedebat in biuio? Respondentibus cunctis, Non fuit in loco ista meretrix: reuersus est ad Iudam, & dixit ei, Non inueni eam: sed & homines loci illius dixerunt mihi nunquam sedisse ibi scortum. Ait Iudas: Habeat sibi, certe mendacij arguere nos non poterit: ego misi hœdum quem promiseram, & tu

non inuenisti eam.

**Ex epistola prima Pauli ad Corinthios.
Lectio secunda.**

ca. 7. **D**E quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem, vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet: sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet: sed mulier. Nolite fraudare inuicem: nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes vos esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego. Quod si non se continent: nubant: melius est enim nubere, quam vri. Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed dominus, vxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere inuictam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non dominus, Si quis frater vxorem habet infidelem: & hæc consentit habitare cum illo: non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa: non dimittat virum, sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus

est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocauit nos Deus. Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? nisi vnique sicut diuisit dominus, vnusquisque sicut vocauit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus ecclesijs doceo. Circuncisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circuncidatur. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ, sed & si potes fieri liber: magis vttere. Qui enim in domino vocatus est seruus: libertus est domini. Similiter qui liber vocatus est: seruus est Christi. Pretio empti estis: nolite fieri serui hominum. Vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc maneat apud Deum.

**¶ Dominica quinta post Pascha, ex
Genesi. Lectio prima.**

SCce autem post tres menses nuntiauerunt Iudæ, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere. Dixitque Iudas, Producite eam, vt comburatur. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum dicens: De viro cuius hæc sunt, concepi: cognosce cuius sit anulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis muneribus, ait, iustior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen vltra non cognouit eam. Instante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: Iste egredietur prior. Illo vero retrahente manum, egressus est alter: dixitque mulier,

c 38.

Quare diuisa est propter te maceria? & ob hanc causam vocauit nomen eius Phares. Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit Zaram.

c. 39. Igitur Ioseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Phutiphar Eunuchus Pharaonis princeps exercitus sui, vir ægyptius, de manu Ismahelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque dominus cum eo, & erat vir in cunctis prospere agens: habitauitque in domo domini sui, qui optime nouerat dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Inuenitque Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei: a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa quæ ei tradita fuerant: benedixitque dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quam in agris cunctam eius substantiam. Nec quicquam aliud nouerat, nisi panem quo vescebatur.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios.
Lectio secunda.

c.7.b **D**†E virginibus autem præceptum domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo: non peccauit. tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico fratres, tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent: tanquam non flentes, & qui gaudent: tanquam non gaudentes, & qui emunt:

tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo: tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est: sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuisus est. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.] Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi: quomodo placeat viro. Porro hoc ad vtilitatem vestram dico: non vt laqueum vobis iniciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento dominum obsecrandi. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis. Et hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam bene facit: & qui non iungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuuit: quod si dormierit vir eius: liberata est, cui autem vult nubat: tantum in domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo: dabit vobis. c. 16.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

DOmni verba nunc ista tractanda sunt, Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo,

dabit vobis. Iam dictum est in superioribus huius dominici sermonis partibus propter eos, qui nonnulla petunt a patre in Christi nomine nec accipiunt. Non petitur in nomine saluatoris, quicquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum literarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono recte & veraciter intelligitur: hoc accipiendum est dicere, cum dicit, in nomine meo. Vnde qui hoc sentit de Christo, quod non est de vnico Dei filio sentiendum, non petit in eius nomine, etiam si non taceat literis ac syllabis Christum: quomodo in nomine eius petit, quem cogitat cum petit? Qui vero quod est de illo sentiendum sentit, ipse in eius nomine petit, & accipit quod petit, si non contra salutem suam sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere, quædam autem non negantur: sed vt congruo dentur tempore, differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait, Dabit vobis: vt ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt proprie pertinent. **Te deum.**

Oratio.

DEus, a quo cuncta bona procedunt, largire supplicibus tuis, vt cogitemus te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus. Per do.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

c. 39. **E**Rat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait, Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam, Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habet in domo sua: nec quicquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor

eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum? Huiusmodi verbis per singulos dies loquebatur: & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret: & illa, apprehensa lacinia vestimenti eius diceret, Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, vocauit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingressus est ad me, vt coiret mecum: cumque ego succlamassem, & audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebat, & fugit foras. In argumentum ergo fidei, retentum pallium ostendit marito reuertenti domum suam, & ait, Ingressus est ad me seruus Hebræus, quem adduxisti, vt illuderet mihi: cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebat, & fugit foras. His auditis dominus & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde, tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur: & erat ibi clausus. Fuit autem dominus cum Ioseph, & misertus est illius: & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos qui in custodia tenebantur: & quicquid fiebat, sub ipso erat. Nec nouerat aliquid, cunctis ei creditis: dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios.

Lectio secunda.

DE ijs autem quæ idolis immolantur, scimus quod omnes scientiam habemus. Scientia inflat: charitas vero ædificat. Si quis autem se exis- ca. 8.

timat scire aliquid, nondum cognouit, quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum: hic cognitus est ab eo. De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus nisi vnus. Nam & si sunt qui dicantur dij, siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt dij multi, & domini multi) nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum: sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli quasi idolothytum manducant, & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. Videte autem, ne forte hæc licentia vestra, offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam: in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

☞ *Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.*

ca. 9. **H**is itaque gestis accidit vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor, domino suo. Iratusque contra eos Pharaon (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph. At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui &

ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. Videruntque ambo somnium nocte vna, iuxta interpretationem congruam sibi. Ad quos cum introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes, sciscitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? Qui responderunt, Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Ioseph: Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis. Narrauit prior præpositus pincernarum somnium suum, Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere: calicemque Pharaonis in manu mea, tuli ergo vuas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Respondit Ioseph, Hæc est interpretatio somnij, Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharaon ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueueras. Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit: & facias mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

Non sum liber? non sum Apostolus? nonne Christum Iesum dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in domino? Et si alij non sum apostolus: sed tamen vobis sum, nam signaculum apostolatus mei vos estis in domino. Mea defensio apud eos qui me interrogant hæc est, Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non ca. 9.

habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri apostoli, & fratres domini, & Cephas? Aut ego solus & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem: & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi, Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus: magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt: quare non potius nos? Sed non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus euangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? & qui altario deseruiunt: cum altario participant? Ita & dominus ordinauit ijs qui euangelium annuntiant, de euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me. Bonum est enim mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet. Nam & si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. væ enim mihi est si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus: dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Vt euangelium prædicans, sine sumptu ponam euangelium, vt non abutar potestate mea in euangelio. Nam cum liber essem ex

omnibus, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem.

☞ *Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.*

Videns pistorum magister quod prudenter somnium dissoluisset, ait, Et ego vidi somnium, Quod tria canistra farinæ haberem super caput meum: & in vno canistro quod erat excelsius, portare me putabam omnes cibos qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo. Respondit Ioseph, Hæc est interpretatio somnij, Tria canistra, tres adhuc dies sunt: post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum & pistorum principis, restituitque alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum: alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur. Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

ET factus sum Iudæis tanquam Iudæus: vt Iudæos lucrarer, ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem, ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus: vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum: vt omnes facerem saluos. Omnia autem facio propter euangelium: vt particeps eius efficiar. † Nescitis quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium? Sic currite

vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro: non quasi in incertum: sic pugno, non quasi ærem verberans: sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

- c. 10. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt: & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat
 B Christus.] Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto Hæc autem in figura
 C facta sunt nostri, vt † non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: neque fornicemur: sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria milia. neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentauerunt, & a serpentibus perierunt, neque murmuraueritis: sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia, in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tenta-

tionem prouentum, vt possitis sustinere.]

☩ Si in die Ascensionis domini inciderit festum simplex, omittitur omnino: si autem inciderit in alijs diebus vsque ad Pentecosten, fit commemoratio de eo in fine Primæ antequam dicatur Pretiosa. Si vero festum duplex inciderit indie Ascensio transfertur in sequentem diem. si autem in alijs, celebrabitur in die qua inciderit.

☩ Festum Ascensionis domini duplex maius. Ad Vesperas Hymnus.

Iesu nostra redemptio,
 Amor & desiderium:
 Deus creator omnium,
 Homo in fine temporum.
 Quæ te vicit clementia,
 Vt ferres nostra crimina:
 Crudelem mortem patiens,
 Vt nos a morte tolleres?
 Inferni claustra penetrans,
 Tuos captiuos redimens:
 Victor triumpho nobili,
 Ad dextram patris residens.
 Ipsa te cogat pietas,
 Vt mala nostra superes,
 Parcendo, & voti compotes,
 Nos tuo vultu saties.

Gloria tibi domine,
 Qui scandis super sydera:
 Cum patre, & sancto spiritu,
 In sempiterna secula. Amen. & sic terminant hymni omnibus horis vsque ad Penteco. exclusiue an. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus, Haleluiah. Oratio.

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redemptorem nostrum ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in celestibus habitemus: Per eun. Ad matutinum, inuitatorium.

Haleluiah, Christum dominum ascendentem in cœlum, veni te adoremus, Haleluiah. *Hymnus.*

A Eterne rex altissime,
Redemptor & fidelium:

Quo mors soluta deperit,

Datur triumphus gratiæ.

Scandens tribunal dexteræ,

Patris potestas omnium:

Collata Iesu cœlitus,

Quæ non erat humanitus.

Vt trina rerum machina,

Cœlestium, terrestrium:

Et infernorum condita,

Flectat genu iam subdita.

Hinc te precantes quæsumus,

Ignosce culpis omnibus:

Et corda sursum subleua,

Ad te superna gratia,

Vt cum repente cœperis,

Clarere nube iudicis:

Pœnas repellas debitas,

Reddas coronas perditas.

Gloria tibi domine,

Qui scandis super sydera. &c. **An.** Ascendit Deus in iubilo: & dominus in

voce tubæ, Haleluiah.

Ex Isaia. Lectio prima.

- c. 63. **Q**uis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim vltionis in corde meo: annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit qui

adiuuaret, & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum domini recordabor, laudem domini super omnibus quæ reddidit nobis dominus, & super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit, Veruntamen populus meus est, filij non negantes: & factus est eis saluator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus seculi.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios.

Lectio secunda.

Propter quod charissimi mihi, ca. 9. fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor: vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus: omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? quid ergo? dico quod idolis immolatum, sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quod quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo: Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. An æmulamur dominum? Nunquid fortiores

illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat sed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate: nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium ad cœna, & vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate: nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? Si ego cum gratia participo: quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Iudæis & gentibus, & ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.

Secundum Marcum. Lectio. iij.

- c. 16. **I**N illo tempore: Recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus: & exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse a mortuis non crediderunt.

Et rel. Hom. sancti Grego. papæ.

Quod resurrectionem dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas quam nostra (vt ita dicam) futura firmitas fuit. Ipsa nanque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est: quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur? Minus enim mihi Maria Magdalene præstitit, quæ citius credidit,

quam Thomas, qui diu dubitauit: Ille etenim dubitando vulnerum cicatrices tetigit, & de nostro pectore dubietatis vulnus amputauit. Ad insinuandam quoque veritatem dominicæ resurrectionis, notandum nobis est quod Lucas refert dicens: Conuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent. & post pauca, Videntibus illis eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Notate verba, signate mysteria. Conuescens eleuatus est. Comedit & ascendit: vt videlicet per effectum comestionis, veritas patesceret carnis. Marcus vero prius quam cœlos dominus ascenderet, eum de cordis atque infidelitatis duritia increpasse discipulos memorat. Qua in re, quid considerandum est, nisi quod idcirco dominus tunc discipulos increpauit, cum corporaliter reliquit: vt verba quæ recedens diceret, in corde audientium arctius impressa remanerent. Increpata igitur eorum duritia, quid admonendo dicat, audiamus. Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Nunquid fratres mei sanctum euangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum: vt de eo discipulis dicatur, prædicate euangelium omni creaturæ? Sed omnis creaturæ nomine signatur homo.

Ad laud. an. Viri Galilæi quid aspicitis in cœlum? hic Iesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, Haleluiah.

Oratio. Concede quæsumus. &c. **Ad ves. hym.** Iesu nostra redemptio. &c.

Antiphona. O rex gloriæ domine virtutum: qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos: sed mitte promissum patris in nos spiritum veritatis, Haleluiah.

¶ Notandum quod inuitatorium,

hymni, antiphonæ, & oratio huius diei dicuntur in omnibus diebus vsque ad Pentecosten, quando non occurrit festum duplex.

☩ *Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.*

c. 41. **P**ost duos annos vidit Pharaon somnium, Putabat se stare super fluuium, de quo ascendebant septem boues pulchræ & crassæ nimis, & pascebantur in locis palustribus. Aliæ quoque septem emergebant de flumine, fœdæ, confectæque macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus: deuoraueruntque eas quarum mira species & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharaon, rursus dormiuit, & vidit alterum somnium, Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque formosæ: aliæ quoque totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebantur, deuorantes omnium priorum pulchritudinem. Euigilans Pharaon post quietem, & facto mane, pauore perterritus, misit ad omnes coniectores Ægypti, cunctosque sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat qui interpretaretur. Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait, Confiteor peccatum meum. Iratus rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum: vbi vna nocte vterque vidimus somnium, præsagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia, audiuimus quicquid postea rei probauit euentus. Ego enim redditus sum officio meo: & ille suspensus est in cruce. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioseph tonderunt: ac veste mutata obtulerunt ei. Cui ille ait, Vidi somnia, nec est qui edisserat: quæ audiui te sapientissime conijcere. Respondit Ioseph,

Abique me Deus respondebit prospera Pharaoni.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

IMitatores mei estote, sicut & ego c. 11. Christi. Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Volo autem vos scire quod omnis viri caput, Christus est: caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum, vnum enim est, ac si decaluetur. Nam & si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri, tonderi aut decaluari, velet caput suum. Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est: sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem: sed mulier propter virum. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput suum, & propter angelos. Veruntamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in domino. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem. Omnia autem ex Deo. Vosipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in melius, sed in deterius conuenitis. Primum quidem conuenientibus vobis in ecclesiam, audio scis-

suras esse inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreses esse: vt & qui probati sunt: manifesti fiant in vobis.

B † Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis: & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.

Sermo sancti Leonis papæ. L. iij.

Post beatam & gloriosam domini nostri Iesu Christi resurrectionem, qua verum Dei templum Iudaica impietate resolutum, diuina se in triduo potentia suscitauit, quadragenarius hodie (dilectissimi) sanctorum dierum expletus est numerus, sacratissima ordinatione dispositus, & ad vtilitatem nostræ eruditionis impensus. Vt dum a domino in hoc spatio mora præsentiae corporalis extenditur, fides resurrectionis documentis necessarijs muniretur. Mors enim Christi multorum discipulorum corda turbauerat: & de supplicio Crucis, & de emissionem spiritus, de exanimati corporis sepultura, grauatis mœstitudine mentibus, quidam diffidentiae torpor obreperat. Nam cum sanctæ mulieres (sicut euangelica nobis patefecit historia) reuolutum a monumento lapidem sepulcrumque corpore vacuum, & viuentis domini testes angelos nuntiarent, verba earum apostolis alijsque discipulis, deliramentis similia videbantur.

☩ **Sabbato ex Genesi. Lectio. j.**

c. 41. **N**arrauit ergo Pharaon quod viderat: Putabam me stare super ripam fluminis: & septem boues de amne conscendere, pulchras nimis, & obe-

sis carnibus: quæ in pastu paludis vireta carpebant, & ecce, has sequebantur aliæ septem boues, intantum deformes & macilentæ, vt nunquam tales in terra Ægypti viderim: quæ deuoratis & consumptis prioribus, nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie & squalore torpebant. Euigilans, rursus sopore depressus, vidi somnium, Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque pulcherrimæ, aliæ quoque septem tenues & percussæ vredine, oriebantur e stipula: quæ priorem pulchritudinem deuorauerunt. Narravi coniectoris somnium, & nemo est qui edisserat. Respondit Ioseph, Somnium regis vnum est: quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ: septem vbertatis anni sunt, eandemque vim somnij comprehendunt, septem quoque boues tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, & septem spicæ tenues, & vento vrente percussæ: septem anni venturæ sunt famis. Qui hoc ordine complebuntur. Ecce, septem anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Ægypti: quos sequentur septem anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnem terram, & vbertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo. Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium: firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, & velocius impletur.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

EGo enim accepi a domino quod & tradidi vobis, quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & mandu-

c. 11.
c

cate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix, nouum testamentum est in meo sanguine. hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem domini indigne: reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diudicans corpus domini.]

D multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos diiudicemus, non vtique iudicemur. Dum iudicamur autem, a domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.]

E Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet: vt non in iudicium conueniatis. Cætera autem

c. 12. cum venero, disponam. De spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres. †
a Scitis autem quoniam cum gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere dominus Iesus: nisi in spiritu sancto. Diuisiones vero gratiarum sunt: idem autem spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt: idem autem dominus. Et diuisiones operationum sunt: idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus, ad vtilitatem, Alij qui-

dem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitarum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operantur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

Ex serm. sancti Leonis papæ. L. iij.

Q Vam vtique hæsitationem humana infirmitate nutantem nequaquam permisisset spiritus veritatis prædicatorum suorum inesse pectoribus: nisi illa trepida sollicitudo & curiosa cunctatio, nostræ fidei fundamenta iecisset. Nostris igitur perturbationibus, nostris periculis in Apostolis consulebatur. Nos in illis viris contra calumnias impiorum, & contra terrenæ argumenta sapientiæ docebamur. Nos illorum instruxit aspectus, nos erudiuit auditus, nos confirmauit attactus. Gratias igitur agamus diuinæ dispensationi, & sanctorum patrum necessariæ tarditati. Dubitatum est ab illis: ne dubitaretur a nobis. Non ergo hi dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. In his metus diræ mortis aufertur: & non solum animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In his per insufflationem domini infunditur apostolis omnibus spiritus sanctus, & beato apostolo Petro supra cæteros post regni clauis, ouilis dominici cura mandatur. In his diebus duobus discipulis tertius in via dominus iungitur comes: & ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, paudentium ac trepidan-

tium tarditas increpatur.

℣ Dominica infra octauam Ascensionis, ex Genesi. Lectio. j.

c. 41.

Nunc ergo prouideat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eum terræ Ægypti. Qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serueturque in vrbibus. Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum: & non consumetur terra inopia. Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris eius: locutusque est ad eos, Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid sapientiozem & similem tui inuenire poterò? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantum regni solio te præcedam. Dixitque rursum Pharaon ad Ioseph, Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti. Tulitque anulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti. Dixit quoque Rex Aegypti ad Ioseph, Ego sum Pharaon: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti. Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca, Saluatorem mundi. Deditque illi vxorem Aseneth filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo est de corpore? Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum auditus: vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra: vnum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij, sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiozem circudamus, & quæ inhonestata sunt nostra, abundantiozem honestatem habent. Honestata autem nostra, nullius egent: sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat abundantiozem tribuendo honorem: vt non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicem sollicita sint membra Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, Et quosdam quidem po-

c. 12.
b

suit Deus in ecclesia, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Aemulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

c. 15. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis a patre spiritum veritatis qui a patre procedit: ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis: quia ab initio mecum estis.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Dominus Iesus in sermone quem loquutus est discipulis suis post cœnam proximus passioni: tanquam iturus & relicurus eos præsentia corporali, cum omnibus autem suis vsque in consummationem seculi, futurus præsentia spirituali, exhortatus est eos ad perferendas persecutiones impiorum, quos mundi nomine nuncupauit: ex quo tamen mundo etiam ipsos discipulos elegisse se dixerat: vt scirent se gratia Dei esse quod sunt, suis autem vitijs fuisse quod fuerant. Deinde persecutores & suos, & ipsorum, Iudæos euidenter expressit: vt omnino appareret etiam ipsos mundi damnabilis appellatione conclusos, qui persequuntur sanctos. Cumque de illis diceret, quod ignorarent eum a quo missus est: & tamen odissent & filium & patrem: hoc est eum qui missus est, & a quo missus est. De

quibus omnibus in alijs sermonibus iam disseruimus: ad hoc peruenit, vbi ait, Vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

EGressus est itaque Ioseph ad terram Aegypti (triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis) circumiuit omnes regiones Aegypti. Venitque fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Aegypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis vrbibus condita est. Tantaque fuit abundantia tritici, vt arenæ maris cœquaretur, & copia mensuram excederet. Nati sunt autem Ioseph filij duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth filia Phutiphare sacerdotis Heliopoleos. Vocauitque nomen primogeniti, Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. Nomen quoque secundi appellauit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Igitur transactis septem vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto, cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames præualuit, in cuncta autem terra Aegypti erat panis. Qua esuriente clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens. Quibus ille respondit, Ite ad Ioseph: & quicquid ipse vobis dixerit, facite. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Aegyptijs: nam & illos oppresserat fames. Omnesque prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent escas: & malum inopiæ temperarent.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios.

c. 41.

Lectio secunda.

- c. 13. **S**†I linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest. Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas nunquam excidit: siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuauit quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.]
- c. 14. **d** tamini charitatem, æmulamini spiritualia: magis autem vt prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit: spiritu autem loquitur mysteria, nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhorta-

tionem, & consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, ecclesiam Dei, ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi interpretetur vt ecclesia ædificationem accipiat.

Ex serm. sancti Leonis papæ. L. iij.

PEr omne ergo hoc tempus, dilectissimi, quod inter resurrectionem & ascensionem domini exactum est, hoc prouidentia Dei curauit, hoc docuit, hoc suorum & oculis insinuauit, & cordibus, vt dominus Iesus vere agnosceretur resuscitatus, qui vere erat natus, & passus, & mortuus. Vnde beatissimi apostoli, omnesque discipuli, qui & de exitu crucis fuerant trepidi, & de fide resurrectionis ambigui, ita sunt in veritate perspicua roborati, vt domino in cœlorum eunte sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. Et reuera magna erat, & ineffabilis causa gaudendi cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis naturam conscenderet supergressura angelicos ordines, & vltra archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura: nisi æterni patris recepta consensu illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio. Quia igitur Christi ascensio nostra est prouectio, & quo processit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis, dignis dilectissimi, exultemus gaudijs, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetrauimus, ampliora adepti

per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus inuidiam.

☞ *Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.*

- c. 42. **A**Vdiens autem Iacob quod alimenta venderentur in Aegypto, dixit filijs suis, Quare negligitis? audiui quod triticum venundetur in Aegypto: descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia. Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta in Aegypto, Benjamin domi retento a Iacob, qui dixerat fratribus eius, Ne forte in itinere quicquam patiatur mali: ingressi sunt terram Aegypti cum alijs qui pergebant ad emendum, erat autem fames in terra Chanaan. Et Ioseph erat princeps in terra Aegypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos, Vnde venistis? Qui responderunt, De terra Chanaan: vt emamus victui necessaria. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est agnitus ab eis. Recordatusque somniorum quæ aliquando viderat, ait ad eos, Exploratores estis: vt videatis infirmiora terræ venistis. Qui dixerunt, Non est ita domine, sed serui tui venerunt vt emerent cibos. Omnes filij vnus viri sumus: pacifici venimus, nec quicquam famuli tui machinantur mali. Quibus ille respondit, aliter est: immunita terræ huius considerare venistis.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

- c. 14. **N**Vnc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia, siue

cithara: nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba: quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis: quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa vt puta genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. Sic & vos quoniam æmulatores estis spirituum: ad ædificationem ecclesiæ quærite vt abundetis. Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interprete- tur. Nam si orem lingua, spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Cæterum si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit, Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor. Sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam: quam decem millia verborum in lingua. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote. In lege scriptum est, Quoniam in alijs linguis & labijs alijs loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit dominus. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. Si ergo conueniat vniuersa ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles: nonne dicent quod insanitis? Si autem omnes prophetent,

intret autem quis infidelis vel idiota: conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta enim cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.

Sermo sancti August. episc. Lectio. iiij.

Saluator noster, dilectissimi fratres, ascendit in cœlum: non ergo turbemur in terra. Ibi sit mens, & hic erit requies. Ascendamus cum Christo interim corde, vt cum dies promissus aduenerit, sequamur & corpore. Scire tamen debemus fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, non auaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Et ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia & peccata deponere, Omnia enim quasi quibusdam compedibus nos premunt: & peccatorum nos retibus ligare contendunt. Et ideo cum Dei adiutorio, secundum quod ait psalmista, dirumpamus vincula eorum: vt securi possimus dicere domino, Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis. Resurrectio domini spes nostra est. Ascensio domini glorificatio nostra est. Ascensionis hodie solennia celebramus. Si ergo recte, si fideliter, si sancte, si pie ascensionem domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus. Ascendentes autem non extollamur: nec de nostris quasi de proprijs meritis præsumamus. Sursum enim corda habeamus, sed ad dominum. Sursum enim cor non ad dominum superbia vocatur. Sursum autem cor ad dominum, refugium vocatur. Videte fratres magnum miraculum. Altus est Deus. Erigis te, & fugit a te. Quare hoc? Quia excelsus est, & humilia respicit: & alta a longe

cognoscit.

¶ Feria. iiij. ex Genesi. Lectio. j.

AT illi dixerunt, duodecim, in- c. 42.
quiunt, serui tui fratres sumus, filij viri vnus in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super. Hoc est, ait, quod loquutus sum, exploratores estis iam nunc experimentum vestri capiam. per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Mittite ex vobis vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur, quæ dixistis vtrum vera an falsa sint: alioquin, per salutem Pharaonis exploratores estis. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. Die autem tertio eductis de carcere, ait, Facite quæ dixi, & viuētis: Deum enim timeo. Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras, & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt vt dixerat, & loquuti sunt ad inuicem, Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. E quibus vnus Ruben, ait, Nunquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerum: & non audistis me? en sanguis eius exquiritur. Nesciebant autem quod intelligeret Ioseph: eo quod per interpretem loqueretur ad eos. Auertitque se parumper, & fleuit: & reuersus loquutus est ad eos. Tollensque Simeon, & ligans, illis præsentibus, iussit ministris vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibarijs in via: qui fecerunt ita.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios.

Lectio secunda.

- c. 14. **Q**uid ergo est fratres? cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur: secundum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretatur. Si autem non fuerit interpret taceat in ecclesia, sibi autem loquatur & Deo. Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quod si alij reuelatum fuerit sedenti: prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare: vt omnes discant, & omnes exhortentur: & spiritus prophetarum, prophetis subiecti sunt. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus ecclesijs sanctorum doceo. Mulieres in ecclesijs taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri, loqui in ecclesia. An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit? Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quod domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeste & secundum ordinem fiant in vobis. †
- c. 15. Notum autem vobis facio fratres euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini. qua ratione prædicauerim vobis si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas,

& quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundum scripturas: & quia visus est Cephæ & post hoc vndecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde apostolis omnibus. Nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. Ego enim sum minimus apostolorum: qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit,] sed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Siue enim ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis.

Sermo sancti Augustini episc. L. iij.

Ascensionis domini nostri Iesu Christi sanctus dies & solennis hodie illuxit: exultemus & lætemur in ea. Christus descendit, inferna patuerunt: Christus ascendit, superna claruerunt: Christus in ligno pependit, insultent furentes. Christus in sepulchro, mentiantur custodes. Christus in inferno, visitentur quiescentes. Christus in cœlo, credant omnes gentes. Ipse ergo debet esse author nostri sermonis, qui est largitor nostræ salutis. Non de alio aliquo loquamur vobis, nisi de illo qui modo ex Euangelio loquebatur omnibus nobis. Et ascensurus ad patrem, dicebat discipulis suis, Hæc loquutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum. Paracletus autem spiritus veritatis, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & commonebit vos omnia quæ dixi. Non turbetur cor vestrum neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, vado ad patrem meum, quia, pater maior me est.

Ɔ *Feria. v. ex Genesi. Lectio. j.*

c. 42.

AT illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt. Apertoque vnus sacco vt daret iumento pabulum in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, dixit fratribus suis, Reddita est mihi pecunia mea, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique mutuo, dixerunt, Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus? Veneruntque ad Iacob patrem suum in terra Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes, Loquutus est nobis dominus terræ dure, & putauit nos exploratores esse prouinciæ. Cui respondimus, Pacifici sumus, nec vllas molimur insidias. Duodecim fratres vno patre geniti sumus: vnus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan. Qui ait nobis, Sic probabo quod pacifici sitis, Fratrem vestrum vnum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite, fratremque vestrum minimum adducite ad me, vt sciam quod non sitis exploratores, vt istum qui tenetur in vinculis, recipere possitis, ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam. His dictis cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisque simul omnibus, dixit pater Iacob, Absque liberis me esse fecistis. Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt. Cui respondit Ruben, Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituam. At ille, Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater eius mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei aduersi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad in-

feros.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

SI autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis: quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra, inuenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quod suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt: neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra: adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium. quoniam quidem per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ, Christus: deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem, Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissime autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit pedibus eius. Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei: sine dubio, præter eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit

c. 15.

sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis? Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior, propter vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu domino nostro. Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi: quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Sermo sancti Augustini episc. L. iij.

OMnia, charissimi, quæ dominus Iesus Christus in hoc mundo sub fragilitate nostra miracula edidit, nobis proficiunt. Qui dum humanam conditionem syderibus importauit, cælum credentibus patere posse monstrauit. Et dum victorem mortis in cœlestia eleuauit, victorem eiusdem mortis quo sequamur ostendit. Ascensio ergo domini catholicæ fidei confirmatio fuit: vt securi in posterum crederemus miraculi illius donum, cuius iam in præsentem percipissemus effectum. Et fidelis quisque cum iam tanta perceperit. per ea quæ agnoscit præstita, discat sperare promissa: ac Dei sui præteritam præsentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem. Super excelsa ergo cœli terrenum corpus imponitur: ossa intra sepulchri angustias paulo ante conclusa, angelorum cœtibus inferuntur. In gremio immortalitatis mortalis natura transfunditur. Et ideo sacra apostolicæ lectionis testatur historia, Cum hæc dixisset (inquit) videntibus illis eleuatus est. Cum audis eleuatum, agnosce militiæ cœlestis obsequium vnde hodierna festiuitas hominis nobis & Dei sacramenta

manifestat, sub vna eademque persona. In eo qui eleuat diuinam potentiam: in eo autem qui eleuatur, humanam agnosce substantiam.

¶ Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.

INterim fames omnem terram vehementer premebat. Consumptisque cibis, quos ex Aegypto detulerant, dixit Iacob ad filios suos, Reuertimini, & emite nobis pauxillum escarum. Respondit Iudas, Denuntiauit nobis vir ille sub attestacione iurisiurandi, dicens, Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria. Si autem non vis, non ibimus, vir enim, vt sæpe diximus, denuntiauit nobis, dicens. Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. Dixit eis Israel, In meam hoc fecistis miseriam, vt indicaretis ei & alium habere vos fratrem. At illi responderunt, Interrogauit nos homo per ordinem, nostram progeniem: si pater viueret, si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequenter iuxta id quod fuerat sciscitatus: nunquid scire poteramus quod dicturus esset? Adducite fratrem vestrum vobiscum. Iudas quoque dixit patri suo, Mitte puerum mecum, vt proficiscamur, & possimus viuere: ne moriamur nos & paruuli nostri. Ego suscipio puerum: de manu mea require illum: nisi redduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Si non intercessisset dilatio, iam vice alter venissemus. Igitur Israel pater eorum dixit ad eos, Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera: modicum resinæ & mellis & storacis, stactis, & terebinthi, & amy-

dalarum. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum, & illam quam inuenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit. Sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placibilem: & remittat vobiscum fratrem vestrum, quem tenet in vinculis, & hunc Benjamin: Ego autem quasi orbatus absque liberis ero.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

- c. 15. **E**Vigilate iuste: & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reuerentiam vobis loquor. Sed dicit aliquis, Quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore venient? Insiptens tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum: vt puta tritici aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, alia autem volucrum, alia piscium. Et corpora cœlestia, & corpora terrestria, sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione: surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: surget in gloria. Seminatur in infirmitate: surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est & corpus spirituale, sicut scriptum est, Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale:

deinde quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. † Ecce mysterium **E** vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem: & mortale hoc, induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis, peccatum est: virtus vero peccati, lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum.] Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere domini semper: scientes quod labor vester non est inanis in domino.

Ex sermone sancti Aug. episc. L. iij.

IDeoque omnibus modis detestanda sunt venena orientalis erroris: qui impia nouitate præsumit asserere filium Dei ac filium hominis vnus esse naturæ. In alterutra enim parte vel qui solum hominem fuisse dixerit negabit conditoris gloriam: vel qui solum Deum, negabit misericordiam redemptoris. Quo genere, non facile Arrianus euangelicam poterit habere veritatem, vbi filium Dei nunc æqualem legimus, nunc minorem. Qui enim vnus naturæ saluatorem nostrum mortifera persua-

sione crediderit, solum hominem, aut solum Deum cogetur dicere crucifixum. Sed non ita est, Mortem enim nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset. Nos ergo nouerimus in Christo duplicem geminamque substantiam. De patre cœlestem, de matre terrenam. Quam vtranque in vno eodemque redemptore suis promptum est testimonijs explicare. Quasi homo dicebat, Quia pater maior me est: sed idem quasi Deus pronuntiabat, Ego & pater vnum sumus. Quasi homo dicebat, Tristis est anima mea vsque ad mortem: sed quasi Deus fiducialiter loquebatur, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Quasi homo in cruce pendebat sed quasi Deus regnum cœleste donabat.

☞ **Sabbato ex Genesi. Lectio. j.**

- c. 43. **T**ulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Benjamin, descenderuntque in Aegyptum, & steterunt coram Ioseph. Quos cum ille vidisset, & Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens, Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue conuiuium: quoniam hodie mecum sunt comesturi meridie. Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum. Ibique exterriti, dixerunt mutuo. Propter pecuniam quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus: vt deuoluat in nos calumniam, & violenter subiciat seruituti & nos, & asinos nostros. Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem locuti sunt, Oramus domine, vt audias nos. Iam ante descendimus vt emeremus escas. Quibus emptis, cum venissemus ad diuersorium, aperuimus saccos nostros, & inuenimus pecuniam in ore sacco-

rum, quam nunc eodem pondere reportauimus. Sed & aliud attulimus argentum, vt emamus quæ nobis necessaria sunt: non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupijs nostris. At ille respondit, Pax vobiscum, nolite timere. Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris: nam pecuniam quam dedistis mihi probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon. Et introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum. Illi vero parabant munera, donec ingredretur Ioseph meridie. Audierant enim quod ibi comesturi essent panem. Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis: & adorauerunt proni in terram. At ille clementer resalutatis eis, interrogauit eos dicens: Sanusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc viuuit? Qui responderunt, Sospes est seruus tuus pater noster, adhuc viuuit. Et incuruati, adorauerunt eum.

Ex epistola prima Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

DE collectis autem quæ fiunt in sanctos sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam sabbati vnusquisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei beneplacuerit: vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem. Quod si dignum fuerit vt ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo vel etiam hyemabo: vt vos me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos modo in

c. 16.

transitu videre, spero enim me aliquantum temporis manere apud vos: si dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum & euidentis: & aduersarij multi. Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos: opus enim domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat, deducite autem illum in pace: vt veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre, vobis notum facio, quoniam multum rogauit eum, vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas eius vt nunc veniret, veniet autem cum ei vacuum fuerit. Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini: omnia vestra in charitate fiant. Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici quoniam sunt primitiæ Achaïæ, & in ministerium sanctorum ordinauerunt seipsos: vt & vos subditis eiusmodi, & omni cooperanti & laboranti. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt, refecerunt enim & meum spiritum & vestrum. Cognoscite ergo qui eiusmodi sunt. Salutant vos omnes ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in domino multum Aquila, & Priscilla cum domestica sua ecclesia, apud quos & hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in oculo sancto. Salutatio, mea manu Pauli. Si quis non amat dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema: maranatha. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum. Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.

Secundum Ioannem. Lectio iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis c. 14. suis, Si diligitis me, mandata mea seruare: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. **Et reliqua.**

Homilia sancti Augustini episc.

Audiuimus fratres cum euangelium legere, dominum dicentem, Si diligitis me, mandata mea seruare: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Multa sunt quæ in istis paucis verbis domini requirantur. Sed multum est ad vos, vel omnia quæ hic quærenda sunt quærere, vel omnia quæ hic quærimus inuenire. Veruntamen quantum nobis dominus donare dignatur, pro nostra & vestra capacitate, quid dicere debeamus, & quid discere & audire debeatis attendite: per nos, charissimi, quod possumus sumite: & ab illo quod non possumus, poscite. Spiritum paracletum Christus promisit apostolis. Quomodo autem promiserit, aduertamus. Si diligitis me (inquit) mandata mea seruare: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Hic est vtique in trinitate spiritus sanctus, quem patri & filio consubstantiali & coæternum & coæqualem fides catholica confitetur.

¶ Si in die Pentecostes inciderit festum simplex, omittitur omnino, si autem inciderit infra octauam, fit commemoratio de eo in fine Primæ, vt dictum fuit in dominica prima aduentus. Si vero fuerit duplex, transferendum est post octa.

C Festum Pentecostes, duplex maius.
Ad vesperas Hymnus.

Veni creator spiritus,
Mentes tuorum visita:

Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Qui paracletus diceris,
Donum Dei altissimi:
Fons viuus, ignis, charitas,
Et spiritualis vnctio.

Tu septiformis muere,
Dextræ Dei tu digitus:
Tu rite promisso patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostra corporis,
Virtute firmans perpeti.

Hostem replaas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te præuio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da patrem,
Noscamus atque filium:
Te vtriusque spiritum,
Credamus omni tempore.

Gloria patri domino,
Natoque qui a mortuis
Surrexit, ac paracleto,
In seculorum secula. Amen. **An.** Non
vos relinquam orphanos, Haleluiah,
vado & venio ad vos, Haleluiah: &
gaudebit cor vestrum: Haleluiah. **Ora-
tio.**

DEus, qui hodierna die fidelium
corda sancti spiritus illustratione
docuisti: da nobis in eodem spiritu
recta sapere, & de eius semper consola-
tione gaudere: Per. in vnita. **Ad matu.
inui.**

Haleluiah, Spiritus domini repleuit
orbem terrarum. Venite adore-
mus. Haleluiah. **Hym.**

IAm Christus astra ascenderat,
Reuersus vnde venerat:
Promissum patris munere,
Sanctum daturus spiritum.

Solennis vrgebat dies,
Quo mystico septemplici:
Orbis volutus septies,
Signat beata tempora.

Dum hora cunctis tertia,
Repente mundus intonat:
Orantibus Apostolis,
Deum venisse nuntiat.

De patris ergo lumine,
Decorus ignis almus est:
Qui fida Christi pectora,
Calore verbi compleat.

Impleta gaudent vespera,
Afflata sancto spiritu:
Voces diersas intonant,
Fantur Dei magnalia.

Ex omni gente Cogniti,
Græcis, Latinis, Barbaris:
Cunctisque admirantibus,
Linguis loquuntur omnium,

Iudæa tunc incredula,
Vesana toruo spiritu:
Ructare musti crapulam,
Alumnos Christi concrepat.

Sed signis, & virtutibus,
Occurrit, & docet Petrus:
Falsa profari perfidos,
Iohele teste comprobant.

Gloria patri domino. &c. **vt supra,
& sic terminantur omnes hymni in om-
nibus horis vsque ad Dominicam Trini-
tatis exclusiue. Antiphona.** Factus est
repente de coelo sonus aduenientis spir-
itus vehementis, Haleluiah, haleluiah.
Ex Iohel propheta. Lectio. j.

NOli timere terra: exulta & lætare, ca.
quoniam magnificauit dominus 2.
vt faceret. Nolite timere animalia re-
gionis: quia germinauerunt speciosa
deserti, quia lignum attulit fructum

A suum: ficus & vinea dederunt vir-
 tutem suam. † Et filij Sion exul-
 tate, & lætamini in domino Deo ve-
 stro: quia dedit vobis doctorem iusti-
 tiæ, & descendere faciet ad vos im-
 brem matutinum & serotinum sicut in
 principio. Et implebuntur aræ fru-
 mento, & redundabunt torcularia vino
 & oleo. Et reddam vobis annos quos
 comedit locusta, bruchus, & rubigo,
 & eruca, fortitudo mea magna, quam
 misi in vos. Et comedetis vescentes,
 & saturabimini: & laudabitis nomen
 domini Dei vestri, qui fecit mirabilia
 vobiscum, & non confundetur popu-
 B lus meus in sempiternum.] Et scietis
 quia in medio Israel ego sum: & ego
 dominus Deus vester, & non est am-
 plius: & non confundetur populus meus
 in æternum. Et erit post hæc † ef-
 C fundam spiritum meum super omnem
 carnem: & prophetabunt filij vestri &
 filiæ vestræ: senes vestri somnia som-
 niabunt, & iuvenes vestri visiones vide-
 bunt. Sed & super seruos meos & an-
 cillas in diebus illis effundam spiritum
 meum. Et dabo prodigia in cœlo, & in
 terra, sanguinem, & ignem, & vaporem
 fumi. Sol conuertetur in tenebras, &
 luna in sanguinem: antequam veniat
 dies domini magnus & horribilis. Et
 erit: omnis qui inuocauerit nomen do-
 D mini, saluus erit:] quia in monte Sion,
 & in Ierusalem erit saluatio, sicut dixit
 dominus, & in residuis quos dominus
 vocauerit.

Acta Apostolorum. Lectio. ij.

c.1.a **P**†Rimum quidem sermonem feci de
 omnibus, o Theophile, quæ cœpit
 Iesus facere, & docere, vsque in diem
 qua præcipiens Apostolis per Spiritum
 sanctum, quos elegit, assumptus est:
 quibus & præbuit seipsum viuum post
 passionem suam in multis argumentis,

per dies quadraginta apparens eis, &
 loquens de regno Dei. Et conuescens,
 præcepit eis, ab Ierosolymis ne disced-
 erent, sed expectarent promissionem
 patris, quam audistis (inquit) per os
 meum: quia Ioannes quidem baptizauit
 aqua, vos autem baptizabimini spiritu
 sancto non post multos hos dies. Igitur
 qui conuenerant, interrogabant eum,
 dicentes. Domine, si in tempore hoc
 restitues regnum Israel? Dixit autem
 eis, Non est vestrum nosse tempora
 vel momenta, quæ pater posuit in sua
 potestate: sed accipietis virtutem supe-
 ruenientis spiritus sancti in vos, & eri-
 tis mihi testes in Ierusalem, & in omni
 Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum
 terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus
 illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum
 ab oculis eorum. Cumque intuerentur
 in cœlum euntem illum: ecce duo viri
 astiterunt iuxta illos in vestibus albis,
 qui & dixerunt, Viri Galilæi, Quid hic
 statis aspicientes in cœlum? hic Iesus
 qui assumptus est a vobis in cœlum,
 sic veniet, quemadmodum vidistis eum
 euntem in cœlum.] Tunc reuersi sunt **B**
 Ierosolymam a monte qui vocatur Oli-
 ueti, qui est iuxta Ierusalem, sabbati
 habens iter. Et cum introissent in
 coenaculum, ascenderunt vbi manebant
 Petrus & Ioannes, Iacobus, & Andreas,
 Philippus, & Thomas, Bartholomæus,
 & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Si-
 mon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes
 erant perseuerantes vnanimiter in ora-
 tione & obsecratione cum mulieribus, &
 Maria matre Iesu, & fratribus eius.

Secundum Ioannem. Lectio iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis **c. 14.**
 suis, Si quis diligit me, sermonem
 meum seruabit. Et pater meus diligit
 eum: & ad eum veniemus, & man-
 sionem apud eum faciemus.

Et rel. Hom. sancti Grego. papæ.

Libet, fratres mei charissimi, euangelicæ verba lectionis sub breuitate transcurrere: vt post diutius liceat in contemplatione tantæ solennitatis immorari. Hodie nanque spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutauit: & foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia. Quia dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suauiter arserunt. Ipse nanque spiritus sanctus, amor est. Vnde & Ioannes dicit, Deus charitas est. Qui ergo mente integra Deum desiderat, profecto iam habet quem amat. Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum, quem diligit, non haberet. Sed ecce, si vnusquisque vestrum requiritur, an diligat Deum: tota fiducia & secure mente respondet, Diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis, quid Veritas dixit, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis. Hinc in epistola sua idem Ioannes dicit, Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Vere etenim Deum diligimus, si mandata eius custodimus: si nos a nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profecto Deum non amat: quia ei in sua voluntate contradicit.

Ad laudes an. Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata remittuntus eis, Haleluiah. **Oratio.** Deus qui hodierna. &c. **vt supra.** **Ad vespertas hymnus.** Veni creator. &c. **vt supra antiphona.** Hodie completi sunt dies Pentecostes, Haleluiah: hodie spiritus sanctus in igne discipulis apparuit, & tribuit eis charismatum dona: misit

eos in vniuersum mundum prædicare, & testificati. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Haleluiah.

☩ **Notandum, quod inuita, hymni, & antiphonæ huius diei dicuntur vsque ad dominicam Trinitatis exclusiue.**

☩ **Feria secunda de octaua, duplex maius, ex Genesi. Lectio. j.**

AT tollens autem Ioseph oculos, c. 43.

vidit Benjamin fratrem suum vterinum, & ait, Iste est frater vester paruulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum, Deus, inquit, misereatur tui, fili mi. Festinauitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erumpebant lachrymæ: & introiens cubiculum fleuit. Rursumque lota facie egressus, continuit se, & ait, Ponite panes. Quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus. Ægyptij quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptijs comedere cum Hebræis, & prophanum putant huiusmodi conuiuium) sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur nimis sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorque pars venit Benjamin, ita vt quinque partibus excederet. Biberuntque & inebriati sunt cum eo. Præcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ, dicens, Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere: & pone pecuniam singulorum in summitate sacci. Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris, factumque est ita. Et orto mane, dimissi sunt cum asinis suis.

c. 44.

c. 44.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

IN diebus his † exurgens Petrus in medio fratrum dixit. (Erat autem turba hominum simul, fere centum vig-

inti) Viri fratres, oportet impleri scripturam quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum: qui connumeratus erat in nobis, & sortitus erat sortem ministerij huius. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem: ita vt appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis: Scriptum est enim in libro Psalmorum. Fiat commoratio eorum deserta: & non sit qui inhabitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Iesus, incipiens a baptisate Ioannis vsque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Mathiam. Et orantes, dixerunt, Tu domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim

c.2.a

Apostolis.] † Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis prout Spiritus sanc-

tus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur, adinuicem dicentes, Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Capadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

Secundum Ioannem. Lectio iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnes qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. **Et rel.**

c. 14.

Homilia sancti Augustini episc.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum, sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur a morte ad vitam temporalem: hi autem vt habeant vitam æternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem & rem ipsam. Figura præstabat vitam temporalem: res ipsa, cuius figura illa erat, præstat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus

per ipsum. Ergo quantum in medico est sanare venit ægrotum. Sed ipse se interimit, qui præcepta medici obseruare non vult. Venit saluator dictus est mundi, nisi vt saluet mundum, non vt iudicet mundum? Saluari non vis ab ipso? ex teipso iudicaberis. Et quid dicam, iudicaberis? Vide quid ait, Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit: quid dicturum speras aut quid dicturus erat, nisi iudicatur? Iam (inquit) iudicatus est. **Te** deum. **Oratio.**

DEus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum: vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem. Per. in vnitatem eiusdem.

¶ Feria. iij. de oct. du. ex Ge. L. j.

- c. 44. **I**Amque urbem exierant, & processerant paululum: tunc Ioseph accersito dispensatore domus: ait, Surge, inquit, & persequere viros, & apprehensis dicito, Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis. Fecit ille vt iusserat. Et apprehensis per ordinem, locutus est. Qui responderunt, Quare sic loquitur dominus noster, vt serui tui tantum flagitij commiserint? Pecuniam quam inuenimus in summitate saccorum, reportauimus ad te de terra Chanaan: & quomodo consequens est, vt furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? Apud quemcunque fuerit inuentum seruorum tuorum, quod quæris, moriatur, & nos erimus serui domini nostri. Qui dixit eis, Fiat iuxta vestram sententiam: apud quemcunque fuerit inuentus, ipse sit seruus meus, vos autem eritis innoxij. Itaque festinato deponentes in terram saccos, ape-

ruerunt singuli. Quos scrutatus, incipiens a maiore vsque ad minimum, inuenit scyphum in sacco Benjamin. At illi scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reuersi sunt in oppidum. Primusque Iudas cum fratribus ingressus est ad Ioseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum pariter in terram corruerunt. Quibus ille ait, Cur sic agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? Cui Iudas, Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut iuste poterimus obtinere? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum: en omnes serui sumus domini mei, & nos & apud quem inuentus est scyphus. Respondit Ioseph, Absit a me vt sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus, vos autem abite liberi ad patrem vestrum.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

STupebant autem omnes & mirabantur, adinuicem dicentes, Quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant, Musto pleni sunt isti. † Stans autem Petrus cum vndecim leuauit vocem suam, & locutus est eis, Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est quod dictum est per prophetam Iohel, Et erit in nouissimis diebus, dicit dominus: effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in caelo sursum, & signa in terra deorsum, san-

guinem & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies domini magnus & manifestus. Et erit: omnis quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit.] Viri Israelitæ, audite verba hæc, Iesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus & prodigijs & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis: quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Daudid enim dicit in eum, Prouidebam dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commouear propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: & replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Daudid, quoniam & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos, vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius: prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta a patre effudit hoc donum, quod vos videtis, & auditis. Non enim Daudid ascendit in cœlum: dicit autem ipse,

Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia & dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.

Secundum Ioannem. Lectio iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis, Amen amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. *Et rel.*

Homilia sancti Augustini episc.

Dominus Iesus similitudinem proposuit in hodierna lectione de grege suo, de ostio quo intratur ad ouile. Dicant ergo pagani, vel Iudæi, vel hæretici, Bene viuimus. Si per ostium non intrant: quid eis prodest? vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodesse bene viuere, vt detur ei semper viuere. Nam cui non datur semper viuere: quid prodest bene viuere? Quia nec bene viuere dicendi sunt, qui finem bene viuendi, vel cæcitate nesciunt, vel per inflatione contemnant. Non est autem cuiquam spes vera & certa semper viuendi, nisi agnoscat vitam quæ est Christus, & per ianuam intret in ouile. Quærunt ergo plerunque tales homines etiam persuadere hominibus, vt bene viuant, & Christiani non sint. Per aliam partem volunt ascendere, rapere, & occidere: non vt pastor conseruare atque saluare. Fuerunt ergo quidam philosophi de virtutibus, & vitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, deffinientes, ratiocinationes, acutissimos syllogismos concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes: qui etiam dicere auferent hominibus, Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate viuere: sed non intrant

per ostium: perdere volebant, mactare & occidere. **Te deum. Oratio.**

ADsit nobis domine quæsumus virtus spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis. Per. in vnita.

¶ Feria. iiii. de octa. ex Gen. L. j.

c. 44.

Accedens autem propius Iudas, confidenter ait, Oro domini mi, loquatur seruus tuus verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo. tu es enim post Pharaonem dominus meus. Interrogasti prius seruos tuos, Habetis patrem, aut fratrem? & nos respondimus tibi domino meo, Est nobis pater senex, & puer paruulus, qui in senectute illius natus est, cuius vterinus frater mortuus est: & ipsum solum habet mater sua, pater vero tenere diligit eum. Dixistique seruis tuis, Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum. Suggessimus domino meo, Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur. Et dixisti seruis tuis, Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narrauimus ei omnia quæ loquutus est dominus meus. Et dixit pater noster, Reuertimini, & emite nobis parum tritici. Cui diximus, Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri. Ad ille respondit, Vos scitis quod duos genuerit mihi vxor mea. Egressus est vnus, & dixistis, Bestia deuorauit eum & hucusque non comparet. Si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Igitur si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, & puer defuerit,

cum anima illius ex huius anima depredeat, videritque eum non esse nobiscum, morietur, & deducet famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. Ego proprie seruus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spondi dicens, Nisi reduxero eum: peccati reus ero in patrem meum omni tempore. Manebo itaque seruus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis. Non enim possum redire ad patrem absente puero: ne calamitatis quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

His autem auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos apostolos, Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos, Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui longe sunt, quoscunque aduocauerit dominus Deus noster. Alijs etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens, Saluamini a generatione ista praua. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa, animæ circiter tria millia. Erant autem perseuerantes in doctrina apostolorum, & communicatione, fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & signa per apostolos fiebant in Ierusalem, & metus erat magnus in vniuersis. Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter

ca. 2.

c.3.a in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salui fierent quotidie in idipsum. † Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit, Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit, Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Et exiliens, stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore & extasi in eo quod contingerat illi.]

Secundum Ioannem. Lectio iij.

ca. 6. **I**N illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum, Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Quid est, nemo potest venire ad me, nisi qui misit me pater traxerit eum? Ille venit quem gratia Dei præuenit:

qui cum propheta dicit, misericordia eius præueniet me. Præueniet velle: subsequetur perficere. Trahit pater ad filium eos qui propterea credunt in filium, quia eum cogitant patrem habere Deum. Deus enim pater æqualem sibi genuit filium. Et qui cogitat aut in fide sua sentit & ruminat æqualem esse patri eum, in quem credit, ipsum trahit pater ad filium: Arrius credidit creaturam: non eum traxit pater: quia non considerat patrem qui filium non credit æqualem. Quid dicis, o Arri? Quid hæretice loqueris? Quid est Christus? Non (inquit) Deus verus, sed quem fecit Deus verus. Non te traxit pater. Non enim intellexisti patrem, cuius filium negas. Aliud cogitas, non est ipse filius, nec a patre traheris: nec ad filium traheris. Aliud est enim filius: aliud quod tu dicis. Fotinus dicit, Homo solus Christus est, non est Deus. Qui sic credit, non pater eum traxit. Quem pater traxit? tu es Christus filius Dei viui. Non sicut propheta, non sicut Ioannes, non sicut aliquis magnus iustus: sed sicut vnicus, sicut æqualis, tu es Christus filius Dei viui. Vide quia tractus est, & a patre tractus est. Beatus es Simon Bar iona, quia tibi non reuelauit caro & sanguis, sed pater meus qui in cœlis est: Ista reuelatio, ipsa est attractio. Te deum. **Oratio.**

Mentes nostras quæsumus domine paracletus qui a te procedit illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem. Qui tecum. in vni.

☩ **Feria. v. de octa. ex Gen. L. j.**

Non se poterat vltra cohibere Ioseph, multis coram astantibus: vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Eleuauitque vocem c. 45.

cum fletu quam audierunt Ægyptij, omnisque domus Pharaonis, & dixit fratribus suis, Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perturbati. Ad quos ille clementer. Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope, Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos. Biennium est enim quod cœpit fames in terra esse, & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitque me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missum sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti. Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei. Hæc mandat filius tuus Ioseph, Deus fecit me dominum vniuersæ terræ Ægypti: descende ad me, ne moreris, & habitabis in terra Gessem: erisque iuxta me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oves tuæ, & armenta tua, & vniuersa quæ possides. Ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne & tu pereas, & omnis domus tua: & omnia quæ possides. En oculi vestri, & oculi fratris mei Benjamin vident quod os meum loquatur ad vos. Nuntiate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Aegypto: festinate, & adducite eum ad me.

Ex actis apostolorum. Lectio. ij.

ca. 3. **C**Vm teneret autem Petrum & Ioannem: cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis: stupentes. Videns autem

Petrus, respondit ad populum. † Viri **B** Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis, & petiistis virum homicidam donari vobis: auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitauit a mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis eius, hunc quem vos videtis & nostis confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum est, dedit illi integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Deus autem quæ prænuiciauit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, impleuit sic. Pœnitementi igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra:] vt cum venerint tempora refrigerij a conspectu domini, & miserit eum qui prædicatus est vobis Iesum Christum, quem oportet quidem cœlum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium quæ loquutus est Deus per os sanctorum suorum a seculo prophetarum. Moyses quidem dixit, Quoniam prophetam suscitabit vobis dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis iuxta omnia quæcunque loquutus fuerit vobis. Erit autem: omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes prophetæ a Samuel, & deinceps qui loquuti sunt, etiam annuntiauerunt dies istos. Vos estis filij prophetarum & testamenti, quod disposuit Deus ad pa-

C

tres nostros, dicens ad Abraham, Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus suscitans filium suum, misit eum benedicientem vobis: vt conuertat se vnusquisque a nequitia sua.

Secundum Lucam. Lectio iij.

ca. 9. **I**N illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim discipulis suis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosij episc.

Qualis debet esse, qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur. Vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est subsidij secularis adminicula non requires. fideque tutus putet sibi quo minus ea requirat magis posse suppetere: quæ possunt qui volunt ad eum deriuare tractatum: vt spiritualem tantummodo locus iste videatur formare affectum. Qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate reiecta, contemptisque diuitijs, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. Quibus primo omnium datur pacis atque constantiæ generale mandatum: vt pacem ferant, constantiam seruent: hospitalis necessitudinis iura custodiant, alienum a prædicatore regni cœlestis asserens cursitare per domos & inuiolabilis hospitij iura mutare. Sed vt hospitij gratia deserenda censetur, ita etiam si non recipiantur, excutiendum puluerem: & egrediendum de ciuitate mandatur. Quo non mediocris boni remuneratio docetur hospitij: vt non solum pacem tribuamus hospitibus: verum etiam si qua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, receptis apostolicæ prædicationis vestigijs auferantur. Nec otiose secun-

dum Matthæum domus quam ingrediantur Apostoli eligenda decernitur: vt mutandi hospitij necessitudinisque violandæ causa non suppetat. Non tamen eadem cautio receptori mandatur hospitij: ne dum hospes eligitur, hospitalitas ipsa minuatur. Te deum.

Oratio.

DEus qui hodierna die. &c. vt supra in die Pentecostes.

¶ Feria. vj. de oct. ex Gen. L. j.

CVMque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui: fleuit, illo quoque similiter flente super collum eius. Osculatusque est Ioseph omnes fratres suos, & plorauit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum. Auditumque est & celebri sermone vulgatum in aula regis, Venerunt fratres Ioseph, & gauisus est Pharao, atque omnis familia eius. Dixitque ad Ioseph, vt imperaret fratribus suis, dicens, Onerantes iumenta, ite in terram Chanaan. Et tollite inde patrem vestrum & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Aegypti, vt comedatis medullam terræ. Præcipe etiam vt tollant plaustra de terra Aegypti, ad subuectionem paruulorum suorum ac coniugum: & dicit, Tollite patrem vestrum, & properate quantocyus venientes. Nec dimittatis quicquam de supellectili vestra: quia omnes opes Aegypti, vestræ erunt. Feceruntque filij Israel vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra, secundum Pharaonis imperium: & cibaria in itinere. Singulis quoque profferri iussit binas stolas: Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis: tantundem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens ei asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitijs Aegypti, & totidem asi-

nas triticum in itinere, panesque portantes.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

ca 4. **L**oquentibus autem illis ad populum, superuenerunt sacerdotes & magistratus templi & Sadducæi dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Iesu resurrectionem ex mortuis: & iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum, erat autem iam vespera. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quasi quinque millia. Factum est autem in crastinum, vt congregarentur principes eorum, & seniores, & Scribæ in Ierusalem, & Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio, interrogabant, In qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc Petrus repletus Spiritu sancto, dixit ad eos. Principes populi & seniores Israel, si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus vobis & omni plebi Israel, quod in nomine domini nostri Iesu Christi Nazareni quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Videntes autem Petri constantiam & Ioannis, comperto quod homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant: hominem quoque videntes stantem cum eis qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Iusserunt

autem eos foras extra concilium sedere: & conferebant adinuicem dicentes, Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem manifestum est: & non possumus negare. Sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et vocantes eos, denuntiauerunt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Iesu. Petrus vero & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. At illi comminantes, dimiserunt eos: non inuenientes quomodo punirent eos, propter populum: quia omnes clarificabant Deum in eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

Secundum Lucam. Lectio iij.

IN illo tempore: Factum est in vna ca. 5. dierum: & ipse Iesus sedebat docens: & erat Pharisei sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ, & Ierusalem: & virtus domini erat ad sanandum eos.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Non otiosa huius paralytici, nec angusta medicina est: quando dominus & orasse præmittitur, non vtique propter suffragium, sed propter exemplum. Imitandi enim speciem dedit, non impetrandi ambitum requisiiuit. Et conuenientibus ex omni Galilæa & Iudæa & Ierusalem legis doctoribus, inter cæterorum remedia debilium, paralytici quoque medicina describitur. Primum omnium quod ante diximus vnusquisque æger petendæ salutis precatore debet adhibere: per quos

vitæ nostræ compago resoluta, actuumque nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformatur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animi hominis, quamvis exterioris corporis debilitate torpentem, ad superiora erigant. Quorum rursus adminiculis & attollere & humiliare se possit: vt facilius ante Iesum locetur dominico videri dignus aspectu. Humilitatem enim respicit dominus: quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Quorum fidem (inquit] vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Magnus dominus qui aliorum merito ignoscit alijs: & dum alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te, o homo, collega non valeat, cum apud Deum seruus & interueniendi meritum & ius habeat impetrandi? Disce, qui iudicas ignoscere: disce, qui æger es, impetrare. **Te deum.**

Oratio.

DA quæsumus ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt sancto spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per. in vnitatem eiusdem.

¶ Sabbato, de oct. ex Gen. L. j.

c. 45. **D**Imisit ergo fratres suos & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via. Qui ascendentes ex Aegypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob. Et nuntiauerunt ei, dicentes, Ioseph filius tuus viuit: & ipse dominatur in omni terra Aegypti. Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. Illi econtra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra & vniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius, & ait: Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam, & videbo illum antequam moriar.

c. 46. Profectusque Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum iura-

menti: & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem nocte vocantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob? Cui respondit, Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, sed descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem. Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. Surrexit autem Iacob a puteo iuramenti: tuleruntque eum filij cum paruulis, & vxoribus suis in plaustris, quæ miserat Pharaon ad portandum senem, & omnia quæ possederat in terra Chanaan: venitque in Aegyptum cum omni semine suo, filij eius, & nepotes, filiæ, & cuncta simul progenies.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

DImissi autem venerunt ad suos: ca. 4. & annuntiauerunt eis quanta ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent. Qui cum audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: domine, tu es qui fecisti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes: & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim vere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxi isti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri. Et nunc domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri per

nomen sancti filij tui Iesu. Et cum orassent, motus est locus in quo erant congregati: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Ioseph autem qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum, filius consolationis) Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

Secundum Lucam. Lectio iij.

- c. 14. **I**N illo tempore: Surgens Iesus de synagoga intrauit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Vide clementiam domini Saluatoris: nec indignatione commotus, nec scelere offensus: nec iniuria violatus Iudæam deseruit. Quinetiam immemor iniuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum a spiritu nequitiae liberatum ante præmisit, & substituit foeminæ sanitatem. Vtrunque enim sexum dominus curaturus aduenerat: & prior sanari debuit, qui prior creatus est. Nec prætermitti illa debuit, quæ mobilitate

magis animi, quam prauitate peccauerat. Sabbato, dominicæ medicinæ opera cœpta significat, vt inde creatura noua cœperit, vbi vetus creatura ante desierat. Nec sub lege esse Dei filium, sed supra legem in ipso principio designaret, nec soluere legem, sed adimplere. Neque enim per legem, sed verbo factus est mundus: sicut legimus: Verbo domini cœli firmati sunt. Non soluitur ergo lex, sed impletur: vt fiat renouatio hominis iam labentis. Vnde & Apostolus ait: Expoliantes vos veterem hominem induite nouum, qui secundum Christum creatus est. Et bene sabbato cœpit: vt ipse ostenderet se creatorem, qui opera operibus intexeret, & prosequeretur opus quod cœperat. **Te deum. Oratio.**

MEntibus nostris quæsumus domine Spiritum sanctum benignus infunde: cuius & sapientia conditi sumus, & prouidentia gubernamur. Per dominum. in vnitatem eiusdem.

☩ Si in festo Trinitatis incidit fest. dup. alicuius sancti, transferendum est in sequentem diem: si autem fuerit simplex, omittitur.

☩ Festum sanctæ Trinitatis dup. maius. Ad vespas. Hymnus.

ADesto sancta Trinitas,
Par splendor, vna deitas,
Quæ extas rerum omnium,
Sine fine principium.

Te cœlorum militia,
Laudat, adorat, prædicat:
Triplexque mundi machina,
Benedicit per secula.

Adsumus & nos cernui,
Te adorantes famuli:
Vota, precesque supplicum,
Hymnis iunge cœlestium.

Gloria patri domino,
Gloria vnigenito:

Vna cum sancto spiritu,
In sempiterna secula. Amen. **An-**
tiphona. O adoranda Trinitas, o
veneranda vnitas, o perfecta deitas, tibi
laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in
sempiterna secula. **Oratio.**

OMnipotens sempiterne Deus, qui
dedisti famulis tuis in confessione
veræ fidei æternæ trinitatis gloriam
agnoscere, & in potentia maiestatis
adorare vnitatem: quæsumus, vt eius-
dem fidei firmitate, ab omnibus semper
muniamur aduersis. Per.

☩ **Dominica Trinitatis prima post Pen-**
tecosten. Ad matuti. inuit.

Sanctam Trinitatem in vnum Deum,
venite adoremus. Hymnus.
Adesto sanctam trinitas &c. vt sup.
An. Te inuocamus, te laudamus, te
adoramus o beata Trinitas.

☩ **Ex Isaia. Lectio prima.**

ca. 6. **I**N anno quo mortuus est rex
Ozias, vidi dominum sedentem super
solium excelsum & eleuatum, &
ea quæ sub ipso erant replebant tem-
plum. Seraphin stabant super illud:
sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duabus
velabant faciem eius, & duabus vela-
bant pedes eius, & duabus volabant.
Et clamabant alter ad alterum, & dice-
bant: Sanctus, Sanctus, Sanctus domi-
nus Deus exercituum, plena est omnis
terra gloria eius. Et commota sunt su-
perliminaria cardinum a voce claman-
tis, & domus repleta est fumo. Et dixi:
Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus
labijs ego sum, & in medio populi pol-
luta labia habentis ego habito, & regem
dominum exercituum vidi oculis meis.
Et volauit ad me vnus de Seraphin,
& in manu eius calculus, quem forcipe
tulerat de altari. Et tetigit os meum,
& dixit: Ecce, tetigit hoc labia tua,
& auferetur iniquitas tua, & peccatum

tuum mundabitur. Et audiui vocem
domini dicentis, Quem mittam? & quis
ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me.
Et dicit, Vade, & dices populo huic,
Audite audientes, & nolite intelligere:
& videte visionem, & nolite cognoscere.
Excæca cor populi huius, & aures eius
aggraua, & oculos eius claude: ne forte
videat oculis suis, & auribus suis au-
diat, & corde suo intelligat, & conuer-
tatur, & sanem eum.

Ex actis Apostolorum. Lectio ij.

Vir autem quidam nomine Ananias ca. 5.
cum Saphira vxore sua vendidit
agrum, & fraudauit de pretio agri,
conscia vxore sua: & afferens partem
quandam, ad pedes apostolorum po-
suit. Dixit autem Petrus ad Ananiam,
Anania, cur tentauit satanas cor tuum
mentiri te Spiritui sancto, & fraudare
de pretio agri? Nonne manens tibi
manebat, & venundatum in tua erat
potestate? Quare posuisti in corde
tuo hanc rem? Non es mentitus ho-
minibus, sed Deo. Audiens autem Ana-
nias hæc verba, cecidit, & expirauit. Et
factus est timor magnus super omnes
qui audierunt. Surgentes autem iu-
uenes amouerunt eum, & efferentes se-
pelierunt. Factum est autem quasi
horarum trium spatium, & vxor ip-
sius, nesciens quod factum fuerat, in-
troiuit. Dixit autem ei Petrus, Dic
mihi, si tanti agrum vendidistis? At
illa dixit, Etiam, tanti. Petrus autem
ait ad eam, Quid vtique conuenit vobis
tentare spiritum domini? Ecce pedes
eorum qui sepelierunt virum tuum, ad
ostium: & efferent te. Confestim ce-
cidit ante pedes eius, & expirauit. In-
trantes autem iuuenes, inuenerunt il-
lam mortuam: & extulerunt, & se-
pelierunt ad virum suum. Et fac-
tus est timor magnus in vniuersa ec-

clesia, & in omnes qui audierunt. †
 B Per manus autem apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in domino, multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eicerent infirmos & ponerent in lectulis & grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum: & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum, Ierusalem, afferentes ægros & vexatos a spiritibus immundis: qui curabantur omnes.] Exurgens autem princeps sacerdotum & omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo: & iniecerunt manus in apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Angelus autem domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit, Ite: & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. Qui cum audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.

Secundum Ioannem. Lectio iij.

- c. 15. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis qui a patre procedit: ille testimonium, perhibebit de me.

Et rel. Hom. sancti Leonis papæ.

Cum ad intelligendum dignitatem sancti spiritus aciem mentis intendimus, nihil diuersum ab excellentia patris & filij cogitemus, quia in nullo ab vnitæ sua diuinitatis essentia discrepat. Sempiternum est enim patri filij sui esse genitorum. Sempiternum est filio intemporaliter a patre esse progenitum. Sempiternum est

quoque spiritui sancto spiritum esse patre & filij: vt nunquam pater sine filio, nunquam pater & filius sine spiritu sancto fuerint. Et omnibus exclusis existentia gradibus, vt nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior. Huius enim beatæ trinitatis & incommutabilis diuinitatis vna est substantia indiuisa in opere, concors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cum sancta scriptura sic loquitur, vt aut in factis, aut in verbis aliquid assignet, quod singulis non videatur conuenire personis, non perturbatur fides catholica. Sed docetur vt per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas trinitatis: & non diuidat intellectus, quod distinguit auditus.

Ad laudes antiphona Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. *Oratio.* Omnipotens sempiternus Deus. &c. *vt supra.* *Ad vespas.* *Hymnus & Oratio vt in primis vespas an.* Te Deum patrem ingenitum, te filium vnigenitum, te spiritum paraclætum, sanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde, & ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in secula.

¶ *Feria secunda, post Dominicam Trinitatis. Si hodie nullum incidit festum, fiat officium de feria modo infrascripto.*

Ad Matutinum Inuitatorium.

Dominum qui fecit nos venite adoremus. *Hymnus.*

NOcte surgentes vigilemus omnes, Semper in psalmis meditemur, atque Viribus totis domino canamus Dulciter hymnos.

Vt pio regi pariter canentes, Cum suis sanctis mereamur aulam Ingredi cœli:

simul & beatam Ducere vitam.

Præstet hoc nobis deitas beata Patris, ac nati, pariterque sancti Spiritus, cuius reboat in omni Gloria mundo. Amen. **Antiphona.** Seruite Domine in timore, & exultate ei cum tremore.

Ex Genesi. Lectio prima.

c. 46. **H**Aec sunt autem nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum, ipse, cum liberis suis. Primogenitus Ruben Filij Ruben: Enoch & Phallu & Hesron & Charmi. Filij Simeon: Iamel & Iamin & Ahod & Iachin & Saher, & Saul filius Chananitidis. Filij Leui: Gerson & Cahath & Merari. Filij Iuda: Her & Onan & Sela & Phares & Zara mortui sunt autem Her, & Onan in terra Chanaan. Natique sunt filij Phares: Hesron & Hamul. Filij Isachar: Thola & Phua & Iob & Simeron. Filij Zabulon: Sared & Elon & Iahelel. hi filij Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriae cum Dina filia sua, omnes animæ filiorum eius & filiarum, trigintatres. Filij Gad: Sephon & Aggi & Suni & Esebon & Suni, & Heri & Arodi & Areli. Filij Aser: Iemna & Iesua & Iesui & Beria, Sara quoque soror eorum. Filij Beria: Heber & Melchiel. hi filij Zelphe, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ, & hos genuit Iacob, sedecim animas. Filij Rachel vxoris Iacob: Ioseph & Benjamin. Natique sunt Ioseph filij in terra Aegypti, quos genuit ei Aseneth filia Phutipharis sacerdotis Heliopoleos: Manasses, & Ephraim. Filij Benjamin, Bela & Betchor & Asbel & Gera & Naaman & Echi, & Ros, & Mophim, & Ophim, & Ared. hi filij Rachel quos genuit Iacob, omnes animæ quatuordecim. Filij Dan, Vsim. Filij Nephthali, Iasiel & Guni & Ieser & Sallem. Hi filij Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: & hos

genuit Iacob. omnes animæ, septem. Cunctæque animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum, & egressæ sunt de fœmore illius, absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex. Filij autem Ioseph qui nati sunt ei in terra Aegypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

ADueniens autem princeps sacerdotum & qui cum eo erant, conuocauerunt consilium, & omnes seniores filiorum Israel: & miserunt ad carcerem vt adducerentur. Cum autem venissent ministri, & aperto carcere non inuenissent illos: reuersi nuntiauerunt dicentes, Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas: aperientes autem, neminem intus inuenimus. Vt autem audierunt hos sermones magistratus templi, & principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret. Adueniens autem quidam nuntiauit eis, Quia ecce viri quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, & docentes populum. Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi: timebant enim populum, ne lapidarentur. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio. Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens, Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius? Respondens autem Petrus & Apostoli, dixerunt, Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem & saluatorem Deus exaltauit dextera

ca. 5.

sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum: & nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. Hæc cum audissent, dissecabantur: & cogitabant interficere illos. Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis vniuersæ plebi iussit foras modicum Apostolos secedere: dixitque ad illos, Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse perijt: & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Et nunc dico vobis, discedite ab hominibus istis & sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne forte & Deo repugnare videamini. Consenserunt autem illi, Et conuocantes apostolos, cæsis denuntiauerunt ne omnino loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilij quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes, & euangelizantes Christum Iesum.

☩ *Si hodie non fit officium de aliquo sancto, omittenda est tertia lectio occurrens in Calendario ex epistolis, & loco eius dicenda est sequens, quæ est de dominica præcedenti, & non potuit ibi poni propter officium Trinitatis.*

Secundum Lucam. Lectio iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Estote misericordes sicut & pater vester misericors est. ca. 6.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Intendite fratres ipsam misericordiam & iudicium. Misericordiæ tempus modo est: iudicij tempus post erit. Vnde est nunc misericordiæ tempus? Vocat modo auersos: donat peccata conuersis: patiens est super peccatores, donec conuertantur. Quandocunque conuersi fuerint, præterita obliuiscitur: futura promittit. Hortatur pigros, consolatur afflictos: docet studiosos: adiuvat dimicantes: neminem deserit laborantem & clamantem ad se. Donat vnde sibi sacrificetur: ipse tribuit vnde placetur. *Te deum. Ad lau. an.* Iubilare Deo omnis terra, cantate, & exultate, & psallite. *Oratio.*

DEUS in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris. & quia sine te nihil potest mortalium infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi. & actione placeamus. Per domi.

☩ *Hæc oratio quæ est de dominica præcedenti, dicitur hodie & duobus sequentibus diebus si fiat officium de feria. Ad vesper. hym.*

OLux beata Trinitas,
Et principalis vnitas,
Iam sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.

*Te mane laudum carmine,
Te deprecemur vespere:
Te nostra supplex gloria,
Per cuncta laudet secula.*

*Deo patri sit gloria, Eiusque soli filio:
Cum spiritu paracleto, Et nunc & in perpetuum. Amen. Antiphona.* Vespertina oratio ascendat ad te domine,

& descendat super nos misericordia tua.

☞ **Notandum, quod inuit. hymni, & antiphonæ huius feriæ dicuntur ab hac die vsque ad Aduentum, & ab octa. Epiphaniæ vsque ad Dominicam septuagesimæ, quodcumque fit officium de Dominica vel de feria.**

☞ **Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.**

- c. 46. **M**isit autem Iacob Iudam ante se ad Ioseph in Ægyptum vt nuntiaret ei, & ille occurreret in Gessen. Quo cum peruenisset, iuncto Ioseph curru suo, ascendit obuiam patri suo ad eundem locum: vidensque eum, irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit. Dixitque pater ad Ioseph, Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. At ille locutus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui, Ascendam, & nuntiabo Pharaoni: dicamque ei, Fratres mei & domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me: & sunt viri pastores ouium, curamque habent alendorum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt secum. Cumque vocauerit vos, & dixerit, Quod est opus vestrum? respondebitis, Viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsque in præsens, & nos & patres nostri. Hæc autem dicetis vt habitare possitis in terra Gessen: quia detestantur Ægyptij omnes pastores ouium.
- c. 47. Ingressus ergo Ioseph nuntiauit Pharaoni dicens, Pater meus & fratres, oues eorum & armenta & cuncta quæ possident, venerunt de terra Chanaan: & ecce consistunt in terra Gessen. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros statuit coram Rege: quos ille interrogauit, Quid habetis operis? Responderunt,

Pastores ouium sumus serui tui, & nos & patres nostri. Ad peregrinandum in terram tuam venimus: quoniam non est herba gregibus seruorum tuorum, ingrauescente fame in terra Chanaan: petimusque vt esse nos iubeas seruos tuos in terra Gessen. Dixit itaque Rex ad Ioseph, Pater tuus & fratres tui venerunt ad te. Terra Aegypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac habitare eos, & trade eis terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

IN diebus autem illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt, Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero, orationi & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Et verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. † Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga,

quæ appellatur Libertinorum, & Cirenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant a Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano: & non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.] Tunc submiserunt viros, qui dicerent se audiuisset eum dicentem verba blasphemiam in Moysen & Deum. Commouerunt itaque plebem, & seniores & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium: & statuerunt falsos testes qui dicerent, Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legem. Audiuimus enim eum dicentem quoniam Iesus Nazarenus hic, destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.

☞ **Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.**

c. 47 **P**ost hæc introduxit Ioseph patrem suum ad regem, & statuit eum coram eo: qui benedicens illi, & interrogatus ab eo, Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? respondit, Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali: & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt. Et benedicto rege egressus est foras. Ioseph vero patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco Ramesses, vt præceperat Pharaon. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis. In toto enim orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maxime Ægypti & Chanaan. E quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium regis. Cumque defecisset emptoribus precium, venit cuncta Ægyptus ad Ioseph, dicens, Da nobis

panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia? Quibus ille respondit, Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis & ouibus, & bobus & asinis: sustentauitque eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno secundo, & dixerunt ei, Non celamus domino nostro, quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus & terra nihil habemus. Cur ergo moriemur te vidente? & nos, & terra nostra tui erimus: eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Dixit autem princeps sacerdotum, c.7.a Si hæc ita se habent? Qui ait, Viri fratres & patres audite. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Caran, & dixit ad illum, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. Tunc exijt de terra Caldæorum, & habitauit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis. Et non dedit illi hæreditatem in ea nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cum non haberet filium. Locutus est autem ei Deus, Quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & male tractabunt eos annis quadringentis: & gentem cui seruerint, iudicabo ego, dicit dominus. & post hæc exhibunt: & seruient mihi in loco isto. Et dedit illi testamentum circuncisionis, & sic genuit Isaac, & circuncidit

eum die octauo: & Isaac, Iacob, & Iacob duodecim patriarchas. Et patriarchæ æmulantes, Ioseph vendiderunt in Ægyptum, & erat Deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam & sapientiam in conspectu Pharaonis regis Ægyptiorum, & constituit eum præpositum super Ægyptum & super omnem domum suam. Venit autem fames in vniuersam Ægyptum & Chanaan, & tribulatio magna: & non inueniebant cibos patres nostri. Cum audisset autem Iacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primum: & in secundo cognitus est Ioseph a fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus eius. Mittens autem Ioseph. accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque. Et descendit Iacob in Ægyptum: & defunctus est ipse & patres nostri. Et translati sunt in Sichem: & positi sunt in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti a filijs Hemor filij Sichem. Cum autem appropinquaret tempus promissionis: quam confessus erat Deus Abrahamæ, creuit populus & multiplicatus est in Ægypto, quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Ioseph. Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros: vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.

☩ **Notandum:** quod si aliquod festum duplex inciderit in die Eucharistiæ, transferendum est in sequentem diem, vt in regulis generalibus: & eodem modo fiet quando festum duplex inciderit in die octauæ: excipitur festum sancti Ioannis Baptistæ quod si in die octauæ inciderit celebrabitur eadem die, cum commem. Eucharistiæ

per Orationem tantum in vtrisque vesperis & in laudibus.

☩ **Infra octauam ver Corporis Christi quodcunque festum duplex incidet, celebrabitur eadem die cum commemoratione Eucharistiæ. si autem festum simplex inciderit in die Eucharistiæ omittitur omnino: & si inciderit infra octauam, fit commemoratio de eo in fine Primæ antequam dicatur Pretiosa.**

☩ **Festum Corporis Christi duplex maius. Ad vesper. Hym.**

PAnge lingua gloriosi
Corporis misterium:

Sanguisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus,
Ex intacta virgine:
Et in mundo conuersatus
Sparso verbi semine:
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In superemæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obseruata lege plene
Cibis in legatibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum,
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum:
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor syncerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, genitoque
Laus, & iubilatio,

Salus, honor, virtus quoque,

Sit, & benedictio:

Procedenti ab utroque

Compar sit laudatio. Amen. **An.** Sacerdos in æternum Christus dominus secundum ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit. **Oratio.**

DEus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vi. **Ad matuti. inuit.** Sanctissimum Christi Corpus venite adoremus. **Hymnus.**

Sacris solennijs iuncta sint gaudia,
SEt ex præcordijs sonent præconia:
Recedant vetera, noua sint omnia
Corda, voces, & opera.

Noctis recolitur cœna nouissima,
Qua Christus creditur agnum & azyma,
Dedisse fratribus iuxta legitima: priscis
indulta patribus,

Post agnum typicum expletis epulis,
Corpus dominicum datum discipulis,
Sic totum omnibus, quid totum singulis,
Eius fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum:
Dedit & tristibus sanguinis poculum,
Dicens, Accipite, quod trado, vasculum.

Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit,
Solis presbyteris: quibus sic congruit,
Vt sumant, & dent cæteris.

Panis angelicus, fit panis hominum,
Dat panis cœlicus figuris terminum,
O res mirabilis: manducat dominum
Pauper, seruus, & humilis.

Te trina deitas, vnaque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos quo tendimus.

Ad lucem, quam inhabitas. Amen. **An.**
Calicem salutaris accipiam, & sacrificabo hostiam laudis.

Ex libro Sapientiæ. Lectio. j.

Angelorum esca nutriuisti populum c. 16.
tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur. Nix autem, & glacies sustinebant vim ignis: & non tabescebant: vt scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluuiâ coruscans. Hoc autem iterum, vt nutrirentur iusti, ignis etiam suæ virtutis oblitus est. Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Propter hoc & tunc omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat ad voluntatem eorum qui a te desiderati sunt: vt scirent filij tui, quos dilexisti domine, quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines: sed sermo tuus hos qui in te crediderint conseruat.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Eodem tempore natus est Moyses, c.7.c
& fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuuit eum sibi in filium. Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum: & erat potens in turbis, & in operibus suis. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios Israel. Et cum vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum: & fecit vltionem ei

qui iniuriam sustinebat, percusso Aegypto. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus: & reconciliabat eos in pace, dicens, Viri fratres estis: ut quid nocetis alterutrum? Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens, Quis te constituit principem & iudicem super nos? nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium? Fugit autem Moyses in verbo isto: & factus est aduena in terra Madian, ubi genuit filios duos. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem videns, admiratus est visum. Et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox domini, dicens, Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare. Dixit autem illi dominus, Solue calceamentum pedum tuorum: Locus enim in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & descendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Aegyptum. Hunc Moysen quem negauerunt, dicens, Quis te constituit principem & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu angeli qui apparuit illi in rubo. Hic eduxit illos faciens prodigia & signa in terra Aegypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta. Hic est Moyses qui dixit filiis Israel, Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis. Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine cum angelo qui loquebatur ei

in monte Sina: & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis. Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt & auersi sunt cordibus suis in Aegyptum dicentes ad Aaron, Fac nobis Deos qui præcedant nos. Moyses enim huic: qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factum sit. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum.]

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, & turbis Iudæorum, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. ca. 6.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Cum enim cibo & potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant: hoc vere non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos a quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit, id est societas ipsa sanctorum, ubi pax erit, & vnitas plena atque perfecta. Propterea quippe sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Ex multis nanque granis vnus panis efficitur: & ex multis racemis vinum confluit. Denique iam exponit quomodo id fiat quod loquitur: & quid sit manducare corpus eius, & sanguinem bibere. Et qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Hoc est enim manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritaliter eius carnem: licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacra-

menta corporis & sanguinis Christi. Sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumit ad Christi sacramenta accedere, quæ alius non digne sumit nisi qui mundus est: de quibus dicitur, Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

Ad laudes antiphona. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, haleluiah. **Oratio.** Deus qui. **vt sup.** **Ad ves.** **Hym.** Pange lingua. **vt supra.** **Antiphona.** O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur: recolitur memoria passionis eius: mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. haleluiah.

☩ **Notandum, quod Inuitatorium, hymni, antiphonæ & Oratio huius diei dicuntur per totam octauam, nisi occurrat aliquod festum duplex, vt supra dictum fuit.**

☩ **Feria. vj. ex Genesi. Lectio. j.**

c. 47. **E**Mit igitur Ioseph omnem terram Aegypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius a nouissimis terminis Aegypti vsque ad extremos fines eius: præter terram sacerdotum quæ a rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Dixit ergo Ioseph ad populos: En, vt cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familijs & liberis vestris. Qui responderunt, Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum dominus nos-

ter, & læti seruiemus Regi. Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Aegypti, regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem: absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. Habitauit ergo Israel in Aegypto, id est in terra Gessen, & possedit eam: auctusque est & multiplicatus nimis. Et vixit in ea decem & septem annis: factique sunt omnes dies vitæ illius, centum quadraginta septem annorum. Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac: condasque in sepulchro maiorum meorum. Cui respondit Ioseph, Ego faciam quod iussisti. Et ille, Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit Israel dominum, conuersus ad lectuli caput.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Conuertit se autem Deus, & tra-
didit eos seruire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro prophetarum: Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem. Tabernaculum testimonij fuit patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen vt faceret illud secundum formam quam viderat. Quod & induxerunt, suscipientes patres nostri cum Iesu in possessionem gentium quas expulit Deus a facie patrum nostrorum vsque in diebus Dauid, qui inuenit gratiam ante Deum,

c.7.d

& petijt vt inueniret tabernaculum Deo Iacob. Salomon autem ædificauit illi domum. Sed excelsus, non in manufactis habitat, sicut per Prophetam dicit: Cœlum mihi sedes est: terra autem, scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit dominus? aut quis locus quietionis meæ est? Nonne manus mea fecit hæc omnia? Dura ceruice, & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri, & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuuntabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis: qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis.

E † Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cum autem esset plenus Spiritu sancto. intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem a dextris virtutis Dei. Et ait, Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas: & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem, Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna, Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit.] Saulus autem erat consentiens neci eius. **Lectio. iij.**

Immensa diuinæ largitatis beneficia exhibita populo christiano inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio quæ habeat Deos ap-

propinquantes sibi: sicut adest nobis Deus noster. Vnigenitus siquidem Dei filius suæ diuinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, vt homines Deos faceret, factus est homo. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus nanque suum pro nostra reconciliatione in ara Crucis hostiam obtulit Deo patri: sanguinem suum fudit in pretium simul & lauacrum, vt redempti a miserabili seruitute, a peccatis omnibus mundamur. Et vt tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum & sanguinem suum in potum sub specie panis & vini sumendum fidelibus dereliquit. O pretiosum, & admirandum conuiuium salutariferum, & omni suavitate repletum. Quid enim hoc conuiuio pretiosius esse potest? in quo non carnes vitulorum & hircorum, vt olim in lege, sed nobis Christus sumendus proponitur verus Deus. Quid hoc sacramento mirabilius? In ipso nanque panis & vinum in corpus & sanguinem Christi substantialiter conuertuntur. Ideoque Christus Deus & homo perfectus, sub modici panis specie continetur.

¶ Sabbato, ex Genesi. Lectio. j.

HIs ita transactis, nuntiatum est Ioseph, quod ægrotaret pater suus: qui assumptis duobus filijs, Manasse & Ephraim, ire perrexit. Diciturque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingresso ad se Ioseph, ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan: benedixitque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te in

possessionem sempiternam. Duo ergo filij tui qui nati sunt tibi in terra Aegypti antequam huc venire ad te, mei erunt. Ephraim & Manasses sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & sepeliui eam iuxta viam Ephrathæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Videns autem filios eius dixit ad eum: qui sunt isti? Respondit. Filij mei sunt quos donauit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, & clare videre non poterat. Applicitosque ad se, deosculatus & circumplexus eos, dixit ad Ioseph filium suum, Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

ca. 8. **F**Acta est autem in illa die persecutio magna in ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter apostolos. Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. Saulus autem deuastabat ecclesiam, per domos intrans: & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam Igitur qui dispersi erant, pertransibant, euangelizantes verbum Dei. † Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ, prædicabant illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat. Multi enim eorum, qui habebant spiri-

tus immundos clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici, & claudi, curati sunt. Factum est ergo gaudium magnum in illa ciuitate.] Vir autem quidam, nomine Simon, qui ante fuerat in ciuitate magnus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: cui auscultabant omnes a minimo vsque ad maximum dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propterea quod multo tempore magijs suis dementasset eos. Cum vero credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei: in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit: & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa & virtutes maximas fieri stupens admirabatur. † Cum autem audissent apostoli qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.] Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens. Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum. Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum: si forte remittatur tibi

hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad dominum, vt nihil veniat super me horum quæ dixistis. **Lectio. iii.**

MAnducatur itaque a fidelibus: sed minime laceratur. Quinimmo diuiso sacramento, sub qualibet diuisionis particula integer perseuerat. Accidentia etiam sine subiecto in eodem existunt: vt fides locum habeat, dum inuisibile visibiliter sumitur, aliena specie occultatum: & sensus a deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus iudicant sibi notis. Nul- lum etiam sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia inpinguatur. Offeritur in ecclesia pro viuus & mortuis: vt omnibus prosit, quod est pro salute omnium institutum. Suaui- tatem denique huius sacramenti nul- lus digne exprimere sufficit: per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, & recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstrauit excellentissimæ charitatis. Vnde vt huiusmodi arctius charitatis immensi- tas cordibus infigeretur fidelium, in vl- tima coena quando Pascha cum discip- ulis celebrato, transiturus erat de hoc mundo ad patrem. hoc sacramentum instituit tanquam passionis suæ memo- riale perenne, figurarum veterum im- pletiuum, miraculorum ab ipso facto- rum maximum, & de sua contristatis absentia solatium singulare.

Ɔ **Dominica infra octauam Corporis Christi secunda post Pentecosten, ex Genesi. Lectio. j.**

c 48. **C**Vmque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in

terram. Et posuit Ephraim ad dex- teram suam, id est ad sinistram Israel: Manassen vero in sinistra sua, ad dex- teram scilicet patris, applicuitque am- bos ad eum. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim iunioris fratris: sinistram autem su- per caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus. Benedix- itque Iacob filijs Ioseph, & ait, Deus in cuius conspectu ambulauerunt pa- tres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem, angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meo- rum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. Vi- dens autem Ioseph, quod posuisset pa- ter suus dexteram manum super ca- put Ephraim, grauiter accepit: & ap- prehensam manum patris leuare cona- tus est de capite Ephraim, & trans- ferre super caput Manasse. Dixitque ad patrem, Non ita conuenit pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. Qui renuens ait, Scio fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater eius iunior, maior erit illo: & se- men illius crescet in gentes. Benedix- itque eis in tempore illo, dicens, In te benedicetur Israel, atque dicetur, Fa- ciat tibi Deus sicut Ephraim, & si- cut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen: & ait ad Ioseph filium suum, En ego morior, & erit Deus vo- biscum, reducetque vos ad terram pa- trum vestrorum. Do tibi partem vnã extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.

Ex actis apostolorum. Lectio. ij.

ca. 8. **E**T illi quidem testificati & loquuti verbum domini, redibant Ierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant. † Angelus autem domini loquutus est ad Philippum, dicens, Surge, & vade contra meridiem, ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta. Et surgens abijt. Et ecce, vir Aethiops, eunuchus, potens Candaces reginæ Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem: & reuertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippo, Accede, & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam prophetam, & dixit, Putasne, intelligis quæ legis? Qui ait, Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum vt ascenderet, & sederet secum. Locus autem scripturæ quem legebat, erat hic, Tanquam ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit. Obsecro te, de quo propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a scriptura ista, euangelizauit illi Iesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus. Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait, Credo filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum: & descenderunt vterque in aquam, Philip-

pus, & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascendissent de aqua, spiritus domini rapuit Philippum, & amplius, non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto: & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.]

Secundum Lucam. Lectio. iij.

IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. c. 14.

Et rel. Hom. sancti Grego. papæ.

Hoc distare fratres charissimi inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales delitiæ cum non habentur, graue desiderium in se accendunt: cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales delitiæ cum non habentur, in fastidio sunt: cum vero habentur, in desiderio: tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet. In istis appetitus placet, & experientia magis placet.

¶ Feria. ij. ex Genesi. Lectio. j.

VOcauit autem Iacob filios suos, & ait eis, Congregamini, vt annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. Congregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum, Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui & maculasti stratum eius. Simeon & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, c. 49.

& in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel. Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi læna, quis suscitabit eum? Non auferetur scptum de Iuda, & dux de femore eius: donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. Zabulon in litore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem. Isachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.

Ex actis apostolorum. Lectio. ij.

c.9.a **S**†Aulus autem adhuc spirans minarum & cædis in discipulos domini, accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem. Et cum iter faceret: contigit vt appropinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi, Saule Saule, quid me persequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego sum Iesus, quem tu persequeris. durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit, Domine, quid

me vis facere? Et dominus ad eum, Surge, & ingredere ciuitatem, & dicitur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur cum illo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit neque bibit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu dominus, Anania. At ille ait, Ecce ego domine. Et dominus ad eum, Surge, & vade in vicum qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tharsensem. Ecce enim orat. Et vidit virum Ananiam nomine, intrœuntem & imponentem sibi manus vt visum recipiat. Respondit autem Ananias, Domine, audiui a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem: & hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum dominus, Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filijs Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit, Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo in synagogas prædicabat Iesum

quoniam hic est filius Dei. Stupebant autem omnes qui audiebant, & dicebant, Nonne hic est qui expugnabant in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes sacerdotum? Saulus autem multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. **Lectio. iij.**

COnuenit itaque deuotioni fidelium solenniter recolere institutionem tam salutiferi tanque mirabilis sacramenti, vt ineffabilem modum diuinæ præsentia in sacramento visibili veneremur, & laudetur Dei potentia, quæ in sacramento eodem tot mirabilia operatur. Necnon & de salubri tanque suauis beneficio exoluantur Deo debitæ gratiarum actiones. Verum & si in die cœnæ quando sacramentum prædictum noscitur institutum, inter missarum solennia de institutione ipsius specialis mentio habeatur: totum tamen residuum eiusdem diei officium ad Christi passionem pertinet, circa cuius venerationem ecclesia illo tempore occupatur. Vnde vt integro celebritatis officio institutionem tanti sacramenti solenniter recoleret plebs fidelis, Romanus pontifex Urbanus quartus huius sacramenti deuotione affectus, pie statuit præfatæ institutionis memoriam prima quinta Feria post octauam Pentecostes a cunctis fidelibus celebrari: vt qui per totum anni circulum hoc sacramento vtimur ad salutem, eius institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo spiritus sanctus corda discipulorum edocuit ad plene cognoscenda huius mysteria sacramenti. Nam & in eodem tempore cœpit hoc sacramentum a fidelibus frequentari.

¶ Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.

DAn iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Salutare tuum expectabo domine. Gad accinctus præliabatur ante eum, & ipse accingetur retrorsum. Aser pinguis panis eius: & præbebit delicias regibus. Nephtali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuideruntque illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium æternorum. fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos. Benjamin lupus rapax, mane comedat prædam, & vespere diuidet spolia. Omnes hi in tribubus Israel duodecim: hæc loquutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus proprijs. Et præcepit eis, dicens, Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis, in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo, in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet. Finitisque mandatis

quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obiit: appositusque est ad populum suum.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

ca. 9.

CVm autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentem in sporta. Cum autem venisset in Ierusalem, tentabat se iungere discipulis: & omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum, duxit ad Apostolos: & narrauit illis quomodo in via vidisset dominum, & quia loquutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu. Et erat cum illis intrans & exiens in Ierusalem, fiducialiter agens in nomine domini. Loquebatur quoque gentibus: & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognouissent fratres, dederunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tharsum. Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem & ædificabatur ambulans in timore domini: & consolatione sancti spiritus replebatur. Factum est autem, vt Petrus dum pertransiret vniuersos, deueniret ad sanctos qui habitabant Lyddæ. Inuenit autem ibi hominem quendam, nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus, Aenea, sanet te dominus Iesus Christus: surge, & sterne tibi. Et continuo surrexit. Et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ, & Saronæ: qui conuersi sunt ad dominum. In Ioppe

autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat. Factum est autem in diebus illis, vt infirmata moreretur, quam cum lauissent, posuerunt eam in cœnaculo. Cum autem prope esset Lydda ad Ioppe, discipuli audientes quod Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes, Ne pigriteris venire vsque ad nos, Exurgens autem Petrus, venit cum illis. Et cum aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit: & conuersus ad corpus, dixit, Tabitha, surge. At illa aperuit oculos: & viso Petro resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos & viduas, assignauit eam viuam. Notum autem factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in dominum. Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium. **Lectio. iij.**

LEgitur enim in actibus Apostolorum quod erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, statim post sancti spiritus missionem. Vt autem prædicta quinta Feria, & per octauas sequentes, eiusdem salutaris institutionis honorificentius agatur memoria, & solennitas de hoc celebrior habeatur. loco distributionum materialium quæ in ecclesijs cathedralibus largiuntur, existentibus canonicis horis nocturnis pariterque diurnis præfatus Romanus pontifex eis qui huiusmodi horis in hac solennitate personaliter in ecclesijs interessent,

stipendia spiritualia apostolica largitione concessit: quatenus per hæc fideles ad tanti festi celebritatem avidius & copiosius conuenirent. Vnde omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui Matutinali officio huius festi præsentialiter in ecclesia vbi celebraretur adessent, centum dies. Qui vero Missæ totidem. Illis autem qui interessent in primis Vesperis ipsius festi, similiter centum. Qui vero in secundis Vesperis, totidem. Eis quoque qui Primæ, Tertiaræ, Sextaræ, Nonaræ, ac Completorij adessent officijs, pro qualibet horarum quadraginta. Illis autem qui per ipsius festi octauas in Matutinalibus, Vespertinis, Missæ ac prædictarum horarum officijs præsentibus existerent, singulis diebus octauarum ipsarum centum dierum indulgentiam misericorditer tribuit misericorditer perpetuis temporibus duraturam.

☞ **Feria. iij. ex Genesi. Lectio. j.**

c. 50. **Q**uod cernens Ioseph, ruit super faciem patris flens & deosculans eum, Præcepitque, seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies. iste quippe mos erat cadauerum conditorum: fleuitque eum Aegyptus septuaginta diebus. Et expleto planctus tempore, loquutus est Ioseph ad familiam Pharaonis. Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis: eo quod pater meus adiurauerit me dicens, En morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me, Ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac reuertar. Dixitque ei Pharaon, Ascende, & sepeli patrem tuum sicut adiuratus es. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis,

cunctique maiores natu terræ Aegypti: domus Ioseph cum fratribus suis, absque paruulis & gregibus, absque armentis, quæ dereliquerunt in terra Gessen. Habuit quoque in comitatu currus & equites: & facta est turba non modica. Veneruntque ad aream Arad, quæ sita est trans Iordanem: vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies. Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt, Planctus magnus est iste Aegyptijs. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Aegypti. Fecerunt ergo filij Iacob sicut præceperat eis: & portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham, cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo, contra faciem Mambre.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Vir autem quidam erat in Cæsarea, c. 10. nomine Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper. Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli. At ille intuens eum timore correptus dixit, Quis es domine? Dixit autem illi, Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei: Et nunc mitte viros in Ioppem, & accerse Simonem quendam qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare. hic dicet tibi quid te oporteat facere. Et cum discessisset Angelus qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, & militem timentem dominum, ex his qui illi pare-

bant. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Ioppem. Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora, vt oraret, circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum, Surge Petre: occide & manduca. Ait autem Petrus, Absit domine: quia nunquam manducaui omne commune & immundum, Et vox iterum secundo ad eum, Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter. Et statim receptum est vas in cœlum. Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visio quam vidisset, ecce, viri qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam. Et cum vocassent, interrogabant si Simon qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. Petro autem cogitante de visione, dixit spiritus ei, Ecce viri tres quærunte te. Surge itaque & descende, & vade cum eis, nihil dubitans: quia ego misi illos. Descendens autem Petrus ad viros, dixit, Ecce, ego sum quem quæritis, quæ causa est propter quam venistis? Qui dixerunt, Cornelius centurio, vir iustus & timens Deum, & testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum, responsum accepit ab angelo sancto accersire te in domum suam, & audire verba abs te. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens, profectus est cum illis, & quidam ex

fratribus ab Ioppe comitati sunt eum. Altera autem die introiuit Cæsaream. Cornelius vero expectabat illos, conuocatis cognatis suis, & necessarijs amicis.

Lectio. iij.

HVius sacramenti figura præcesit quando manna Deus pluit patribus in deserto: qui quotidiano cœli pascebantur alimento. Vnde dictum est, Panem angelorum manducauit homo. Sed tamen illum panem qui manducauerunt, omnes in deserto mortui sunt, Ista autem esca. quam accipitis, iste panis viuus, qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam ministrat. Et quicumque hunc panem manducauerit, non morietur in æternum, quia corpus Christi est. Considera nunc vtrum panis angelorum præstantior sit, an caro Christi: qui vtique est corpus vitæ. Manna illud de cœlo, hoc super cœlum Illud cœli, hoc domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione. Quicumque religiose gustauerit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit: tibi sanguis e Christo. Illos ad horam satiauit aqua: te sanguis Christi diluit in æternum. Iudæus bibit, & sitit: tu cum biberis, sitire non poteris. Et illud in vmbra: hoc in veritate. Si illud quod miraris vmbra est: quantum istud est cuius vmbra miraris? Audi quia vmbra est quæ apud patres facta est Bibebant (inquit) de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto: hæc autem facta sunt in figura nostri. Cognouisti potiora. Potior est enim lux quam vmbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cœlo. Forte dicis,

Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam? Et hoc nobis superest vt probemus.

☩ *Feria. v. de octaua Corporis Christi dup. mi. ex Genesi. L. j.*

c. 50. **R**euersusque est Ioseph in Aegyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre. Quo mortuo, timentes fratres eius, & mutuo colloquentes. Ne forte memor sit iniuriæ quam passus est, & reddat nobis omne malum quod fecimus ei: mandauerunt ei dicentes, Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, vt seruus Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioseph, veneruntque ad eum fratres sui: & proni adorantes in terram, dixerunt, Serui tui sumus. Quibus ille respondit. Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum: vt exaltaret me sicut impræsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Nolite timere: ego pascam vos, & paruulos vestros. consolatusque est eos, & blande ac leniter est locutus. Et habitauit in Aegypto cum omni domo patris sui: vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios vsque ad tertiam generationem. Filij quoque Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph. Quibus transactis locutus est fratribus suis, Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iurauit Abraham, Isaac & Iacob. Cumque adiurasset eos, atque dixisset, Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mor-

tuus est expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Aegypto.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

ET factum est, cum introisset c. 10. Petrus, obuius venit ei Cornelius: & procidens ad pedes eius adorauit eum. Petrus vero eleuauit eum dicens, Surge, & ego ipse homo sum Et loquens cum illo, intrauit, & inuenit multos qui conuenerant, dixitque ad illos, Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem: propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me? Et Cornelius ait, Die abhinc quarto, vsque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait, Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. Mitte ergo in Ioppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. Confestim ergo misi ad te, & tu benefecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt a domino. Aperiens autem Petrus os suum, dixit, In veritate comperio quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filijs Israel, annuntians pacem per Iesum Christum: hic est omnium dominus. † vos scitis quod factum est verbum per C vniuersam Iudæam, incipiens enim a Galilæa post baptismum quod prædicauit Ioannes: Iesum a Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto

& virtute: qui pertransijt benefaciendo & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.] Et præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. † Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus. Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine domini Iesu Christi.] Tunc rogauerunt eum, vt maneret apud eos aliquot diebus. **Lectio. iij.**

Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus, hoc non esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maioremque vim esse benedictionis quam naturæ: qua etiam benedictione ipsa natura mutatur. Vnde virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis: & in virgæ naturam reuertitur. Vide igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam serpentis & virgæ? currebant

Aegypti flumina puro meatu aquarum: subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere: nec erat potus in fluuijs. rursus ad prophetæ preces cruor fluminum cessauit, & aquarum natura remeauit. Circunclusus vndique erat populus Hebræorum: hinc Aegyptijs vallatus, inde mari conclusus. Virgam leuauit Moyses, separauit se aqua, & in muri speciem se congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit. Iordanis conuersus retrorsum contra naturam in sui fontis reuertitur exordium. Nonne claret naturam vel maritimarum fluctuum, vel cursus fluuiialis aquæ esse mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram: & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, vt aquam euomeret petra, quam non habebat natura? Marath fluuius amarissimus erat, vt sitiens populus bibere non posset: Moyses misit lignum in aquam: & amaritudinem suam aquarum natura deposuit: quam infusa subito gratia temperauit. Sub Helisæo propheta vni ex filijs prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim immersum est in aquam: rogauit Helisæum qui amiserat ferrum: misit Helisæus lignum in aquam, & natauit ferrum. Vtique etiam hoc præter naturam factum cognouimus. Grauior enim est ferri species, quam aquarum liquor. Animaduertimus igitur maiorem esse gratiam, quam naturam. Et adhuc tamen propheticæ benedictionis miramur gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret: quid dicemus de ipsa consecratione diuina, vbi ipsa verba domini saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi ser-

mone conficitur.

℄ *Feria. vj. de octaua Corporis Christi Liber Exodus. Lectio. j.*

ca. 1. **H**æc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum cum Iacob: singuli cum domibus suis introierunt, Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Zabulon, & Benjamin, Dan & Nephthali, Gad, & Aser. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt, de femore Iacob, septuaginta: Ioseph autem in Aegypto erat. Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omnique cognatione sua, filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleuerunt terram. Surrexit interea rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph, & ait ad populum suum, Ecce, populus filiorum Israel multus: & fortior nobis est, Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra. Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus: ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithon, & Ramesses. Quantoque plus opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant, oderantque filios Israel Aegyptij, & affligebant illudentes eis & inuidentes. Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebræorum: quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis, Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite illum: si foemina, reseruate. Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta

præceptum regis Ægypti: sed conseruabant mares. Quibus accersitis ad se rex, ait, Quidnam est hoc quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? Quæ responderunt. Non sunt Hebrææ, sicut Aegyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obstetricibus. & creuit populus, confortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos. Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens, Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite: quicquid foemini, reseruate.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Avdierunt autem Apostoli, & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex circuncisione, dicentes, Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens, Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis meæ visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor inijs summitti de cœlo, & venit vsque ad me. In quod intuens, considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias & reptilia & volatilia cœli. Audiui autem & vocem dicentem mihi, Surge Petre, occide & manduca. Dixi autem, Nequaquam domine: quia commune aut immundum nunquam introiuit in os meum. Respondit autem vox secundo, de cœlo, Quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum est per te: & recepta sunt omnia rursus in cœlum. Et ecce, viri tres confestim astiterunt in domo in qua eram, missi a Cæsarea

c. 11.

ad me. Dixit autem spiritus mihi, vt irem cum illis, nihil hæsitans, Venerunt autem mecum & sex fratres isti: & ingressi sumus in domum viri. Narrauit autem nobis quomodo vidisset angelum in domo sua, stantem & dicentem sibi, Mitte in Ioppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba in quibus saluus eris tu, & vniuersa domus tua. Cum autem cœpisset loqui, cecidit spiritus sanctus super eos, sicut & in nos initio. Recordatus sum autem verbi domini sicut dicebat, Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credidimus in dominum Iesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis tacuerunt: & glorificauerunt Deum, dicentes, Ergo & gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam. Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Iudæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes dominum Iesum. Et erat manus domini cum eis: multusque numerus credentium conuersus est ad dominum.

Si in hac feria nullum occurrat festum, dicitur oratio sequens.

SAncti nomini tui domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis insitituis. Per domi.

☞ Sabbato, ex Exodo. Lectio. j.

ca. 2. **E**Gressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis

suæ, quæ concepit, & peperit filium, & videns eum elegantem abscondit tribus mensibus. Cumque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis stante procul sorore eius, & considerante euentum rei. Ecce autem descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cum vidisset fiscellam in Papyrione, misit vnam e famulabus suis: & allatam aperiens, cernensque in ea paruulum vagientem miserta eius, ait, De infantibus Hebræorum est hic. Cui soror pueri, Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit, Vade. Perrexit puella, & vocauit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis, Accipe, ait, puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses: dicens, Quia de aqua tuli eum.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Peruenit autem sermo ad aures ecclesie, quæ erat Ierosolymis, super istis: & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam. Qui cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est: & hortabatur omnes, in proposito cordis permanere in domino, quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide. Et apposita est multa turba domino. Profectus est autem Tarsum vt quæreret Saulum: quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia: & docuerunt turbam multam, ita

vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis prophetæ Antiochiam: & surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem prout quisque habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli.

c. 12. Eodem autem tempore † misit Herodes
 a rex manus, vt affligeret quosdam de ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehendere & Petrum. Erant autem dies Azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradensque quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autem fiebant sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum, Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dicit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est quod fiebat per angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad por-

tam. Ferream quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit, Nunc scio vere quia misit dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.]

¶ **Notandum, quod inter Pentecosten & aduentum nec possunt esse plures quam. xxviij. dominicæ, nec pauciores quam. xxiiij.** Quia tamen fere semper accidit vt legantur saltem. xxiiij. post Pente. ideo. xxiiij. quæ (vt dictum est) necessario incidunt in prædicto tempore, adiungitur quinta Vagant. & appellatur. xxiiij. post Pente. nam fere semper legitur inter. xxiiij. post Pentec. & primam aduentus. Quando ergo fuerint tamen. xxiiij. dominicæ, quod tamen rarissime eueniet: tunc. xxiij. legenda est ante septuagesimam, vt suis locis videbis. Quando autem inciderint. xxiiij. dominicæ, omnes legendæ sunt per ordinem sine vlla intermissione vsque ad aduentum. Quando vero fuerint. xxv. tunc in dominica incidenti in die sancti Ioannis Baptistæ, aut infra eius octa interpone dominicam quartam Vagant. & consequenter suam hebdomadam, qua finita reuertere ad eam dominicam post Pent. in qua desieris. Et eodem modo quando fuerint. xxvj. dominicæ, tunc in dominica incidenti in die sancti Ioan. aut infra eius octa. interponenda est tertia vagant. & in dominica incidenti in die sancti Laurentij, aut infra eius octa. interpone quartam vagant. Similiter quando fuerint xxvij. tunc in dominicis prædictis sancti Ioan. & sancti Laurentij interponendæ sunt secunda & tertia vagant. & in dominica inci-

denti in die Assumpt. virginis, aut infra eius oct. interponitur quarta vagantium. Item quando fuerint. xxvii. tunc in prædictis tribus dominicis interponuntur prima, secunda, & tertia vagan. in dominica autem incidenti in die Natiuitatis virg. aut infra eius octa. interponenda est quarta vagan. Quando vero festum omnium sanctorum inciderit in domoinica, tunc aduertendum quod quarta vagan. interponenda est in dicto festo omnium sanctorum, & non in alio ex prædictis. Et supradicta ordinanatur hoc modo, vt quo ad Euangelium tertiæ lectionis & Orationem in omnibus dominis concordet Breuiarium cum Missali In proximis tamen triginta septem annis vt libereris sollicitudine inquirendi, quæ superius dicta sunt, non erit tibi opus inspicere hanc regulam, sed in sequenti indice videbis, quid singulis annis facere debeas, qui etiam index quando tibi sit inspiciendus in prædictis festis admoneberis.

C Index dominicarum Vagantium quæ interponendæ sunt post Pent.

1563. Hoc anno die. xxvij. Iunij interpone dominicam quartam vagant. 188. & finita eius hebdomada reuertere ad dominicam quartam post Penteco.

1564. Hoc anno die. xxv. Iunij interpone dominicam secundam vagant. 171. & finita eius hebdo. reuertere ad dominicam quintam post Pente. Item die. xiiij. Augusti interpone tertiam vagan. 180. & finita eius hebdo. prosequere statim die. xx. eiusdem mensis quartam vagant. 188 & consequenter suam hebdo. deinde reuertere ad dominicam vndecimam post Pente.

1565. Hoc anno omnes vigintiquatuor dominicæ post Penteco. leguntur per ordinem sine vlla interpositione vsque

ad Aduentum.

1566. Hoc anno die. xxx. Iunij interpone dominicam. iiij. vag. 188. & finita eius hebdo reuertere ad dominicam quartam post Pente.

1567. Hoc anno in die apostolorum Petri & Pauli, interpone dominicam secundam vagant. 171. cum sua hebdomada. qua finita reuertere ad dominicam sextam post Pente. Item. x. Augusti interpone quartam dominicam vagant. 188. cum sua hebdoma. qua finita, reuertere ad dominicam. xij. post Penteco.

1568. Hoc anno omnes. xxiiij. dominicæ legendæ sunt per ordinem sine vlla interpositione vsq ad Aduentum.

1569. Hoc anno. xxvj. Iunij interpone quartam dominicam vagan. 188. cum sua hebdom. qua finita, reuertere ad dominicam quartam post Penteco.

1570. Hoc anno die. xxv. Iunij interpone secundam dominicam vagan. 171. cum sua hebdom. qua finita, reuertere ad dominicam sextam post Pentecosten. Item. xiiij. Augusti interpone dominicam tertiam vagan. 180. cum sua hebdomada, qua finita consequenter vigesima Augusti interpone quartam dominicam vagantium cum sua hebdomada: qua finita, reuertere ad dominicam xiiij. post Penteco.

1571. Hoc anno in die sancti Ioannis Baptistæ interpone quartam dominicam vagan. 188. cum sua hebdo. qua finita, reuertere ad dominicam tertiam post Penteco.

1572. Hoc anno in die sanctorum apostolorum Petri & Pauli interpone tertiam dominicam vag. 180. cum sua hebdoma qua finita, reuertere ad dominicam quintam post Pentecosten Item in die sancti Laurentij interpone

dominicam quartam vag. 188. cum sua hebdomada: qua finita reuertere ad dominicam xj. post Penteco.

1573. Hoc anno. xxviiij. Iunij interpone primam dominicam vag. 163. cum sua hebdo. qua finita, reuertere ad dominicam septimam post Pentec. Item. xvj. Augusti interpone secundam dominicam vagan. 171. cum sua hebdomada: qua finita reuertere ad dominicam. xiiij post Pentecost. Item. xiiij. Septembris interpone tertiam dominicam vagant. 180. cum sua hebdo. qua finita, reuertere ad. xviiij. dominicam post Pente. Item prima di Nouembris (puta in festo omnium sanctorum) interpone dominicam quartam vag. 188. cum sua hebdomada: qua finita reuertere ad dominicam. xxiiij. post Penteco. quæ est quinta vagantium.

1574. Hoc anno die. xxvij. Iunij interpone dominicam quartam vagan. 188. & consequenter suam hebdoma. qua finita reuertere ad dominicam quartam post Pente.

1575. Hoc anno die. xxvj. Iunij interpone dominicam. iij. 180. vagantium & finita eius hebdoma. reuertere ad dominicam quintam post Pentec. Item. xiiij. Augusti interpone quartam vagan. & consequenter suam hebdom. qua finita reuertere ad dominicam. xj. post Pentecosten.

1576. Hoc anno omnes. xxiiij. Dominicæ post Penteco. legendæ sunt per ordinem vsq ad Aduentum sine intermissione.

1577. Hoc anno die vultima Iunij interpone dominicam tertiam vagant. & post eius hebdom. reuertere ad dominicam quintam post Penteco. Item. xj. Augusti interpone dominicam quar-

tam vagan. & finita eius hebdom. redibis ad dominicam decimam post Pentecosten.

1578. Hoc anno vicesimanona Iunij interpone dominicam secundam vagant. & finita eius hebdom. reuertere ad dominicam. sextam post Pentecosten. Item in die sancti Laurentij interpone dominicam tertiam vagan. Et consequenter die octa quæ erit decimaseptima Augusti, adiunge dominicam quartam vagantium & finita eius hebdomada reuertere ad dominicam vndecimam post Pentecosten.

1579. Hoc anno omnes. xxiiij. dominicæ leguntur post Pent. sine intermissione vsque ad Aduent.

1580. Hoc anno die. xxvj. Iunij interponenda est tertia vagan. qua finita reuertendum erit ad dominicam quintam post Pentec. Item die xiiij. Augusti interpone quartam vagantium & post eius hebdomadam redibis ad dominicam vndecimam post Pentecosten.

1581. Hoc anno. xxv. Iunij interpone dominicam primam vagan. & post eius hebdom. reuertere ad dominicam sextam post Penteco. Item die. xiiij. Augusti interpone secundam vagan Item consequenter. xx. Augusti adde dominicam tertiam vagan. & finita eius hebdoma. reuertere ad dominicam xij. post Penteco. Item decima die Septembris interpone dominicam quartam vagant. & finita eius hebdo. reuertere ad dominicam decimam tertiam post Pentecosten.

1582. Hoc anno in die sancti Ioannis Baptistæ interponenda est quarta vagant & consequenter eius hebdomada, qua finita reuertendum erit ad dominicam tertiam post Pentecosten.

1583. Hoc anno die xxx. Iunij inter-

pone secundam vagant. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam sextam post Pente. Item die. xj. Augusti interpone tertiam vagan. cum sua hebdomada, qua finita prosequere statim die. xvij. Augusti quartam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam vndecimam post Pente.

1584. Hoc anno omnes. xxiiij. dominicæ post Penteco. leguntur per ordinem sine vlla interpositione vsque ad Aduentum.

1585. Hoc anno die. xxvij. Iunij interpone quartam vagant. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam. iij. post Pente.

1586. Hoc anno die. xxvj. Iunij interpone tertiam vagant. cum sua hebdomada, qua reuertere ad dominicam. v. post Penteco. Item die. xiiij. Augusti interpone quartam vagan. cum sua hebdomada. qua finita reuertere ad dominicam vndecimam poste Pente.

1587. Hoc anno die. xxv. Iunij interpone quartam vagant. cum sua hebdomada, quia repetitur quamuis sit lecta ante septuagesimam, qua finita reuertere ad dominicam tertiam post Pente.

1588. Hoc anno die. xxx. Iunij interpone tertiam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam. v. post Pente. Item die. xj. Augusti interpone quartam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam decimam post Pente.

1589. Hoc anno in die Apostolorum Petri & Pauli interpone secundam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam sextam post Pente. Item in die sancti Laurentij interpone tertiam vagan. cum sua hebdomada, qua finita prosequere statim

die. xvij. Augusti dominicam quartam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam vndecimam post Pente.

1590. Hoc anno omnes. xxiiij. dominicæ post Pente. leguntur per ordinem sine vlla interpositione vsque ad Aduentum.

1591. Hoc anno die. xxvij. Iunij interpone tertiam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam. v. post Pentec. Item in die Assumptionis beatæ virginis interpone quartam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam vndecimam post Penteco.

1592. Hoc anno die. xxv. Iunij interpone primam vagant. cum sua hebdomada, quia repetitur quamuis sit lecta ante septuagesimam, qua finita reuertere ad dominicam sextam post Penteco. Item die. xiiij. Augusti interpone secundam vagan. cum sua hebdomada, qua finita prosequere statim die. xx. Augusti tertiam vagant. cum sua hebdomada. qua finita reuertere ad dominicam duodecimam post Pente. Item die. x. Septembris interpone quartam vagant. cum sua hebdomada. qua finita reuertere ad dominicam. xiiij. post Pent.

1593. Hoc anno in die sancti Ioannis Baptistæ interpone quartam vagant. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam tertiam post Penteco.

1594. Hoc anno die. xxx. Iunij interpone secundam vagant. cum sua hebdomada. qua finita reuertere ad dominicam. vj. post Penteco. Item die. xj. Augusti interpone tertiam vag. cum sua hebdomada. qua finita prosequere statim die. xvij. Augusti quar-

tam vagant. cum sua hebdo. qua finita reuertere ad dominicam vndecimam post Pente.

1595. Hoc anno omnes. xxiiij. dominicæ post Pente. leguntur per ordinem sine vlla interpositione vsque ad Aduentum.

1596. Hoc anno die. xxvij. Iunij interpone quartam vagant. cum sua hebdo. qua finita reuertere ad dominicam quartam post Penteco.

1597. Hoc anno die. xxvj. Iunij interpone secundam vag. cum sua hebdoma. qua finita reuertere ad dominicam sextam post Penteco. Item die. xiiij. Augusti interpone tertiam vagant. cum sua hebdom. qua finita prosequere statim die. xxj. Augusti quartam vagan. cum sua hebdo. qua finita reuertere ad dominicam. xiiij. post Pente.

1598. Hoc anno die. xxv. Iunij interpone quartam vag. cum sua hebdom. quia repetitur quamuis sit lecta ante septuagesimam, qua finita reuertere ad dominicam tertiam post Pentecost.

1599. Hoc anno in die sancti Ioannis Baptistæ interpone tertiam vagant. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam quartam post Pentec. Item die. xij. Augusti interpone quartam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam decimam post Pente.

1600. Hoc anno die apostolorum Petri & Pauli interpone primam vagant. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam septimam post Pentec. Item die sancti Laurentij interpone secundam vagan. cum sua hebdomada, qua finita prosequere statim die. xvij. Augusti tertiam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam duodecimam post Pent. Item

die. xiiij. Septembris interpone quartam vagan. cum sua hebdomada, qua finita reuertere ad dominicam decimam quintam post Pentecosten.

¶ Dominica tertia post Pentecosten, ex Exodo. Lectio. j.

SN diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes: dixitque ei qui faciebat iniuriam, Quare percutis proximum tuum? Qui respondit, Quis te constituit principem, & iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, & ait, Quomodo palam factum est verbum istud? Audiuitque Pharaon sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen: qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adquare cupiebant greges patris sui. Superuenerunt pastores, & eiecerunt eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis, adquare oves earum. Quæ cum reuertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas, Cur velocius venistis solito? Responderunt, vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorum: insuper & hausit aquam nobiscum, potumque dedit ouibus. At ille, Vbi est, inquit? quare dimisistis hominem? vocate eum vt comedat panem. Iurauit ergo Moyses quod habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam eius vx-

ca. 2.

orem: quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersan, dicens, Aduena fui in terra aliena. Alterum vero peperit: quem vocavit Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis. Post multum vero temporis mortuus est rex Ægypti, & ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus. Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus est foederis quod pepigit cum Abraham, Isaac & Iacob. Et respexit dominus filios Israel, & cognouit eos.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

c. 12. **C**onsideransque, venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati & orantes: pulsante autem eo ad ostium ianuæ, processit puella ad uidendum, nomine Rhode. Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante ianuam. At illi dixerunt ad eam, Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant. Angelus eius est. Petrus autem perseuerabat pulsans. Cum autem aperuissent ostium, viderunt eum: & obstupuerunt. Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit quomodo dominus eduxisset eum de carcere: dixitque, Nuntiate Iacob & fratribus hæc. Et egressus, abiit in alium locum. Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cum requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci: descendensque a Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyrijs & Sidonis. At illi vnanimis venerunt ad eum, & persuaso Blasto,

qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo. Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum angelus domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus a vermibus, expirauit. Verbum autem domini crescebat & multiplicabatur. Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus. Erant autem in ecclesia, quæ c. 13. erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocabatur Niger: & Lucius Cyrenensis, & Manahen qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto, abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

In illo tempore: Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores: vt audirent illum. c. 15.

Et rel. Hom. sancti Leonis papæ.

Æstiuum tempus, quod corpori meo valde contrarium est, loqui me de expositione sancti Euangelij, longa mora interueniente prohibuit. Sed num, quia lingua tacuit, ardere caritas cessauit? Hoc etenim dico, quod apud se vnusquisque vestrum

cognoscit. Plerunque enim charitas quibusdam occupationibus præpedita & integra flagrat in corde, & tamen non monstratur in opere. Quia & sol cum nube tegitur, non videtur in terra, & tamen ardet in cœlo. Sic occupata esse charitas solet: & intus vi sui ardoris exurit, & foris flammam operis non ostendit. Sed quia nunc ad loquendum tempus redijt, vestra me studia accendunt: vt mihi tanto amplius loqui libeat, quanto hoc vestræ mentes desiderabilius expectant. Audistis in lectione euangelica fratres mei, quia peccatores & publicani accesserunt ad redemptorem nostrum: & non solum ad colloquendum, sed etiam ad conuiscendum recepti sunt. Quod videntes Pharisæi dedignati sunt. Ex qua re colligitur, quia vera iustitia compassionem habet, falsa vero dedignationem: quamuis & iusti soleant recte peccatoribus dedignari. Sed aliud est quod agitur typo superbix: aliud quod zelo disciplinæ. Dedignantur etenim, sed non dedignantur desperant: non desperantes persequutionem commouent, sed amantes. **Oratio.**

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam: vt te rectore, te duce sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Per do.

¶ Feria. ij. ex Exodo. Lectio. j.

ca 3. **M**oyses autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses, Vadam, & videbo visionem hanc magnam,

quare non comburatur rubus. Cernens autem dominus quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait, Moyses Moyses? Qui respondit. Adsum. At ille, Ne appropies, inquit, huc: solue calceamentum de pedibus tuis. locus enim in quo stas, terra sancta est. Et ait, Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum. Cui ait dominus, Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsumunt operibus: & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Ægypto. Dixitque Moyses ad Deum, Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Aegypto? Qui dixit ei, Ego ero tecum: & hoc habebis signum quod miserim te. Cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum. Ait Moyses ad Deum, Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi, Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit dominus ad Moysen, Ego sum qui sum. Ait, Sic dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

ET cum perambulassent vniuersam insulam vsque Paphum, inuenerunt quendam virum mag-

num pseudo prophetam, Iudæum, cui nomen erat Barieu, qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic accersitis Barnaba & Saulo desiderabat audire verbum Dei. Resistebat autem illis Elymas magus (si enim interpretatur nomen eius) quærens auertere proconsulem a fide. Saulus autem qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit, O plene omnidolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias domini rectas. Et nunc ecce manus domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat qui ei manum daret. Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina domini. Et cum a Papho nauigassent Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphylia. Ioannes autem discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidia: & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis & prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes. Viri fratres si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait, Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite, Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltauit cum essent incolæ in terra Aegypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit iudices, vsque ad

Samuel prophetam. Et exinde postulauerunt regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin annis quadraginta. Et amoto illo, suscitauit illis Dauid regem, cui testimonium perhibens, dixit, Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Huius ex semine Deus secundum promissionem, eduxit Israel saluatorem Iesum, prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius, baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. Cum impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat, Quem me arbitramini esse, non sum ego: sed ecce, venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere.

☩ *Feria. iij. ex Exodo. Lectio. j.*

Dixitque iterum Deus ad Moysen, ca. 3.
 Hæc dices filiis Israel, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem: vade, & congrega seniores Israel, & dices ad eos, Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens, Visitans visitauit vos & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Aegypto: & dixi vt educam vos de afflictione Aegypti in terram Chananæi & Hethæi & Amorrhæi, & Pherezæi & Heuæi & Iebusæi, ad terram fluentem lacte & melle. Et audient vocem tuam: ingredierisque tu & seniores Israel ad regem Aegypti & dices ad eum, Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus domino Deo nostro. Sed ego scio quod non dimittet vos rex Aegypti vt eatis, nisi per manum validam. Ex-

tendamque manum meam, & percussiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis quæ facturus sum in medio eorum: post hoc dimittet vos, daboque gratiam populo huic coram Aegyptijs, & cum egrediemini, non exhibitis vacui, sed postulabit mulier a vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea & aurea ac vestes, ponetisque eas super filios & filias vestras & spoliabitis Aegyptum.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

- c. 13. **V**† Iri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habitabant Ierusalem, & principes eius hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt: & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt a Pilato vt interficerent eum. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt eum in monumento. Deus autem suscitauit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem, qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filijs vestris resuscitans Iesum,] sicut & in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitauit eum a mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit, Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideoque & alias dicit, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Dauid enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitauit a mortuis, non vidit corruptionem. No-

tum igitur sit vobis, viri fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi iustificari. In hoc omnis qui credit iustificatur. Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in prophetis, Videte contemptores, & admiramini & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis si quis enarrauerit vobis. Exeuntibus autem illis, rogabant vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc. Cumque dimissa esset synagoga, sequuti sunt multi Iudæorum, & colentium aduenarum, Paulum & Barnabam: qui loquentes suadebant eis vt permanerent in gratia Dei. Sequenti vero sabbato pene vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei. Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo & contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt, Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes. sic enim præcepit nobis dominus, Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. audientes autem gentes, gauisæ sunt, & glorificabant verbum domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum domini per vniuersam regionem. Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam: & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio & Spiritu sancto.

℄ Feria. iiij. ex Exodo. Lectio. j.

ca. 4. **R**espondens Moyses ait, Non credent mihi, neque audient vocem meam: sed dicent, Non apparuit tibi dominus. Dixit ergo ad eum, Quid est quod tenes in manu tua? Respondit, Virga. Dixitque dominus, Projice eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses. Dixitque dominus, Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam. Vt credant, inquit, quod apparuerit tibi dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob. Dixitque dominus rursum, Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quicquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem. Ait Moyses, Obsecro domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius: & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Dixit dominus ad eum, Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris. At ille, Obsecro domine, inquit, mitte quem missurus es. Iratus dominus in Moysen, ait, Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde. Loquere ad eum, &

pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis. Et ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Factum est autem in Iconio, vt simul introirent in synagogam Iudæorum, & loquerentur, & vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo. Qui vero increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt & ad iracundiam concitauerunt animos gentium aduersus fratres. Multo igitur tempore demorati sunt fiducialiter agentes in domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum. Diuisa est autem multitudo ciuitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam vero cum apostolis. Cum autem factus esset impetus Gentilium & Iudæorum cum principibus suis, vt contumelijs afficerent & lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ Lystram, & Derben, & vniuersam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex vtero matris suæ: qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet vt saluus fieret, dixit magna voce, Surge super pedes tuos rectus. Et exiijt: & ambulabat. Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonice dicentes, Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam, Iouem: Paulum vero, Mercurium, quoniam ipse erat

c. 14.

dux verbi. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis, volebat sacrificare. Quod vbi audierunt apostoli Barnabas & Paulus conscissis tunicis suis, exilierunt in turbas, clamantes & dicentes, Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum qui fecit cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Et hæc dicentes, vix sedauerunt turbas ne sibi immolarent.

☞ **Feria. v. ex Exodo. Lectio. j.**

ca. 4. **A** Bijt Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum, dixitque ei, Vadam & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, vt videam si adhuc viuunt. Cui ait Iethro, Vade in pace. Dixit ergo dominus ad Moysen in Madian, Vade, & reuertere in Aegyptum: mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam. Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum: reuersusque est in Aegyptum, portans virgam Dei in manu sua. Dixitque ei dominus reuertenti in Aegyptum, Vide, vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone, ego indurabo cor eius, & non dimittet populum. Dicesque ad eum. Hæc dicit dominus, Filius meus primogenitus, Israel. Dixi tibi, Dimitte filium meum vt seruiat mihi: & noluisti dimittere eum, ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. Cumque esset in itinere, in diuersorio occurrit ei dominus, & volebat occidere eum. tulit

idcirco Sephora acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui tetigitque pedes eius, & ait. Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquam dixerat, Sponsus sanguinum tu mihi es, ob circuncisionem. Dixitque autem dominus ad Aaron, Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & osculatus est eum. Narrauitque Moyses Aaron omnia verba domini, pro quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat. Veneruntque simul, & congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel. Loquutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat dominus ad Moysen: & fecit signa coram populo, & credidit populus. Audieruntque quod visitasset dominus filios Israel, & quod respexisset afflictionem illorum: & proni adorauerunt.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

SVperuenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi: & persuasis turbis lapidantes Paulum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse. Circundantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem: & postera die profectus est cum Barnaba in Derben. Cumque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesque vt permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et cum constituisent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunijs, commendauerunt eos domino: in quem crediderunt. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam, & loquentes verbum domini in Perge, descenderunt in Attaliam: & inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei

c. 14.

c. 15. in opus quod compleuerunt. Cum autem venissent & congregassent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset gentibus ostium fidei. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis. Et quidam descendens de Iudæa, docebant fratres, Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem, super hac quæstione. Illi ergo deducti ab ecclesia, pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conuersionem gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab ecclesia & ab Apostolis, & senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes, Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi. Conueneruntque apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos, Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum euangelij & credere. Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum: quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.

¶ **Feria. vj. ex Exodo. Lectio. j.**

Post hæc ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni, Hæc dicit dominus Deus Israel, Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto. At ille respondit, Quis est dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio dominum, & Israel non dimittam. Dixerunt, Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus domino Deo nostro: ne forte accidat nobis pestis aut gladius. Ait ad eos rex Aegypti, Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra. Dixitque Pharaos, Multus est populus terræ: videtis quod turba succreuerit, quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi, dicens, Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi vadant, & colligant stipulas. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quicquam: vacent enim, & idcirco vociferantur, dicentes, Eamus & sacrificemus Deo nostro Opprimantur operibus, & expleant ea: vt non acquiescant verbis mendacibus. Igitur egressi præfecti operum & exactores, ad populum dixerunt, Sic dicit Pharaos, Non do vobis paleas. Ite, & colligite sicubi inuenire poteritis: nec minuetur quicquam de opere vestro.

¶ **Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.**

TAcuit autem omnis multitudo, & Audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus, dicens, Viri fratres, audite me, Simon narrauit quemadmodum primum Deus visitauit sumere ex gen-

tibus populum nomini suo. Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est, Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decedit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud: vt requirant cæteri hominum dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus faciens hæc. Notum a seculo est domino opus suum. Propter quod ego iudico, non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, vt abstineant se a contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicet in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur. Tunc placuit apostolis & senioribus cum omni ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Iudam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus scribentes per manus eorum, Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem. Quoniam audiuimus quod quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus: placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine domini nostri Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quam hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffo-

cato, & fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis. Valet. Illi ergo dimissi descendeunt Antiochiam: & congregata multitudo tradiderunt epistolam. Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem & Silas, & ipsi cum essent prophetæ verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos qui miserant illos. Visum est autem Silæ ibi remanere: Iudas autem solus abijt Ierusalem: Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & euangelizantes cum alijs pluribus, verbum domini.

¶ **Sabbato ex Exodo. Lectio. j.**

Dispersusque est populus per omnem terram Aegypti ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum instabant, dicentes, Complete opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus, Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie? Veneruntque præpositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes, Cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & iniuste agitur contra populum tuum. Qui ait, Vacatis otio, & idcirco dicitis: Eamus & sacrificemus domino. Ite ergo & operamini: Paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum. videbantque se præpositi filiorum Israel in malo, eo quod diceretur eis, Non minuetur quicquam de lateribus per singulos dies. Occurreruntque Moysi, & Aaron, qui stabant ex aduerso, egredientes a Pharaone: &

ca. 5.

dixerunt ad eos, Videat dominus: & iudicet, quoniam foetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuisistis ei gladium, vt occideret nos. Reuersusque Moyses ad dominum, ait, domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer ex nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberasti eos.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

- c. 15. **P**ost aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus, Reuertentes visitemus fratres, per vniuersas ciuitates in quibus prædicauimus verbum domini, quomodo se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non esset cum eis in opus) non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita vt discederent ab inuicem, & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum: Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Peruenit autem Derben, & Lystram. Et ecce, discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patre Gentili. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant & Iconio fratres. Hunc voluit Paulus secum proficisci, & assumens circumcidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat Gentilis. Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Ierosolymis. Et ecclesiæ quidem con-
- c. 16.

firmabantur fide, & abundabant numero quotidie. Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos spiritus Iesu. Cum autem pertransissent Mysiam, descendunt Troadem: & visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens, Transiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus euangelizare eis. Nauigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothracem, & sequenti die Neapolim: & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia. Eramus autem in hac vrbe diebus aliquot conferentes. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse: & sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant. Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirorum, colens Deum, audiuit: cuius dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur a Paulo. Cum autem baptizata esset, & domus eius, deprecata est, dicens, Si iudicastis me fidelem domino esse, introite in domum meam, & manete: Et coegit nos.

¶ Dominica quarta post Pentecosten, ex Exodo. Lectio. j.

Sixit dominus ad Moysen. ca. 6.
Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robusta eieciat illos de terra sua. Loquutusque est dominus ad Moysen, dicens. Ego dominus qui apparuit Abraham, Isaac & Iacob in Deo om-

nipotente: & nomen meum Adonai non indicaui eis. Pepigique foedus cum eis, vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Israel quo Aegyptij oppresserunt eos: & recordatus sum pacti mei. Ideo dic filijs Israel, Ego dominus qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de seruitute eorum, ac redimam in brachio excelso & iudicijs magnis. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus: & scietis quod ego sum dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum: & induxerim in terram, super quam leuauit manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac & Iacob: daboque illam possidendam vobis, ego dominus. Narrauit ergo Moyses omnia filijs Israel: qui non acquieuerunt ei propter angustiam spiritus, & opus durissimum. Loquutusque est dominus ad Moysen, dicens, Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Aegypti, vt dimittat filios Israel, de terra sua. Respondit Moyses coram domino, Ecce filij Israel non audiunt me: & quomodo audiet Pharaon, praesertim cum incircuncisus sim labijs? Loquutusque est dominus ad Moysen, & Aaron: & dedit mandatum ad filios Israel & ad Pharaonem regem Aegypti, vt educerent filios Israel de terra Aegypti. Isti sunt principes domorum per familias suas. Filij Ruben primogeniti Israelis: Henoch & Phallu. Hesron & Charmi, hæ cognationes Ruben. Filij Simeon: Iamuel, & Iamin, & Ahod, & Iachin, & Saher, & Saul filius Chananitidis. hæ progenies Simeon. Et hæc nomina filiorum Leui, per cognationes suas: Gerson, & Caath, & Merari. Anni autem vitæ Leui fuerunt, centum trig-

intaseptem. Filij Gerson: Lobni, & Seimei, per cognationes suas. Filij Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel, anni quoque vitæ Caath, centum trigintatres. Filij Merari Moholi, & Musi. hæ cognationes Leui per familias suas.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

FActum est autem euntibus nobis c. 16.

ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pythonem obuiare nobis: quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsequuta Paulum & nos, clamabat, dicens, Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus, Dolens autem Paulus & conuersus spiritui dixit, Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exijt eadem hora. Videntes autem domini eius, quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam perduxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus, dixerunt, Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi: & annuntiant morem quem non licet nobis suscipere neque facere, cum simus Romani. Et cucurrit plebs aduersus eos: & magistratus scissis tunicis suis, iusserunt eos virgis cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi vt diligenter custodiret eos. Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno. Media autem nocte Paulus & Silas adorantes laudabant Deum. Et audiebant eos qui in custodia erant. Subito vero terræ motus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: & vniuersorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas

apertas carceris euaginato gladio volebat se interficere, existimans fugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens, Nihil tibi mali feceris: vniuersi enim hic sumus. Petitoque lumine introgressus est: & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes: & producens eos foras, ait, Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam? At illi dixerunt, Crede in dominum Iesum: & saluus eris tu, & domus tua. Et locuti sunt ei verbum domini cum omnibus qui erant in domo eius. Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuo. Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua credens Deo. Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes, dimitte homines illos. Nuntiauit autem custos carceris verba hæc Paulo, Quia miserunt magistratus, vt dimittamini. nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis, Cæsos nos publice, indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos eiiciunt? Non ita: sed veniant ipsi, & nos eiiciant. Nuntiauerunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntque audito quod Romani essent: & venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant vt egrederentur de vrbe. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & visis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt.

Secundum Lucam. Lectio. iiij.

ca. 5. **I**N illo tempore: Cum turbæ irruerunt in Iesum, vt audirent verbum Dei: & ipse stabat secus stagnum Genezareth.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Ascendens autem in vnam nauim quæ

erat Simonis, rogauit vt abducerent a terra aliquantulum. Vbi dominus multis impertiuit varia genera sanitatum: nec tempore, nec loco cœpit ab studio sanandi turba cohiberi. Vesper incubuit: populi sequebantur: Stagnum occurrit: turbæ vrgebant: & ideo ascendit in Petri nauim: hæc est illa nauis, quæ secundum Matthæum adhuc fluctuat, secundum Lucam repletur piscibus: & vt principia ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis agnoscas. Pisces enim sunt qui hanc enauigant vitam. Ibi adhuc discipulis Christus dormit: hic præcipit. Dormit enim trepidis, vigilat perfectis. Sed quemadmodum dormiat Christus audisti dicentem in propheta: Ego dormio, & cor meum vigilat. Et sanctus Matthæus recte non prætermittendum putauit æternæ indicium potestatis, vbi imperauit ventis. Non est enim humana doctrina sicut audistis Iudæos dicere: verbo imperat spiritibus: sed cœlestis maiestatis insigne, quod turbatum sedatur mare, & diuinæ vocis imperio obsequuntur elementa, atque insensibilia sensum accipiunt obsequendi. Diuinæ mysterium gratiæ reuelatur, quo fluctus mitescunt seculi: verbo immundus spiritus conquiescit Non altero alterum reflectitur, sed vtrunque celebratur. Habes miraculum in elementis: habes documentum in mysterijs. *Te deum. Oratio.*

DA nobis quæsumus domine vt & mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur: & ecclesia tua tranquilla deuotione lætetur. per.

¶ Feria. ij. ex Exodo. Lectio. j.

ACcepit autem Amram vxorem Iochabed patruelem suam: quæ peperit ei Aaron, & Moysen, & Mariam. Fueruntque anni vitæ Am-

ca. 6.

ram, centum triginta septem. Filij quoque Isaar: Core, & Nepheg, & Zechri. Filij quoque Oziel: Misael, & Elisaphan, & Sethri. Accepit autem Aaron vxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Nahason, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. Filij quoque Core: Aser, & Elcana, & Abiasaph, hæ sunt cognationes Coritarum. At vero Eleazar filius Aaron, accepit vxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei Phines. hi sunt principes familiarum Leuitarum per cognationes suas. Iste est Aaron & Moyses, quibus præcepit dominus vt educerent filios Israel de terra Aegypti, per turmas suas, Hi sunt qui loquuntur ad Pharaonem regem Aegypti, vt educant filios Israel de Aegypto: iste est Moyses & Aaron in die, qua locutus est dominus ad Moysen in terra Aegypti. Et locutus est dominus ad Moysen, dicens, Ego dominus: loquere ad Pharaonem regem Aegypti, omnia quæ ego loquor tibi. Et ait Moyses coram domino, En incircuncisus labijs sum, quomodo audiet me Pharaos? Dixitque dominus ad Moysen, Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israel de terra sua. Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Aegypti, & non audiet vos: immittamque manum meam super Aegyptum, & educam exercitum & populum meum filios Israel, de terra Aegypti, per iudicia maxima. Et scient Aegyptij, quia ego sum dominus, qui extenderim manum meam super Aegyptum & eduxerim filios Israel de medio eorum. Fecit itaque Moyses

& Aaron sicut præceperat dominus ita egerunt.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

CVm autem perambulassent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, vbi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos: & per sabbata tria disserebat eis de scripturis, adaperiens, & insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere a mortuis: & quia hic, est Iesus Christus, quem ego annuntio vobis. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ. Zelantes autem Iudæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem: & assistentes domui Iasonis, quærebant eos producere in populum. Et cum non inuenissent eos, trahebant Iasonem, & quosdam fratres ad principes ciuitatis clamantes, Quoniam hi qui orbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Iason: & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Iesum. Concitauerunt autem plebem: & principes ciuitatis, audientes hæc. Et accepta satisfactione a Iasone, & a cæteris, dimiserunt eos. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Beroem. Qui cum venissent, in synagogam Iudæorum introierunt. Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum gentilium honestarum, & viri non pauci. Cum autem cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia & Beroæ prædicatum est

a Paulo verbum Dei, venerunt & il-
 luc, commouentes & turbantes mul-
 titudinem. Statimque tunc Paulum
 dimiserunt fratres, vt iret vsque ad
 mare. Silas autem & Timotheus re-
 manserunt ibi. Qui autem deduce-
 bant Paulum, perduxerunt eum vsque
 Athenas: & accepto mandato ab eo ad
 Silam & Timotheum vt quam celeriter
 venirent ad se, profecti sunt. Paulus
 autem cum Athenis eos expectaret, in-
 citabatur spiritus eius in ipso, videns
 idololatriæ deditam ciuitatem. Dis-
 putabat igitur in synagoga cum Iudæis
 & colentibus, & in foro per omnes dies
 ad eos qui audierant. Quidam autem
 Epicurei, & Stoici philosophi dissere-
 bant cum eo: & quidam dicebant, Quid
 vult seminiuerbium hic dicere? Alij
 vero, nouorum dæmoniorum videtur
 annuntiator esse: quia Iesum & resur-
 rectionem annuntiabat eis. Et appre-
 hensum eum, ad Areopagum duxerunt,
 dicentes, Possumus scire quæ est hæc
 noua, quæ a te dicitur, doctrina? noua
 enim quædam infers auribus nostris.
 Volumus ergo scire quidnam velint hæc
 esse.

☞ *Feria. iij. ex Exodo. Lectio. j.*

ca. 7. **E**Rat autem Moyses octoginta an-
 norum, & Aaron, octogintatrium,
 quando locuti sunt ad Pharaonem.
 Dixitque dominus ad Moysen & Aaron.
 Cum dixerit vobis Pharao, Osten-
 dite signa: dices ad Aaron, Tolle
 virgam tuam, & proiice eam coram
 Pharaone, ac vertetur in colubrum.
 Ingressi itaque Moyses & Aaron ad
 Pharaonem, fecerunt sicut præceperat
 dominus. Tulitque Aaron, virgam
 coram Pharaone & seruis eius, quæ
 versa est in colubrum. Vocauit autem
 Pharao sapientes & maleficos: & fe-
 cerunt etiam ipsi per incantationes Ae-

gyptiacas & arcana quædam similiter.
 Proieceruntque singuli virgas suas, quæ
 versæ sunt in dracones: sed deuorauit
 virga Aaron virgas eorum. Indura-
 tumque est cor Pharaonis, & non au-
 diuit eos, sicut præceperat dominus.
 Dixit autem dominus ad Moysen, In-
 grauatum est cor Pharaonis, & non
 vult dimittere populum. Vade ad eum
 mane: ecce, egredietur ad aquas: &
 stabis in occursum eius super ripam flu-
 minis, & virgam quæ conuersa est in
 draconem, tolles in manu tua, dicesque
 ad eum, dominus Deus Hebræorum
 misit me ad te, dicens. Dimitte popu-
 lum meum, vt sacrificet mihi in deserto:
 & vsque ad præsens audire nolui-
 sti. Hæc igitur dicit dominus, In hoc scies
 quod sim dominus: ecce percutiam
 virga, quæ in manu mea est, aquam flu-
 minis, & vertetur in sanguinem. Pisces
 quoque qui sunt in fluuio, morien-
 tur, & computrescent aquæ, & affligen-
 tur Aegyptij bibentes aquam fluminis.
 Dixit quoque dominus ad Moysen, Dic
 ad Aaron, Tolle virgam tuam: & ex-
 tende manum tuam super aquas Ae-
 gypti, & super fluuios eorum, & riuos
 ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt
 vertantur in sanguinem: & sit cruor in
 omni terra Aegypti, tam in ligneis va-
 sis quam in saxeis. Feceruntque Moyses
 & Aaron sicut præceperat dominus: &
 eleuans virgam percussit aquam flumi-
 nis coram Pharaone, & seruis eius, quæ
 versa est in sanguinem. Et pisces qui
 erant in flumine, mortui sunt, compu-
 truitque fluuius: & non poterant Ae-
 gyptij bibere aquam fluminis, & fuit
 sanguis in tota terra Aegypti. Fecerunt-
 que similiter malefici Aegyptiorum in-
 cantationibus suis, & induratum est cor
 Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præ-

ceperat dominus. Auertitque se & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. Foderunt autem omnes Aegyptij per circumitum fluminis aquam vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis: Impletique sunt septem dies, postquam percussit dominus fluuium.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

c. 17. **A**Thenienses autem omnes & aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait, Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim & videns simulachra vestra, inueni & aram in qua scriptum erat, Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum si forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt, Ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum esse simile. Et tempora quidem huius ignorantie despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate in viro in

quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt, Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita: & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. Post hæc egressus ab Athenis venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius, eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos a Roma: accessit ad eos. Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriæ artis. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen domini Iesu: suadebatque Iudæis & Græcis. Cum venissent autem de Macedonia Sillas, & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum. Contradicientibus autem eis & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos, Sanguis vester super caput vestrum. Mundus ego: ex hoc ad gentes vadam. Et migrans inde, intrauit in domum cuiusdam, nomine Titi Iusti, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta synagogæ. Crispus autem archisynagogus credit domino, cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

¶ Feria. iiij. ex Exodo. Lectio. j.

Dixit quoque dominus ad Moysen, ca. 8.
Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum, Hæc dicit dominus, Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. Et

ebulliet fluuius ranis: quæ ascendent, & ingredientur domum tuam & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum: & ad te, & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ. Dixitque dominus ad Moysen. Dic ad Aaron, Extende manum tuam super fluuios ac super riuos & paludes, & educ ranas super terram Aegypti. Extendit Aaron manum super aquas Aegypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Aegypti. Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter: eduxeruntque ranas super terram Aegypti. Vocauit autem Pharaon Moysen & Aaron & dixit eis, Orate dominum vt auferat ranas a me & a populo meo: & dimittam populum vt sacrificet domino. Dixitque Moyses ad Pharaonem, Constitue mihi quando deprecer pro te & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ a te: & a domo tua, & a seruis tuis, & a populo tuo: & tantum in flumine remaneant. Qui respondit, Cras. At ille, Iuxta, inquit verbum tuum faciam: vt scias quoniam non est sicut dominus Deus noster. Et recedent ranæ a te, & a domo tua, & a seruis tuis, & a populo tuo, & tantum in flumine remanebunt. Egressique sunt Moyses, & Aaron, a Pharaone, & clamauit Moyses ad dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. Fecitque dominus iuxta verbum Moysi, & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. Congregaueruntque eas in immensos aggeres, & computruit terra. Videns autem Pharaon quod data esset requies, ingrauaui cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat dominus.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Dixit autem dominus nocte per visionem Paulo, Noli timere: sed loquere, & ne taceas, propterea quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi, vt noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. Sedit autem ibi annum, & sex menses, docens apud eos verbum Dei. Gallione autem proconsule Achaiaë, insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes, Contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Iudæi, recte vos sustinerem. si vero quæstiones sunt de verbo & nominibus legis vestraë, vosipsi videritis, iudex ego horum nolo esse. Et minauit eos a tribunali. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat. Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos fratribus vale faciens, nauigauit in Syriam, & cum eo Priscilla. & Aquila, qui sibi totonderat in Cenchrus caput, habebat enim votum. Deuenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis, vt ampliori tempore maneret, non consensit, sed vale faciens, & dicens, Iterum reuertar ad vos, Deo volente: profectus est ab Epheso. Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit ecclesiam, & descendit Antiochiam. Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galatiam regionem & Phrygiam, confirmans omnes discipulos. Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in

scripturis. Hic erat edoctus viam domini: & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantum baptisma Ioannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam domini. Cum autem vellet ire Achaïam, exhortati fratres, scripserunt discipulis, vt susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderant. Vehementer enim Iudæos reuincebat publice, ostendens per scripturas, esse Christum, Iesum.

☩ **Feria. v. ex Exodo. Lectio. j.**

ca. 8. **D**ixitque dominus ad Moysen, Loquere ad Aaron, Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ: & sint cinipes in vniuersa terra Aegypti. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens, percussitque puluerem terræ, & facti sunt cinipes in hominibus & in iumentis: omnis puluis terræ versus est in cinipes per totam terram Aegypti. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, vt educerent cinipes, & non potuerunt: erantque cinipes tam in hominibus, quam in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem, Digitus Dei est hoc. induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos sicut præceperat dominus. Dixit quoque dominus ad Moysen, Consurge diluculo, & sta coram Pharaone egredietur enim ad aquas: & dices ad eum, Hæc dicit, dominus, Dimitte populum meum vt sacrificet mihi quod si non dimiseris eum: ecce ego mittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum: & implebuntur domus Aegyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra in

qua fuerint. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ: & scias quoniam ego dominus in medio terræ. Ponamque diuisionem inter populum meum, & populum tuum: cras erit signum istud. Fecitque dominus ita. Et venit musca grauissima in domos Pharaonis & seruorum eius, & in omnem terram Aegypti: corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis. Vocauitque Pharaon Moysen & Aaron, & ait, Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac. Et ait Moyses, Non potest ita fieri: abominationes enim Aegyptiorum immolabimus domino Deo nostro? quod si mactauerimus ea, quæ colunt Aegyptij, coram eis, lapidibus nos obruent, Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus domino Deo nostro, sicut præcepit nobis. Dixitque Pharaon, Ego dimittam vos, vt sacrificetis domino Deo vestro in deserto: veruntamen longius ne abeat, rogate pro me. Et ait Moyses, egressus a te, orabo dominum: & recedet musca a Pharaone, & a seruis suis, & a populo eius cras: veruntamen noli vltra fallere, vt non dimittas populum sacrificare domino. Egressusque Moyses a Pharaone, orauit dominum. Qui fecit iuxta verbum illius: & abstulit muscas a Pharaone, & a seruis suis, & a populo eius: non superfuit ne vna quidem. Et ingrauatum est cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

F†Actum est autem cum Apollo c. 19. a esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos: dixitque ad eos, Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi

dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. Ille vero ait, in quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt, In Ioannis baptisate. Dixit autem Paulus, Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & propheta-bant. Erant autem omnes viri fere duodecim. Introgrossus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei.] Cum autem quidam indurarentur & non crederent, maledicentes viam domini coram multitudine, discedens ab eis, segregauit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennium, ita vt omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum domini, Iudæi, atque Gentiles. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Tentauerunt autem quidam & de circuncuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen domini Iesu, dicentes, Adiuro vos per Iesum quem Paulus prædicat. Erant autem cuiusdam Iudæi, nomine Scæuæ, principis sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant, Respondens autem spiritus nequam, dixit eis, Iesum noui, & Paulum scio: vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra

eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem notum factum est omnibus Iudæis atque Gentilibus qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen domini Iesu. Multi-que credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus, & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur. His autem expletis proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia, & Achaia, ire Ierosolymam, dicens, postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

☞ *Feria. vj. ex Exodo. Lectio. j.*

Dixit autem dominus ad Moysen, ca. 9.
 Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum, Hæc dicit dominus Deus Hebræorum, Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Quod si adhuc renuis, & retines eos: ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & oues, & boues pestis valde grauis. Et faciet dominus mirabile inter possessiones Israel, & possessiones Aegyptiorum, vt nihil omnino pereat ex eis quæ pertinent ad filios Israel. Constituitque dominus tempus, dicens, Cras faciet dominus verbum istud in terra. Fecit ergo dominus verbum hoc altera die: mortuæque sunt omnia animantia Aegyptiorum: de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit, Et misit Pharaon ad videndum: nec erat quicquam mortuum de his quæ possidebat Israel. In-

grauatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum. Et dixit dominus ad Moysen, & Aaron. Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. Sitque puluis super omnem terram Aegypti: erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera: & vesicæ turgentes in vniuersa terra Aegypti. Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlum: factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumentis: nec poterant malefici stare coram Moyse, propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti. Indurauitque dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut locutus est dominus ad Moysen.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

c. 19. **F**Acta est autem illo tempore turbatio non minima de via domini. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ præstabat artificibus non modicum quæstum: quos conuocans & eos qui huiusmodi erant opifices, dixit. Viri: scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: & videtis, & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic suadens auertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dij qui manibus fiunt. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia & orbis colit. His auditis, repleti sunt ira, & exclamauerunt dicentes, Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, raptò Caio & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. Paulo

autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum, Alij autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa, & plures nesciebant, qua ex causa conuenissent. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox facta vna est omnium quasi per horas duas clamantium, Magna Diana Ephesiorum. Et cum sedasset Scriba turbas, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ Iouisque prolis? Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes Deam vestram. Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent inuicem. Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima ecclesia poterit absolui. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius sit: de quo possimus reddere rationem concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit ecclesiam.

¶ Feria. vj. ex Exodo. Lectio. j.

Dixitque dominus ad Moysen, Mane ca. 9. consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum, Hæc dixit dominus Deus Hebræorum, Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum: vt scias quod non sit similis mei in omni terra. Nunc

enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste: peribisque de terra. Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere eum? En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis: qualis non fuit in Aegypto a die qua fundata est, vsque in præsens tempus. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim & iumenta, & vniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur. Qui timuit verbum domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos: qui autem neglexit sermonem domini, dimisit seruos suos, & iumenta in agris. Et dixit dominus ad Moysen. Extende manum tuam in cœlum, vt fiat grando in vniuersa terra Aegypti super homines, & super iumenta, & super omnem herbam agri in terra Aegypti. Extenditque Moyses virgam in cœlum, & dominus dedit tonitrua, & grandinem ac discurrentia fulgura super terram: pluitque dominus grandinem super terram Aegypti. Et grando & ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in vniuersa terra Aegypti ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit. Tantum in terra Gessen, vbi erant filij Israel, grando non cecidit. Misitque Pharaon, & vocauit Moysen & Aaron, dicens ad eos, Peccaui etiam

nunc, dominus iustus, ego & populus meus, impij. Orate dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando: vt dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Postquam autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, vale dixit, & profectus est vt iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam, vbi cum fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ a Iudæis nauigaturo in Syriam: habuitque consilium vt reuerteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum Sosipater Pyrrhi Beroensis: Thessalonicensium vero Aristarchus, & Secundus, & Caius Derbeus, & Timotheus, Asiani vero Tychicus & Trophimus. Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade: nos vero nauigauimus post dies azymorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati sumus diebus septem. Vna autem sabbati cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem vsque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo vbi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens, nomine Eutychus super fenestram, cum mergeret somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus incubuit super eum: & complexus dixit, Nolite turbari: anima enim ipsius in ipso est. Ascendens autem frangensque panem & gustans, satisque allocutus vsque in lucem, sic profectus est. Adduxerunt autem puerum vi-

c. 20.

uentem, & consolati sunt non minime. Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat, ipse per terram iter facturus. Cum autem conuenissemus in Asson, assumpto eo uenimus Mitylenen. Et inde nauigantes, sequenti die uenimus contra Chium, & alia de applicuimus Samum: & sequenti die uenimus Miletum. proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Ierosolymis.

¶ Dominica quinta post Pentecosten, ex Exodo. Lectio. j.

- ca. 9. **I**t Moyses, Cum egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit: ut scias quia domini est terra: noui autem quod & tu, & serui tui necdum timeatis dominum Deum. Linum ergo, & hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret. Triticum autem, & far non sunt læsa, quia serotina erant. Egressusque Moyses a Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad dominum: & cessauerunt tonitrua & grando, nec ultra stillauit pluuia super terram. Videns autem Pharaon quod cessasset pluuia, & grando & tonitrua, auxit peccatum: & ingrauatum est cor eius, & seruorum illius. Et induratum nimis, nec dimisit filios Israel, sicut præceperat dominus per manum Moysi. Et dixit dominus ad Moysen, ingredere ad Pharaonem: ego enim induraui cor eius, & seruorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Aegyptios, & signa mea fecerim in eis: & scitis quia ego domi-
- c. 10.

nus Deus. Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei, Hæc dicit dominus Deus Hebræorum: Vsquequo non vis subiici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Sin autem resistis, & non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locustam in fines tuos: quæ operiat superficiem terræ, ne quicquam eius appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini: corrodent enim omnia ligna, quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, & seruorum tuorum & omnium Aegyptiorum, quantum non viderunt patres tui, & au, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem. Auertitque se, & egressus est a Pharaone. Dixerunt autem serui Pharaonis ad eum, Vsquequo patiemur hoc scandalum? dimitte homines, ut sacrificent domino Deo suo. nonne vides quod perierit Aegyptus? Reuocaueruntque Moysen & Aaron ad Pharaonem: qui dixit eis, Ite sacrificate domino Deo vestro, quinam sunt, qui ituri sunt? Ait Moyses: Cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ouibus & armentis: est enim solennitas domini Dei nostri. Et respondit Pharaon, Sic dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & paruulos vestros: cui dubium est quod pessime cogitetis? Non fiet ita, sed ite tantum viri, & sacrificate domino: hoc enim & ipsi petistis. Statimque eiecti sunt de conspectu Pharaonis.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

- A** Mileto autem mittens Ephesum: vocauit maiores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent dixit eis, Vos scitis a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim,
- c. 20.

seruiens domino cum omni humilitate & lachrymis, & tentationibus quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: & quomodo nihil subtraxerim vtilium quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publice & per domos testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in dominum nostrum Iesum Christum. Et nunc ecce ego alligatus spiritu, vado in Ierusalem: quæ in ea ventura sint mihi, ignorans, nisi quod spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorē quam me, dummodo consumam cursum meum & ministerium verbi quod accepi a domino Iesu, testificari euangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes per quos transiui prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quod mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam introibunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parentes gregi. Et ex vobisipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes: quoniam per triennium nocte & die non cessavi cum lachrymis monens vnumquenque vestrum. Et nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentum, & aurum, aut vestem nul-

lius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi domini Iesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare, quam accipere. Et cum hæc dixisset, positus genibus suis orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad nauem.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. *Et reliqua.* ca. 5.

Homilia sancti Augustini episc.

Nisi non solum illa minima legis impleueritis præcepta, quæ inchoant homines, sed etiam ista quæ a a me adduntur, qui non veni legem soluere sed adimplere: non intrabitis in regnum cœlorum. Sed dicis mihi, Si de illis mandatis minimis cum superius loqueretur, dixit minimum vocari in regno cœlorum, quisquis vnum eorum soluerit. & secundum suam solutionem docuerit, magnum autem vocari quisquis ea fecerit, & sic docuerit & ex eo iam in regno cœlorum futurum esse, quia magnus est: quid opus est addi legis præceptis minimis sua? In regno cœlorum potest esse: quia magnus est quisquis ea fecerit, & sic docuerit. Quapropter sic est accipienda illa sententia, Qui autem fecerit & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum: id est non secundum illa minima, sed secundum ea quæ ego dic-

urus sum. Quæ sunt autem ista? Vt abundet, inquit, iustitia vestra super Scribarum & Pharisæorum: quia nisi abundauerit, non intrabitis in regnum cœlorum. ergo qui soluerit illa minima, & sic docuerit: minimus voacbitur. Qui autem fecerit illa minima, & sic douerit, non magnus habendus est, & idoneus regno cœlorum: sed tamen non tam minimus quam ille qui soluerit. **Te deum. Oratio.**

DEus, qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum: vt te in omnibus, & super omnia diligentes promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per do.

¶ Feria. ij. ex Exodo. Lectio. j.

c. 10. **D**ixit autem dominus ad Moysen, Extende manum tuam super terram Aegypti ad locustam, vt ascendat super eam & deuoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini. Et extendit Moyses virgam super terram Aegypti: & dominus induxit ventum vrentem tota die illa & nocte: & mane facto, ventus vrens leuauit locustas. Quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti: & sederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt: nec postea futuræ sunt. Operueruntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ & quicquid pomorum in arboribus fuit: quæ grando dimiserat: nihil quoque omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terræ in cuncta Aegypto. Quamobrem festinus Pharaos vocauit Moysen & Aaron, & dixit eis, Peccauit in dominum Deum vestrum, & in vos: sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogare

dominum Deum vestrum, vt auferat a me mortem istam. Egressusque est Moyses de conspectu Pharaonis, orauit dominum. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & ereptam locustam proiecit in mare rubrum: non remansit ne vna quidem in cunctis finibus Aegypti. Et indurauit dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel. Dixit autem dominus ad Moysen, Extende manum tuam in cœlum: & sint tenebræ super terram Aegypti tam densæ, vt palpari queant. Extenditque Moyses manum in cœlum: & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat: vbicumque autem habitabant filij Israel, lux erat. Vocauitque Pharaos Moysen & Aaron, & dixit eis, Ite, sacrificate domino: oues tantum vestræ, & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum, Ait Moyses, Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus domino deo nostro. Cuncti greges pergunt nobiscum: non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum domini Dei nostri: præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus. Indurauit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. Dixitque Pharaos ad Moysen. Recede a me, & caue ne vltra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris. Respondit Moyses, Ita fiet vt loquutus es, non videbo vltra faciem tuam.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

CVm autem factum esset, vt nauigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram. Et cum inuenissemus nauem trans-

fretantem in Phœnicen: ascendentes nauigauimus. Cum apparuissemus autem Cypro relinquentes eam ad sinistram nauigauimus in Syriam, & uenimus Tyrum: ibi enim nauis expositura erat onus. Inuentis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Ierosolymam. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filijs vsque foras ciuitatem: & positis genibus in litore, orauius. Et cum ualefecissemus inuicem, ascendimus nauem, illi autem redierunt in sua. Nos uero nauigatione expleta, a Tyro descendimus Ptolemaidam & salutatis fratribus, mansimus die vna apud illos. Alia autem die profecti uenimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ uirgines, prophetantes. Et cum moraremur per dies aliquot, superuenit quidam a Iudæa propheta, nomine Agabus. Is cum uenisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes & manus, dixit, Hæc dicit spiritus sanctus: uirum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi & tradent in manus gentium. Quod cum audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam. Tunc respondit Paulus, & dixit, Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego autem non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen domini Iesu. Et cum ei suadere non possemus, quieuimus, dicentes, Domini uoluntas fiat. Post dies autem istos præparati ascendebamus in Ierusalem. Venerunt autem quidam ex discipulis a Cæsarea nobiscum, addu-

centes secum (apud quem hospitaremur) Iasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum. Et cum uenissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesque collecti sunt seniores. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in gentibus, per ministerium ipsius.

☞ *Feria. iij. ex Exodo. Lectio. j.*

ET dixit dominus ad Moysen, Adhuc c. 11.
vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet. Dices ergo omni plebi ut postulet uir ab amico suo, & mulier a vicina sua uasa argentea & aurea. Dabit autem dominus gratiam populo suo coram Ægyptijs. Fuitque Moyses uir magnus ualde in terra Ægypti coram seruis Pharaonis, & omni populo. Et ait, Hæc dicit dominus, Media nocte egrediar in Ægyptum: & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam & omnia primogenita iumentorum. Eritque clamor magnus in uersa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine vsque ad pecus: ut sciatis quanto miraculo diuidat dominus Ægyptios & Israel. Descendentque omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes, Egredere tu & omnis populus qui subiectus est tibi: post hæc egrediemur. Et exiuit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem dominus ad Moysen, Non audiet uos Pharaon ut multa signa fiant in terra Ægypti. Moyses autem & Aaron fecerunt omnia signa & ostenta quæ scripta sunt,

coram Pharaone & induravit dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

c. 21.

AT illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei, Vides frater quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt: & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse, eorum qui per gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Vtique oportet conuenire multitudinem: audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. His assumptis sanctifica te cum illis: & impende in illis, vt radant capita: & scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autem qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus, iudicantes vt abstineant se ab idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Iudæi, cum vidissent eum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes, Viri Israelitæ, adiuuate: hic est homo qui aduersus populum & legem & locum hunc, omnes vbique docens insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum. Viderant enim Trophimum Ephesium, in ciuitate cum ipso, quem existimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus. Commotaque est

ciuitas tota: & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahabant eum extra templum: & statim clausæ sunt ianux. Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis, Quia tota confunditur Ierusalem. Qui statim assumptis militibus & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidissent tribunum & milites, cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & iussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset, & quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra. Et cum venisset ad gradus, contigit vt portaretur a militibus propter vim populi. Sequebatur enim multitudo populi clamans, Tolle eum. Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno, Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit ei, Græce nosti? Nonne tu es Aegyptius qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? Et dixit ad eum Paulus, Ego homo sum quidem Iudæus a Tarso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebe, & magno silentio facto, alloquutus est lingua Hebræa, dicens.

¶ Feria. iij. ex Exodo. Lectio. j.

Dixit quoque dominus ad Moysen & Aaron in terra Aegypti, Mensis iste, vobis principium mensium primus erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite eis, Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Sin autem minor est numerus vt sufficere possit ad vescen-

c. 12.

dum agnum: assumet vicinum suum qui coniunctus est domui suæ iuxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hœdum, & seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius: immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrunque postem, & in superliminaribus domorum in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni. Caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis. Nec remanebit quicquam ex eo vsque mane: siquid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum, Renes vestros accingetis, & calceamenta vestra habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes, est enim phase, id est transitus domini. Et transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine vsque ad pecus: & in cunctis dijs Aegypti faciam iudicia, ego dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Aegypti. habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eam solennem domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die vsque ad diem sep-

timum. Dies prima erit sancta, atque solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. Et obseruabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israel, tam de aduenis quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

VIri fratres & patres, audite quam c. 22.
ad vos nunc reddo rationem. Cum audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium. Et dicit. Ego sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate secus pedes Gamalielis, eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodie: qui hanc viam persequutus sum vsque ad mortem, alligans & tradens in custodias viros ac mulieres, sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu, a quibus & epistolas accipiens ad fratres, Damascus pergebam vt adducerem inde victos in Ierusalem, vt punirentur. Factum est autem eunte me & appropinquante Damasco media die, subito de cœlo circumfulsit me lux copiosa, & decidens in terram audiui vocem dicentem mihi, Saule Saule, quid me persequeris? Ego autem respondi, Quis es

domine? Dixitque ad me, Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Et dixi, Quid faciam domine? Dominus autem dixit ad me, Surgens vade Damascum, & ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere. Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus veni Damascum. Ananias autem quidam, vir pius secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis, veniens ad me & stans, dixit mihi, Saule frater, respice. Et ego eadem hora respexi in eum. At ille dixit, Deus patrum nostrorum præordinavit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius: quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti & audisti. Et nunc quid moraris? Exurge & baptizare & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius. Factum est autem reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, & videre illum dicentem mihi, Festina, & exi velociter ex Ierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. Et ego dixi, Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per synagogas eos qui credebant in te: & cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum. Et dixit ad me, Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te. Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum, & leuauerunt vocem suam, dicentes, Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere.

☞ *Feria. v. ex Exodo. Lectio. j.*

c. 12.
VOcauit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, & dixit ad eos, Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate phase. Fasciculunque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare. & vtrunque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane. Transibit enim dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere. Custodi verbum istud legitimum tibi & filijs tuis vsque in æternum, Cumque introieritis terram quam dominus Deus daturus est vobis vt pollicitus est, obseruabitis ceremonias istas. Et cum dixerint vobis filij vestri, Quæ est ista religio? dicetis eis, victima transitus domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Aegypto percutiens Aegyptios, & domos nostras liberans. Incuruatusque populus adorauit. Et egressi filij Israel fecerunt sicut præceperat dominus Moysi & Aaron. Factum est autem in noctis medio: percussit dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexitque Pharao nocte & omnes serui eius, cunctaque Aegyptus: & ortus est clamor magnus in Aegypto: neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus. Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte, ait, Surgite, & egredimini a populo meo, vos & filij Israel: ite & immolate domino sicut dixitis. Oues vestras & armenta assumite, vt petieratis & abeuntes benedicite mihi. Vrgeban-

tque Aegyptij populum de terra exire velociter, dicentes, Omnes moriemur. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur: & ligans in pallijs posuit super humeros suos. Feceruntque filij Israel sicut præceperat dominus Moyses: & petierunt ab Aegyptijs vasa argentea & aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptijs vt commodarent eis: & spoliauerunt Aegyptios.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

- c. 22. **V**Ociferantibus autem eis, & proicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aerem, iussit tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum: vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Et cum astrinxissent eum loris, astanti sibi centurioni Paulus dixit, Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito, centurio accessit ad tribunum, & nuntiauit ei, dicens, Quid acturus es? Hic enim homo, ciuis Romanus est. Accedens autem tribunus, dixit illi, Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit, Etiam. Et respondit tribunus, Ego multa summa, ciuilitatem hanc consequutus sum. Et Paulus ait, Ego autem & natus sum. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam resciiuit quia Romanus esset, & quia alligasset eum. Postera autem die volens scire diligentius, qua ex causa accusaretur a Iudæis, soluit eum, & iussit sacerdotes conuenire, & omne concilium, & producens Paulum, c. 23. statuit inter illos. Intendens autem in concilium Paulus, ait, Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum vsque in hodie-

num diem. Princeps autem sacerdotum Ananias, præcepit astantibus sibi, percutere os eius. Tunc Paulus dixit ad eum, Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Et qui astabant, dixerunt, Summum sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus, Nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim. Principem populi Exo. 22.d. tui non maledices Sciens autem Paulus quia vna pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in concilio, Viri fratres, ego Pharisæus sum filius Pharisæi: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo. Sadducæi autem dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neque angelum, neque spiritum. Pharisæi autem vtraque confitentur. Factus est autem clamor magnus. Et exurgentes quidam Pharisæorum, pugnant dicentes, Nihil mali inuenimus in homine isto. Quid si spiritus loquutus est ei, aut angelus? Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerneretur Paulus ab ipsis, iussit milities descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra. Sequenti autem nocte assistens ei dominus ait, Constans esto. sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.

¶ Feria. vj. ex Exodo. Lectio. j.

Profectique sunt filij Israel de Ramesse in Sohot sexcenta fere millia peditum virorum absque paruulis & mulieribus. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oues & armenta & animantia diuersi generis multa nimis. Coxeruntque fari-

nam quam dudum de Aegypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericijs panes azymos: neque enim poterant fermentari cogentibus exire Aegyptijs, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quicquam occurrerat præparare. Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Aegypto fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus domini de terra Aegypti. Nox ista est obseruabilis domino, quando eduxit eos de terra Aegypti: hanc obseruare debent omnes filij Israel in generationibus suis. Dixitque dominus ad Moysen & Aaron, Hæc est religio phase, Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem seruus emptitijs circumcidetur, & sic comedet. Aduena & mercenarius non edent ex eo In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase domini, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terræ. si quis autem circumciscus non fuerit, non vescetur ex eo Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos. Feceruntque omnes filij Israel sicut præceperat dominus Moysi & Aaron. Et eadem die eduxit dominus filios Israel de terra Aegypti per turmas suas.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

c. 23. **F**Acta autem die, collegerunt se quidam ex Iudæis & deuouerunt se dicentes, neque manducatuos, neque bibatuos, donec occiderent Paulum. Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant: qui accesserunt ad

principem sacerdotum & seniores, & dixerunt, Deuotione deuouimus nos nihil gustatuos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, vt producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero prius quam appropinquet, parati sumus interficere illum. Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit & intrauit in castra, nuntiauitque Paulo. Vocans autem Paulus ad se vnum ex centurionibus, ait, Adolescentem hunc adduc ad tribunum: habet enim aliquid indicare illi. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, & ait, Vincetus Paulus rogauit me, hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogauit illum, Quid est quod habes indicare mihi? Ille autem dixit, Iudæi conspirarunt rogare te, vt crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. tu vero ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta: qui se deuouerunt non manducare neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati sunt expectantes promissum tuum. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ei ne cui loqueretur, quoniam hæc nota sibi fecisset. Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis, Parate milites ducentos, vt eant vsque Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, a tertia hora noctis: & iumenta præparate vt imponentes Paulum, saluum perducerent ad Felicem præsidem. (Timuit enim ne forte raperent eum Iudæi & occiderent, & ipse postea calumniam

sustineret, tanquam accepturus pecuniam) scribens ei epistolam continentem hæc, Claudius Lysias optimo præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum a Iudæis, & incipientem interfici ab eis, superueniens cum exercitu, eripui, cognito quod Romanus est, volensque scire causam quam obiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. Quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorum: nihil vero dignum morte aut vinculis habentem crimen. Et cum mihi perlatum esset de insidijs quas parauerant illi, misi eum ad te, denuntians & accusatoribus vt dicant apud te. Vale. Milites vero, secundum præceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. Et postera die dimissis equitibus vt cum eo irent, reuersi sunt ad castra. Qui cum venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum & Paulum. Cum legisset autem, & interrogasset de qua prouincia esset: & cognoscens quia de Cilicia, Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Iussitque in prætorio Herodis custodiri eum.

☞ **Sabbato, ex Exodo. Lectio. j.**

c. 13. **L**ocutusque est dominus ad Moysen, dicens Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filijs Israel, tam de hominibus quam de iumentis: mea sunt enim omnia. Et ait Moyses ad populum, Mementote diei huius, in qua egressi estis de Aegypto, & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos dominus de loco isto, vt non comedatis fermentatum panem. Hodie egredimini mense nouarum frugum. Cumque introduxerit te dominus in terram Chananæi & Hethæi & Amorrhæi & Heuæi & Iebusæi, quam iurauit patribus tuis

vt daret tibi terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto. Septem diebus vesceris azymis: & in die septimo erit solennitas domini. Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. Narrabisque filio tuo in die illo, dicens, Hoc est quod fecit mihi dominus quando egressus sum de Aegypto. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & vt lex domini semper sit in ore tuo: in manu enim forti eduxit te dominus de Aegypto. Custodies huiusmodi cultum statuto tempore a diebus in dies. Cumque introduxerit te dominus in terram Chananæi, sicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam: separabis omne quod aperit vuluam, domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis: quicquid habueris masculini sexus, consecrabis domino. Primogenitum asini mutabis oue, quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis, pretio redimes.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum Ananias, cum senioribus quibusdam & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem aduersus Paulum. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullus dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam, semper & vbique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. Ne diutius autem te protraham, oro, breuiter audias nos pro tua clementia. Inuenimus hunc hominem pestiferum & concitantem seditionem omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & authorem seditionis sectæ Nazarenorum, qui etiam tem-

c. 14.

plum violare conatus est, quem & apprehensum volumus secundum legem nostram iudicare. Superueniens autem Tribunus Lysias. cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te venire, a quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere. Respondit autem Paulus, annuente sibi præside dicere, Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem, & neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in ciuitate, neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresin, sic deseruio patri & Deo meo, credens omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum & iniquorum. In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper. Post annos autem plures, eleemosynas facturum in gentem meam veni, & oblationes, & vota in quibus inuenerunt me purificatum in templo, non cum turba neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse & occusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicant siquid inuenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio, nisi de vna hac solummodo voce, qua clamaui inter eos stans, Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudi-

cor hodie a vobis. Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos. Iussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quenquam de suis prohibere ministrare ei. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum. Disputante autem illo de iustitia & castitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix respondit, Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te, simul & sperans quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix, Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix reliquit Paulum vinctum.

¶ Dominica sexta post Pentecosten, ex Exodo. Lectio. j.

SUmque interrogauerit te filius tuus cras dicens: Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos dominus de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nam cum induratus esset Pharaos & nollet nos dimittere, occidit dominus omne primogenitum in terra Aegypti a primogenito hominis, vsque ad primogenitum iumentorum: idcirco immolo domino omne quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo. Erit igitur quasi signum in manu tua: & quasi appensum quid, ob recordationem, ante oculos tuos: eo quod in manu forti eduxit nos dominus de Aegypto. Igitur cum emisisset Pharaos populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est: reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se

bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum: & armati ascenderunt filij Israel de terra Aegypti. Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum: eo quod adiurasset filios Israel, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. Profectique de Sochostrametati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos ad ostendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux esset itineris vtroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem, coram populo.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

- c. 25. **F**estus ergo cum venisset in prouinciam, post triduum ascendit Ierosolymam a Cæsarea: Adieruntque eum principes sacerdotum, & primi Iudæorum aduersus Paulum: & rogabant eum, postulantes gratiam aduersus eum, vt iuberet perducere eum in Ierusalem, insidias tendentes vt interficerent eum in via. Festus autem respondit, seruari quidem Paulum in Cæsarea: se autem maturius profecturum. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribunali: & iussit Paulum adduci. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Ierosolyma descenderant Iudæi, multas & graues causas obiicientes, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccauit. Festus autem volens gratiam præstare Iudæis,

respondens Paulo, dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari: Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori. Si vero nihil est eorum quæ hi accusant me: nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis. Et cum dies aliquot transacti essent: Agrippa rex, & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. Et cum dies plures ibi demorarentur: Festus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus, de quo cum essem Ierosolymis, adierunt me principes sacerdotum, & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum damnationem. Ad quos respondi, Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem prius quam is qui accusatur, præsentibus habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad ablucenda crimina quæ ei obiiciuntur. Cum ergo huc conuenissent, sine vlla dilatione in sequenti die sedens pro tribunali iussi adduci virum. De quo cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar malum: quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione dicebam, si vellet ire Ierosolymam, & ibi iudicari de istis: Paulo autem appellante, vt seruaretur ad Augusti cognitionem, iussi seruari eum, donec mittam eum ad Cæsarem. Agrippa autem dixit ad Festum, volebam & ipse

hominem audire. Cras (inquit) audies eum.

Secundum Marcum. Lectio. iij.

ca. 8. **I**N illo tempore: Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis, Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. **Et rel.**

Homila sancti Ambrosij episc.

Postea quam illa quæ ecclesiæ typum accepit a fluxu curata est sanguinis. Posteaquam apostoli ad euangelizandum regnum Dei sunt destinati: gratiæ cœlestis impertitur alimentum. Sed quibus impertiatur, aduerte. Non otiosis, non in ciuitate quasi in synagoga, vel seculi dignitate residentibus: sed inter deserta quærentibus Christum. Qui enim non fastidiunt, ipsi recipiuntur a Christo: & cum eis loquitur Dei verbum, non de secularibus, sed de Dei regno. Et si qui corporalis gerunt vulnera passionis: his medicinam suam libenter indulget. Consequens igitur erat, vt quos a vulnerum dolore sanauerat, eos alimonijs spiritalibus a ieiunio liberaret. Itaque nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. Et illi qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur. Si claudus fuerit: gradiendi facultatem, vt veniret, accepit. Si lumine erat priuatus oculorum: domum vtique domini nisi refusa luce intrare non potuit Vbique ergo mysterij ordo seruatur: vt prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet. **Te deum.**

Oratio.

DEus virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere peccatoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum:

vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. per.

¶ Feria. ij. ex Exodo. Lectio. j.

LOquutusque est autem dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, Reuersi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum, & mare contra Beelsephon: in conspectu eius castra ponetis super mare. Dicturusque est Pharaon super filijs Israel: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Et indurabo cor eius, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius: scientque Aegyptij quia ego sum dominus. Feceruntque ita. Et nuntiatum est regi Aegyptiorum quod fugisset populus: immutatumque est cor Pharaonis & seruorum eius super populum, & dixerunt. Quid volumus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis? Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & quicquid in Aegypto curruum fuit, & duces totius exercitus. Indurauitque dominus cor Pharaonis regis Aegypti, & persequutus est filios Israel At illi egressi sunt in manu excelsa. Cumque persequerentur Aegyptij vestigia præcedentium, reppererunt eos in castris super mare: omnis equitatus & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus erant in Phihahiroth contra Beelsephon. Cumque appropinquasset Pharaon, leuantes filij Israel oculos viderunt Aegyptios post se: & timuerunt valde, clamaueruntque ad dominum, & dixerunt ad Moysen, Forsitan non erant sepulchra in Aegypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Aegypto? Nonne iste est sermo quem loqueba-

mur ad te in Ægypto, dicentes: Recede a nobis vt seruiamus Aegyptijs? multo enim melius erat seruire eis, quam mori in solitudine. Et ait Moyses ad populum, Nolite timere: state, & videte magnalia domini, quæ facturus est hodie. Aegyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis, vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

c. 25. **A**ltera autem die cum venisset Agrippa & Bernice, cum multa ambitione, & introissent in auditorium cum tribunis & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo adductus est Paulus. Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Ierosolymis petentes & acclamantes, non oportere eum viuere amplius. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem, hoc appellante ad Augustum, iudicauimittere. De quo quid certum scribam domino, non habeo, propter quod produxi eum ad vos, & maxime ad te rex Agrippa, vt interrogatione facta, habeam quod scribam. Sine ratione enim mihi videtur, mittere vinctum, & causas eius non significare.

c. 26. Agrippa vero ad Paulum ait, Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere: De omnibus quibus accusor a Iudæis, rex Agrippa, existimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie, maxime te sciente omnia quæ apud Iudæos sunt, consuetudines & quæstiones, propter quod obsecro, patienter me audias. Et quidem vitam meam a iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, nouerunt

omnes Iudæi: præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis, vixi Pharisæus. Et nunc in spe quæ ad patres nostros re-promissionis facta est, a Deo, sto iudicio subiectus, in quam duodecim tribus nostræ nocte & die deseruientes, sperant deuenire. De qua spe accusor a Iudæis, rex. quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitatur? Et ego quidem æstimaueram me aduersus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere: quod & feci Ierosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacerdotum potestate accepta: & cum occiderentur, detuli sententiam. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos compellebam blasphemare: & amplius insaniens in eos persequerbar vsque in exteris ciuitates.

¶ Feria. iij. ex Exodo. Lectio. j.

Dixitque dominus ad Moysen, Quid clamas ad me? loquere filiis Israel, vt proficiscantur. Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud: vt gradiantur filij Israel in medio maris per siccum. Ego autem indurabo cor Aegyptiorum, vt persequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus illius. Et scient Aegyptij, quia ego sum dominus: cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus, atque in equitibus eius. Tollensque se angelus domini, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum, stetit inter castra Aegyptiorum, & castra Israel: & erat nubes tenebrosa: & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore ac-

cedere non valerent. Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum: diuisaque est aqua. Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextra eorum & læua. Persequentesque Aegyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites per medium maris. Iamque D aduenerat † vigilia matutina, & ecce respiciens dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptij, Fugiamus Israelem: dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait dominus ad Moysen, Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Aegyptios super currus, & equites eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Aegyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos dominus in medijs fluctibus. Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro a dextris, & a sinistris: liberauitque dominus in die illa Israel de manu Aegyptiorum. Et viderunt Aegyptios mortuos super litus maris, & manum magnam quam exercuerat dominus contra eos, timuitque populus dominum, & crediderunt domino, & Moysi seruo eius.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

c. 26. **I**N quibus dum irem Damascum cum potestate & permissu principum

sacerdotum, die media, in via vidi, rex, de cœlo supra splendorem solis circumfulxisse me lumen, & eos qui mecum simul erant. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audiui vocem loquentem mihi Hebraica lingua, Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Ego autem dixi, Quis es domine? Dominus autem dixit, Ego sum Iesus quem tu persequeris. Sed exurge, & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populis & gentibus, in quas nunc ego mitto te aperire oculos eorum: vt conuertantur a tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me. Vnde rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni: sed his qui sunt Damasci primum, & Ierosolymis, & in omnem regionem Iudææ, & gentibus annuntiabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Hac ex causa me Iudæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere. Auxilio autem adiutus Dei, vsque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori, nihil extra dicens quam ea quæ prophetæ loquuti sunt futura esse, & Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo & gentibus. Hæc loquente eo & rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule: multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Et Paulus: Non insanio (inquit) optime Feste: sed veritatis, & sobrietatis verba loquor. Scit enim de

his rex, ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitrator. Neque enim in angulo quicquam horum gestum est. Credis rex Agrippa prophetis? scio quia credis. Agrippa autem ad Paulum, In modico suades me christianum fieri, Et Paulus, Opto apud Deum & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his. Et exurrexit rex, & præses, & Bernice, & qui assidebant eis: Et cum secessissent, loquebantur adinuicem dicentes. Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit, Dimitti poterat homo hic, si non appelles Cæsarem.

☞ *Feria. iiij. ex Exodo. Lectio. j.*

- c. 15. **T**Vnc cecinit Moyses & filij Israel
 a carmen hoc domino, & dixerunt.]
 Cantemus domino: gloriose enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius submersi sunt in mari rubro. Abyssus operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Dexteræ tuæ domine magnificata est in fortitudine: dexteræ tuæ domine percussit inimicum. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos: misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit vnda fluens, congregata sunt abyssus in medio mari. Dixit inimicus, Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea:

euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Quis similis tui in fortibus domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia? Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum. Ascenderunt populi, & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan: Irruat super eos formido & pavor: in magnitudine brachij tui. Fiant immobiles quasi lapis donec pertranseat populus tuus domine, donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine: sanctuarium tuum domine, quod firmauerunt manus tuæ. Dominus regnabit in æternum & vltra. Ingressus est enim eques Pharaon, cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit super eos dominus aquas maris. Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

- V**T autem iudicatum est nauigare
 eum in Italiam & tradi Paulum
 cum reliquis custodijs centurioni
 nomine Iulio, cohortis Augustæ ascen-
 dentes nauem Adrumetinam incipientem nauigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autem die uenimus Sidonem. Humane autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui
- c. 27.

agere. Et inde cum sustulissemus, subnaugauimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarij. Et pelagus Ciliaciæ & Pamphiliæ nauigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ: & ibi inueniens centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, transposuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde nauigaremus, & vix deuenissemus contra Cnydum, prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonem: & vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat ciuitas Thalassa. Multo autem tempore peracto, & cum iam non esset tuta nauigatio, eo quod ieiunium iam præteriisset, consolabatur eos Paulus, dicens eis: Viri, video quoniam cum iniuria & multo damno non solum oneris, & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quam his quæ a Paulo dicebantur. Et cum aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium nauigare inde, si quomodo possent deuenientes Phœnicen hyemare ad portum Cretæ, respicientem ad Africum, & ad Chorum. Aspirante autem Austro æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson legebant Cretam. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumque arrepta esset nauis, & non posset conari in ventum, data naue flatibus ferebamur. In insulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Claudia, potuimus vix obtinere scapham, qua sublata adiutorijs vtebantur, accingentes nauem timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase, sic ferebantur. Valida autem nobis tem-

pestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt: & tertia die suis manibus armamenta nauis proiecerunt. neque autem sole neque syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

☞ *Feria. v. ex Exodo. Lectio. j.*

SVmpsit ergo Maria prophetissa c. 15.
soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris quibus præcinebat dicens, Cantemus domino: gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem eius deiecit in mare. Tulit autem Moyses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur, ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ: vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moysen, dicens, Quid bibemus? At ille clamauit ad dominum, qui ostendit ei lignum: quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt, ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum, dicens: Si audieris vocem domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius custodierisque omnia præcepta illius: cunctum languorem quem posui in Aegypto, non inducam super te. Ego enim dominus sanator tuus. † Venerunt D
autem in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

ET cum multa ieiunatio fuisset, c. 27.
tunc stans Paulus in medio eorum

dixit, Oportebat quidem o viri audito me non tollere a Creta, lucrique facere iniuriam hanc, & iacturam. Et nunc suadeo vobis bono animo esse, amissio enim nullius animæ erit ex nobis, præterquam nauis. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio, dicens, ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo quia sic erit quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos deuenire. Sed postea quam quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. Qui & submittentes bolidem, inuenerunt passus viginti: & pusillum inde separati, inuenerunt passus quindecim. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. Nautis vero quærentibus fugere de naui, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere, dixit Paulus centurioni & militibus, Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis. Tunc absciderunt milites funes scaphæ: & passi sunt eam excidere. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens, Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. Propter quod rogo vos accipere cibum: pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit. Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium, & cum fregisset, cœpit manducare. Animæquiores autem facti omnes, & ipsi

sumpserunt cibum. Erasmus vero vniuersæ animæ in naui ducentæ septuaginta sex. Et satiati cibo alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum vero quendam considerabant habentem litus, in quem cogitabant, si possent eiicere nauem. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum: & leuato artemone secundum auræ flatum, tendebant ad litus. Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt nauem, & prora quidem fixa, manebat immobilis: puppis vero soluebatur a vi maris. Militum autem consilium fuit, vt custodias occiderent: ne quis cum enatasset, effugeret. Centurio autem volens seruare Paulum, prohibuit fieri: iussitque eos qui possent natare, emitte se primos, & euadere, & ad terram exire: & cæteros, alios in tabulis ferebant, quosdam super ea quæ de naui erant. Et sic factum est vt omnes animæ euaderent ad terram.

☞ *Feria. vj. ex Exodo. Lectio. j.*

Profectique sunt de Elim, & venit c. 16.
 a omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim, & Sinai: quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Aegypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen, & Aaron, in solitudine. Dixeruntque filij Israel ad eos, Vtinam mortui essemus per manum domini in terra Aegypti quando sedebamus super ollas carniū, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem dominus ad Moysen, Ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat quæ suffi-

unt per singulos dies: vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent quod inferant: & sit duplum quam colligere solebant per singulos dies. Dixeruntque Moy- ses & Aaron ad omnes filios Israel, Vespere scietis quod dominus eduxerit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam domini,] audiuit enim murmur vestrum contra dominum: nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses, Dabit vobis dominus vespere carnes edere, & mane panes in saturitate: eo quod audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum. Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum. Dixit quoque Moyses ad Aaron. Dic vniuersæ congregationi filiorum Israel, Accedite coram domino audiuit enim murmur vestrum. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem: & ecce gloria domini apparuit in nube.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

c. 28. **E**T cum euasissemus, tunc cognouimus quia Melite insula vocabatur. Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem qui imminebat, & frigus. Cum congregasset autem Paulus sermentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, inuasit manum eius. Vt vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, adinuicem dicebant, Vtique homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem conuer-

tendum, & subito casurum & mori. Diu autem illis expectantibus & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se, dicebant eum esse Deum. In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publij, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit. Contigit autem patrem Publij febribus & dysenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intrauit, & cum orasset & imposuisset ei manus, saluauit eum, Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur: qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt quæ necessaria erant. Post menses autem tres, nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hysmauerat, cui erat insigne Castorum. Et cum venissemus Syracusas, mansimus ibi triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium: & post vnum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos, vbi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic venimus Romam. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis vsque ad Appij forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.

¶ Sabbato, ex Exodo. Lectio. j.

LOquutus est autem dominus ad Moysen, dicens, Audiui murmurationes filiorum Israel: loquere ad eos. Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus: scietisque quod ego sum dominus Deus vester. Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix, cooperuit castra: mane quoque ros iacuit per circumitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinae super terram. Quod cum vidis-

c. 16.

sent filij Israel, dixerunt ad inuicem: Manhu? quod significat, Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses, Iste est panis quem dominus dedit vobis ad vescendum. Hic est sermo quem præcepit dominus. Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo sic tolletis. Feceruntque ita filij Israel, & collegerunt, alius plus, alius minus. Et mensi sunt ad mensuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt. Dixitque Moyses ad eos, Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, atque computruit. Et iratus est contra eos Moyses. Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum: cunque incaluisset sol, liquefiebat. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est duo gomor per singulos homines: venerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moysi. Qui ait eis, Hoc est quod loquutus est dominus: requies sabbati sanctificata est domino cras, quodcunque operandum est, facite: & quæ coquenda sunt coquite: quicquid autem reliquum fuerit, reponite vsque in mane. Feceruntque ita vt præceperat Moyses: & non computruit, neque vermis inuentus est in eo. Dixitque Moyses Comedite illud hodie, quia sabbatum est domino: non inuenietur hodie in agro. Sex diebus colligite: in die autem septimo sabbatum est: idcirco non inuenietur. Venitque septima dies: & egressi de populo

vt colligerent, non inuenerunt.

Ex actis Apostolorum. Lectio. ij.

CVm autem venissemus Romam, c. 28. permissum est Paulo permanere sibimet cum custodiente se milite. Post tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cumque uenissent, dicebat eis, Ego viri fratres, nihil aduersus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum: qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. Contradicentibus autem Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem: non quasi gentem meam habens aliquid accusare. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre & alloqui, propter spem enim Israel, catena hac circumdatus sum. At illi dixerunt ad eum, Nos neque literas accepimus de te a Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nuntiauit, aut loquutus est quid de te malum. Rogamus autem a te audire quæ sentis nam de secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi: quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Iesu ex lege Moysi & prophetis, a mane vsque ad vesperam. Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam vero non credebant. Cumque inuicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo vnum verbum, Quia bene spiritus sanctus loquutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, dicens, Vade ad populum istum, & dic, Aure audiens & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauitur audierunt, & oculis suos compresserunt: ne forte videant

oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se quæstionem. Mansit autem biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de domino Iesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.

C Dominica septima post Pentecosten, ex Exodo. Lectio. j.

c. 16

Dixit autem dominus ad Moysen, Vsquequo non vultis custodire mandata mea, & legem meam? 29 videte quod dominus dederit vobis sabbatum, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices: maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo. Et sabbatizauit populus die septimo. Appellauitque dominus Israel nomen eius Man: quod erat quasi semen coriandri album, gustusque eius quasi similæ cum melle. Dixit autem Moyses, Iste est sermo quem præcepit dominus, Imple Gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes: vt nouerit panem quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Aegypti. Dixitque Moyses ad Aaron, Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum potest capere Gomor: & repone coram domino ad seruandum in generationes vestras, sicut præcepit dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum. Filij autem Israel comederunt Man quadraginta annis: donec venirent in terram habitabilem. Hoc cibo aliti sunt, vsquequo tangerent fines terræ Chanaan. Gomor autem decima pars

est ephi.

Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin, per mansiones suas iuxta sermonem domini, castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo. Qui iurgatus contra Moysen ait, Da nobis aquam, vt bibamus. Quibus respondit Moyses, Quid iurgamini contra me, cur tentatis dominum? Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria: & murmurauit contra Moysen, dicens, Cur fecisti nos exire de Aegypto, vt occideres nos, & liberos nostros ac iumenta siti?

Ex epistola secunda Pauli ad Corinthios. Lectio secunda.

PAulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in vniuersa Achaia, gratia vobis & pax a Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. † Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi a Deo, quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. Siue autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute, siue consolamur pro vestra consolatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum quas & nos patimur: vt spes nostra firma est pro vobis: scientes quod sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.] Non enim volumus vos ignorare fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobisip-

c. 17.

ca. 1.

A

B

sis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitatur mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus: quoniam & adhuc eripiet, adiuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum personis facierum, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo abundantius autem ad vos. Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis & cognouistis. Spero autem quod vsque in finem cognoscetis: sicut & cognouistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut & vos nostra in die domini nostri Iesu Christi. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, vt secundum gratiam haberetis: & per vos transire in Macedoniam, & iterum a Macedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Iudæam. Cum ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me Est & Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo Est & Non, sed est in illo Est. Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est per me, & Sylyanum & Timotheum, non fuit in illo Est & Non, sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt in illo Est. Ideo & per ipsum, amen Deo ad gloriam nostram. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quod parcens

vobis, non veni vltra Corinthum, non quia dominamur fidei vestræ: sed adiutores sumus gaudij vestri. Nam fide statis.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. ca. 7.

Et reliqua. Homilia Origenis.

Quod paulo superius spatiosam & latam viam nominauit, hic nunc apertius falsos prophetas ostendit: per quos multi in perditionem abominabilem abierunt. Qui primo in Iudæa multi apparuerunt: & modo perfidia totum implevere mundum. Sed illi prius falsi prophetæ fuerunt, verissimosque domini prophetas vsque ad mortem persequuti sunt, sicut Ieremiam, & Michæam aliosque multos. Isti autem nunc falsi prophetæ, & falsi christiani, qui sunt, veraces Christianos sine misericordia persequuntur & opprimunt aliquando (si detur copia) etiam gladij: sine intermissione autem suis pruis moribus & exemplis. Idcirco omnes præueniens dominus adhortatus est dicens, Attendite a falsis prophetis. Attendite diligentius, obseruate cautius, vt non seducamini, vt non circumueniamini, vt non fallamini. Attendite ergo: hoc est considerate, quia non sunt oues, sed lupi in vestimento ouium: quia non sunt religiosi, sed irreligiosi in figura religiositatis: quia non sunt Christiani, sed veritate vacui, Christianorum persequutores. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. **Te deum. Oratio.**

DEus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, te sup-

plices exoramus: vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas. Per.

☩ **Feria. ij. ex Exodo. Lectio. j.**

c. 17. **C**Lamauit autem Moyses ad dominum, dicens: Quid faciam populo huic? Adhuc paululum, & lapidabit me. Et ait dominus ad Moysen, antecede populum: & sume tecum de senioribus Israel: & virgam qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade. En ego stabo coram te ibi super petram Horeb: percutiesque petram, & exibat ex ea aqua, vt bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israel. Et vocauit nomen loci illius Tentatio, propter iurgium filiorum Israel: & quia tentauerunt dominum, dicentes, Est ne dominus in nobis, an non? Venit autem Amalec, & pugnabat contra Israel in Raphidim. Dixitque Moyses ad Iosue, Elige viros & egressus pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Iosue vt loquutus erat Moyses, & pugnavit contra Amalec. Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit. Aaron autem, & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est vt manus ipsius non lassarentur, vsque ad occasum solis. Fugauitque Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij. Dixit autem dominus ad Moysen, Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Amalec sub cœlo. Aedificauitque Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio

mea, dicens: Quia manus filij domini, & bellum domini erit contra Amalec, a generatione in generationem.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. ca. 2. Si enim ego contristo vos: & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis: vt non cum venero, tristitiam super tristitiam habeam de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est. Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas: non vt contristemini, sed vt sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. Si quis autem contristauit me: non me contristauit, sed ex parte, vt non onerem omnes vos, sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit a pluribus ita vt econuerso magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos vt confirmetis in illum ccharitatem. Ideo enim & scripsi vobis, vt cognoscam experimentum vestrum an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis: & ego. Nam & ego quod donauit, siquid donauit, propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur a Satana. Non enim ignoramus cogitationes eius. Cum venissem autem Troadem propter euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in domino: non habui requiem spiritui meo, eo quod non inuenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis profectus sum in Macedonia. Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui

fiunt, & in ijs qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim sumus (sicut plurimi) adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate, sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.

☞ *Feria. iij. ex Exodo. Lectio. j.*

c. 18. **C**umque audisset Iethro sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, & Israeli populo suo, quod eduxisset dominus Israel de Ægypto: tulit Sefhoram vxorem Moysi quam remiserat, & duos filios eius, quorum vnus vocabatur Gersam, dicente patre, Aduena fui in terra aliena. Alter vero Eliezer. Deus enim, ait, patris mei adiutor meus: & eruit me de gladio Pharaonis. Venit ergo Iethro cognatus Moysi, & filij eius, & vxor eius ad Moysen in desertum, vbi erat castrametatus iuxta montem Dei. Et mandauit Moysi, dicens: Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo filij cum ea. Qui egressus in occursum cognati sui, adorauit, & osculatus est eum: salutaueruntque se mutuo verbis pacificis. Cumque intrasset tabernaculum, narrauit Moyses cognato suo cuncta, quæ fecerat dominus Pharaoni & Aegyptijs propter Israel: vniuersumque laborem qui accidisset eis in itinere, & quod liberauerat eos dominus. Lætatusque est Iethro super omnibus bonis quæ fecerat dominus Israel, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum, & ait: Benedictus dominus qui liberauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Aegypti. Nunc cognoui, quia magnus dominus super omnes Deos, eo quod superbe egerint contra illos. Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta & hostias Deo:

veneruntque Aaron & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo coram Deo.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

Incipimus iterum nosmetipsos commendare? Aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatijs epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. † Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti: non literæ, sed spiritu: litera enim occidit: spiritus autem viuificat. Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis, in gloria est: multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.] Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est. Habentes igitur talem spem, multa fiducia vtimur: & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur:

ca. 3.

A

B

sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersus fuerit ad dominum, auferetur velamen. Dominus autem, spiritus est. Vbi autem spiritus domini, ibi libertas. Nos vero omnes, reuelata facie gloriam domini speculantes: in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a domini spiritu.

☞ *Feria. iiij. ex Exodo. Lectio. j.*

c. 18.

Altera autem die sedit Moyses, vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi a mane vsque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait, Quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam? Cui respondit Moyses, Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius. At ille, Non bonam, inquit, rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste qui tecum est: vltra vires tuas est negocium, solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea atque consilia, & erit dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur, ad eum: ostendasque populo cæremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum: in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore: quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusque sit tibi, partito in alios onere. Si hoc

feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggererat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos & centuriones, & quinquagenarios & decanos. Qui iudicabant plebem domini omni tempore: quicquid autem grauius erat, referebant ad eum. faciliora tantummodo iudicantes. Dimisitque cognatum suum: qui reuersus abiit in terram suam.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

Ideo habentes hanc ministracionem, ca. 4. iuxta quod misericordiam consequuti sumus non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quod si etiam opertum est euangelium nostrum: in ijs qui pereunt est opertum: in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum dominum nostrum: nos autem seruos vestros per Iesum: quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei: in facie Christi Iesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur: sed non angustiamur: aporiamur: sed non destituimur: persequutionem patimur: sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundamur: deiicimur, sed

non perimus: semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum: vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod loquutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit & constituet vobiscum. Omnia enim propter vos: vt gratia abundans, per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus: sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Id enim quod in præsentis est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

☞ *Feria. v. ex Exodo. Lectio. j.*

- c. 19. **M**ense tertio egressionis filiorum Israel de terra Aegypti: in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vsque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel fixit tentoria e regione montis. Moyses autem ascendit ad Deum: vocauitque eum dominus de monte, & ait, Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filiis Israel, Vosipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam: & custodieritis pactum meum, eritis

mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. Venit Moyses, & conuocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat dominus. Responditque omnis populus simul, Cuncta quæ loquutus est dominus, faciemus. Cumque retulisset Moyses verba populi ad dominum, ait ei dominus, Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nuntiauit ergo Moyses verba populi ad dominum. Qui dixit ei, Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet dominus coram omni plebe super montem Sinai. Constituesque terminos populo per circuitum, & dices ad eos, Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis: siue iumentum fuerit siue homo, non viuat: cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

SCimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in coelis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, & non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeat quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ip-

sum, Deus qui dedit nobis pignus spiritus. Audientes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a domino (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentem esse ad dominum. Et ideo contendimus, siue absentes, siue præsentem placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi: ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Scientes ergo timorem domini, hominibus suademus: Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientijs vestris manifestos nos esse. Non iterum commendamus nos vobis: sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde. Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrii sumus, vobis. Caritas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: ut & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Si qua ergo in Christo noua creatura: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo ex-

hortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

☞ *Feria. vj. ex Exodo. Lectio. j.*

Descenditque Moyses de monte ad c. 19. populum, & sanctificauit eum. Cunque lauissent vestimenta sua, ait ad eos, Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. Iamque aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrus, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat: & timuit omnis populus qui erat in castris. Cunque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat: eo quod descendisset dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei. Descenditque dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius. Quo cum ascendisset, dixit ad eum, Descende, & contestare populum: ne forte velit transcendere terminos ad videndum dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque qui accedunt ad dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Dixitque Moyses ad dominum, Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es & iussisti, dicens, Pone terminos circa montem, & sanctifica illum Cui ait dominus, Vade, descende: ascendesque tu, & Aaron tecum: sacerdotes autem & populus non transeant

terminos, nec ascendant ad dominum, ne forte interficiat illos. Descenditque Moyses ad populum: & omnia narrauit eis.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

c.6.a **A** Diuantes autem † exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim, Tempore accepto exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ a dextris & a sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, B & omnia possidentes.] Os nostrum patet ad vos o Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem habentes remunerationem (tanquam filijs dico) dilatamini & vos, nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem, consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui: sicut

dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis: & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus: & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum: & separamini, dicit dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem: & vos eritis mihi in filios & filias, dicit dominus omnipotens.

¶ Sabbato, ex Exodo. Lectio. j.

Locutusque est Deus cunctos sermones hos, Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me, Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles, ego sum dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Non assumes nomen domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem dominus eum, qui assumpserit nomen domini Dei sui frustra. Memento vt diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt & requieuit in die septimo: idcirco benedixit dominus diei sabbati, & sanctificauit eum. † Honora patrem tuum B & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non moech-

aberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

ca. 7. **H**As ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Non ad condemnationem vestram dico. Prædiximus enim quod in cordibus nostris estis ad commoriendum & ad conuiuendum. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris, pugnæ: intus, timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos, Deus, in aduentu Titi. Non solum autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita vt magis gauderem. Quoniam & si contristauis vos in epistola, non me pœnitet: & si pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit. Nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum: vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia, mortem operatur.

Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos: quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam sollicitudinem nostram quam habemus pro vobis coram Deo, ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra quæ fuit ad Titum, veritas facta est: & viscera eius abundantius in vobis sunt, reminiscens omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore exceperitis illum. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

¶ Dominica octaua post Pentecosten, ex Exodo. Lectio. j.

SVnctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, motemque fumantem: & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi, Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Et ait Moyses ad populum, Nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis, Stetitque populus de longe: Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus. Dixit præterea dominus ad Moysen, Hæc dices filijs Israel, Vos vidistis quod de cælo locutus sim vobis. Non facietis mecum Deos ar-

c. 20.
c

genteos, nec Deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oves vestras & boues in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei:] veniam ad te, & benedicam tibi. Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum tuum super eum, polluetur. Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudine tua. Hæc sunt iudicia quæ propones eis, Si emeris seruuum Hebræum, sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intrauerit, cum tali exeat, si habens vxorem: & vxor egredietur simul. Sin autem dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios & filias: mulier & liberi eius erunt domini sui, ipse vero exhibit cum vestitu suo. Quod si dixerit seruus, Diligo dominum meum & vxorem ac liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus dijs, & applicabitur ad ostium & postes, perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueuerunt. Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreuerit eam. Sin autem filio suo desponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. Quod si alteram ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitia non negabit. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

ca. 8. **N**Otam autem facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data est in ecclesijs Macedoniæ: quod in multo experimento tribulationis abundantia

gaujij ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum, quia secundum virtutem (testimonium illis reddo) & supra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam & communicationem ministerij quod fit in sanctos. Et non sicut sperauimus, sed semetipsos dederunt primum domino, deinde nobis per voluntatem Dei: ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam. Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni sollicitudine, insuper & charitate vestra in nos, vt & in hac gratia abundetis. Non quasi imperans dico: sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est: cum esset diues, vt illius inopia, vos diuites essetis. Et consilium in hoc do. Hoc enim vobis vtile est: qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: nunc vero & facto perficite: vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est: secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate. In præsentī tempore, vestra abundantia, illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas, sicut scriptum est, Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Gratias autem ago Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi: quo-

niam exhortationem quidem suscepit: sed cum solitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias: non solum autem, sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam quæ ministratur a nobis ad domini gloriam & destinatum voluntatem nostram: deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis in domini gloriam. Prouidemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multo solitior, confidentia multa in vos, siue pro Tito qui est socius meus & in vos adiutor, siue fratres nostri, Apostoli ecclesiarum, gloria Christi. Ostensionem ergo quæ est charitatis vestræ & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in faciem ecclesiarum.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

c. 16. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. **Et reliqua.**

Homilia sancti Hiero. presby.

Quæstiunculam proposuisti quid sit villicus iniquitatis, qui voce domini laudatur. Cuius cum vellem scire rationem, & de quo fonte processerat: reuolui volumen euangelicum: & inter cætera reperi quod appropinquantibus saluatori publicanis & peccatoribus vt audirent eum, murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes, Quare iste peccatores suscipit, & comedit cum eis? Qui locutus est eis parabolam centum ouium & vnus perditæ, quæ inuenta pastoris humeris reportata est. Et

cum esset posita, statim intulit, Dico vobis quod ita gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonagintanouem iustis qui non habent opus pœnitentia. Aliam quoque parabolam decem drachmarum, vnus quoque perditæ atque repertæ, cum proposuisset, simili eam fine compleuit: sic dico vobis, gaudium erit angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Tertiam quoque parabolam proposuit hominis habentis duos filios, & diuidentis inter eos substantiam. Cumque minor facultatibus perditis egere cœpisset, & comedere siliquas porcorum cibum: reuersus ad patrem, susceptus est ab eo. Frater quoque senior inuidens patris voce corripitur, quod lætari debuerit & gaudere, quia frater eius mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. **Te deum. Oratio.**

LArgire nobis quæsumus domine semper spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi: vt, qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus. Per domi.

¶ Feria. ij. ex Exodo. Lectio. j.

Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deum illum tradidit in manus eius: constitutum tibi locum in quem fugere debeat. Si quis per industriam occiderit proximum suum: & per insidias, ab altari meo auelles eum vt moriatur. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ morte moriatur. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit

in lectulo, si surrexerit, & ambulauerit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit: ita tamen vt operas eius, & impensas in medicos, restituat. Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. Sin autem vno die vel duobus superuixerit, non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est. Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsequuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. Si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancillæ. & luscus eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius, dominus quoque bouis innocens erit. Quod si bos cornu peta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem: bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident. Quod si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus. Filium quoque & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit. Si seruum ancillamque inuaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos vero lapidibus opprimetur.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

ca. 9. **N**Am de ministerio quod fit in sanctos: ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis gloriatur apud Macedones. Quoniam & Achaia parata est ab anno preterito: & vestra æmulatio prouocauit plurimos. Misimus autem fratres: vt ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos, vt non dicamus vos in hac substantia. Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc, paratam esse sic, quasi benedictionem, non tanquam auaritiam. Hoc autem dico, † Qui parce B seminatur, parce & metet: & qui seminatur in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo: non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.] Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam ministerium huius officij non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in domino, per probationem ministerij huius, glorificantes Deum in obe-

dientia confessionis vestræ in euangelio Christi, & simplicitate communicationis vestræ in illos, & in omnes, & in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius.

☞ **Feria. iij. ex Exodo. Lectio. j.**

- c. 21. **S**I quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium iumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit: vendent bouem viuum, & diuident pretium, cadauer autem mortui inter se dispertient, Si autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri & nudius tertius & non custodiuit eum dominus suus: reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet. Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit vel vendiderit: quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. Si effringens fur domum siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit: homicidium perpetravit, & ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur. Si inuentum fuerit apud eum quod furatus est, viuens, siue bos, siue asinus, siue ouis, duplum restituet. Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit iumentum suum vt depascatur aliena: quicquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, siue stantes segetes in agris: reddet damnum qui ignem succenderit. Si quis commen-
- c. 22.

dauerit amico pecuniam aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint: si inuenitur fur, duplum reddet: si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetranda fraudem, tam in boue quam in asino, & oue ac vestimento, & quicquid damni inferre potest, ad Deos vtiusque causa perueniet: & si illi iudicauerit, duplum restituet proximo suo.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

IPse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præsens audeam per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam: qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. Quæ secundum faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi, Christi se esse: hoc cogitet iterum apud se, quod sicut ipse Christi est, ita & nos. Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram non erubescam. Vt autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas. (Quoniam quidem epistolæ inquirunt, graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis) hoc cogitet qui eiusmodi

c. 10.

est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentis in facto. Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. Nos autem non in immensum gloriabimur: sed secundum mensuram regulæ qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad vos. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos. Vsque ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi, non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam, etiam in illa quæ vltra vos sunt euangelizare, non in aliena regula, in ijs quæ præparata sunt gloriari. †

D Qui autem gloriatur in domino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.

☞ *Feria. iij. ex Exodo. Lectio. j.*

c. 22. **S**I quis commendauerit proximo suo asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit: iurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur. Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. Si comestum a bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restituet. Qui a proximo suo quicquid horum mutuo postulauerit, & debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsentis, reddere compelletur. Quod si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui. Si se-

duxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam & habebit eam vxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virginis accipere consueuerunt. Maleficos non patieris viuere. Qui coierit cum iumento, morte moriatur. Qui immolat dijs, occidetur, præterquam domino soli. Aduenam non contristabis, neque affliges eum: aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti, viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occasum reddes ei: Ipsum enim est solum quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices. Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoque, & ouibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi. Viri sancti eritis mihi, carnem quæ a bestijs fuerit prægustata, non comedetis, sed proiicietis canibus.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

VTinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ: sed & sup-
portare me: æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.]
Timeo autem ne sicut serpens Euam
seduxit astutia sua: ita corrumpantur

c. 11.
a
B

sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo. Nam si is qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud euangelium quod non recepistis: recte pateremini. Existimo enim nihil me minus fecisse magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia, in omnibus autem manifestus sumus vobis. At nunquid peccatum feci, meipsum humilians, vt vos exaltemini: quoniam gratis Euangelium Dei euangelizauit vobis? alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministerium vestrum. Et cum essem apud vos, & egerem: nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat suppleuerunt fratres qui venerunt a Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis seruauit, & seruabo. Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaia. Quare? quia non diligo vos? Deus scit. Quod autem facio: & faciam, vt amputem occasionem eorum qui volunt occasionem: vt in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos. Nam eiusmodi pseudo apostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum, ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis, non est ergo magnum si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum. Iterum dico, ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me: vt & ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur secundum carnem: & ego gloriabor.

☞ **Feria. v. ex Exodo. Lectio. j.**

NOn suscipies vocem mendacij: c. 23.
 iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt a vero deuies. Pauperis quoque non misereberis in iudicio. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te, iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Non declinabis in iudicium pauperis. Mendacium fugies. Insontem & iustum non occides, quia auersor impium. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Peregrino molestus non eris, scitis enim aduenarum animas: quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui: & quicquid reliquum fuerit: edant bestia agri, ita facies in vinea, & in oliueto tuo. Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena. Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum Deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Solennitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi tempore mensis nouorum, quando egressus es de Ægypto: non apparebis in conspectu meo vacuus. Et solennitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro, solennitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne mas-

culinum tuum coram domino Deo tuo. Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solennitatis meæ vsque mane. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum domini Dei tui: non coques hœdum in lacte matris suæ.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

c. 11. **L**†benter enim suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt: & ego. Israelitæ sunt: & ego. Semen Abrahæ sunt: & ego. Ministri Christi sunt (vt minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis: in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinques quadragenas, vna minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus: periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana: sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur: & ego non vrer? Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quod non mentior. Damasci præpositus gentis Aretæ Regis, cus-

todiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.

¶ Feria. vj. ex Exodo. Lectio. j.

ECce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem parauit. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetque te angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Heuæum, & Iebusæum, quos ego conteram. Non adorabis Deos eorum, nec coles eos, non facies opera eorum, sed destrues eos: & confringes statuas eorum. Seruietisque domino Deo vestro, vt benedicam panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua, numerum dierum tuorum implebo. Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas. Non eijciam eos a facie tua anno vno: ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestię. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram. Ponam autem terminos tuos a mari rubro vsque ad mare Palæstinorum, & a deserto vsque ad fluuium: tradam in manibus vestris habitatores terræ, & eiiciam eos de conspectu vestro. Non inibis cum eis fœdus, nec

cum dijs eorum. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si seruieris dijs eorum: quod tibi certe erit in scandalum.

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

- c. 12. **S**I gloriari oportet, non expedit quidem? veniam autem ad visiones, & reuelationes domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradysum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter dominum rogavi, vt discederet a me & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis: vt inhabitet in me **B** virtus Christi.] Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cum enim infirmor: tunc potens sum. Factus sum insipiens: vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab ijs qui sunt supra modum apostoli: tametsi nihil sum. Signa tamen apostoli facta sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigijs, & virtutibus. Quid est enim quod minus habuistis præ cæ-

teris ecclesijs: nisi quod ego ipse non grauavi vos? Donate mihi hanc iniuriam. Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare: sed parentes filijs. Ego autem libentissime impendam & super impendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens minus diligar, sed esto, ego vos non grauavi: sed cum essem astutus, dolo vos cepi. Nunquid per aliquem eorum quod misi ad vos, circumueni vos? Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne ijsdem vestigijs? Olim putatis quod excusemus nos apud vos? Coram Deo, in Christo loquimur: omnia enim charissimi propter ædificationem vestram. Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar a vobis qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, de tractiones, susurrations, inflationes, seditiones sint inter vos: ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex ijs qui ante peccauerunt & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.

¶ Sabbato, ex Exodo. Lectio. j.

MOysi quoque dixit, † Ascende ad dominum tu & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul. Solusque Moyses ascendet ad dominum & illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo. Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba domini atque iudicia: responditque cunctus populus vna voce. Omnia verba domini, quæ loquutus est faciemus. c. 24. a

Scriptis autem Moyses vniuersos sermones domini: & mane consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque iuuenes de filijs Israel, & obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia quæ loquutus est dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait, Hic est sanguis fœderis, quod pepigit dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel: & viderunt Deum Israel: & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlum cum serenum est. Nec super eos qui procul recesserant de filijs Israel, misit manum suam. Videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt. Dixit autem dominus ad Moysen, Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata quæ scripsi, vt doceas eos. Surrexerunt Moyses & Iosue minister eius: ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait, Expectate hic, donec reuertamur ad vos, habetis Aaron, & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autem species gloriæ domini, quasi ignis ardens super verticem montis in


conspectu filiorum Israel. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.]

Ex epist. ij. Pauli ad Corin. L. ij.

ECce tertio hoc venio ad vos. In c. 13. ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi enim & prædico, vt præsens vobis, & nunc absens ijs qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus: qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis. Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. Spero autem quod cognoscetis quia nos non sumus reprobi. Oramus autem Deum, vt nihil mali faciat: non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis: nos autem vt reprobi simus. Non enim possumus aliquid aduersus veritatem: sed pro veritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus: vos autem potentes estis. Hoc & oramus, vestram consummationem. Ideo hæc absens scribo: vt non præsens durius agam secundum potestatem, quam dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. De cætero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idipsum sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus

vobis. Amen.

C Dominica. ix. post Pentecosten.
Liber primus Samuelis, Quem nos pri-
mum Regum dicimus. Lectio. j.

ca. 1.  Vit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroham, filij Eliu: filij Thou, filij Suph, Ephrathæus: & habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi. Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli. Ophni & Phinees, sacerdotes domini. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filijs eius, & filiabus partes: Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluderat vuluam eius. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum vt exprobraret quod dominus concludisset vuluam eius: sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum domini: & sic prouocabat eam. Porro illa flebat, & non capiebat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus, Anna cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filij? Surrexit autem Anna postquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi domini, cum esset Anna amaro animo orauit ad dominum flens largiter, & votum vouit dicens, Domine exercituum, si respiciens videris, afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ

sexum virilem: dabo eum domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.

Sanctum Iesu Christi euangelium secundum Matthæum. Lectio. ij.

Liber † generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosophat. Iosophat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassem. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua

c.1.a

natus est Iesus, qui vocatur Chris-
 B tus.] Omnes itaque generationes ab
 Abraham vsque ad Dauid, generationes
 quatuordecim, & a Dauid vsque ad
 transmirationem Babylonis, genera-
 tiones quatuordecim, & a transmira-
 tione Babylonis, vsque ad Christum,
 C generationes quatuordecim. Christi
 autem generatio sic erat. † Cum es-
 set desponsata mater eius Maria Ioseph
 antequam conuenirent, inuenta est in
 vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph
 autem vir eius cum esset iustus & nol-
 let eam traducere: voluit occulte dimit-
 tere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce
 Angelus domini apparuit in somnis ei,
 dicens, Ioseph, fili Dauid, noli timere
 accipere Mariam coniugem tuam: quod
 enim in ea natum est, de Spiritu sancto
 est: pariet autem filium, & vocabis
 D nomen eius, Iesum, ipse enim saluum
 faciet populum suum a peccatis eo-
 rum.] (Hoc autem totum factum est, vt
 adimpleretur quod dictum est a domino
 per prophetam dicentem, Ecce virgo in
 vtero habebit, & pariet filium: & vo-
 cabunt nomen eius Emmanuel, quod
 est interpretatum nobiscum Deus) Ex-
 urgens autem Ioseph a somno, fecit si-
 cut præcepit ei angelus domini: & ac-
 cepit coniugem suam. Et non cognosce-
 bat eam donec peperit filium suum
 primogenitum: & vocauit nomen eius
 Iesum.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

c. 19. **I**N illo tempore: Cum appropinquaret
 Iesus Ierusalem, videns ciuitatem,
 fleuit super illam dicens, Quia si cog-
 nouisses & tu, & quidem in hac die
 tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem
 abscondita sunt ab oculis tuis.

Et reliqua. Hom. sancti Grego. papæ.
 Lectionem sancti euangelij fratres
 charissimi breui (si possum) volo ser-

mone percurrere: vt illis in ea prolix-
 ior detur intentio, qui sciunt ex paucis
 multa cogitare. Quod flente domino
 illa Ierosolymorum subuersio describ-
 atur, quæ a Vespasiano & Tito Ro-
 manis principibus facta est, nullus qui
 historiam euersionis eiusdem legit, ig-
 norat. Romani etenim principes de-
 nuntiantur, cum dicitur, Quia venient
 dies in te, & circundabunt te inimici
 tui vallo: & circundabunt te, & coan-
 gustabunt te vndique, & ad terram
 prosternent te, & filios tuos qui in te
 sunt. Hoc quoque quod additur. Non
 relinquent in te lapidem super lapidem:
 etiam ipsa eiusdem ciuitatis transmi-
 gratio testatur. Quia dum nunc in eo
 loco constructa est, vbi extra portam
 dominus fuerat crucifixus, prior illa
 Ierusalem (vt dicitur) funditus est eu-
 ersa: cui etiam ex qua culpa euersionis
 suæ pœna fuerit illata subiungitur: eo
 quod non cognoueris tempus visitatio-
 nis tuæ. Creator quippe omnium per
 incarnationis suæ mysterium hanc vis-
 itare dignatus est, sed ipsa timoris &
 amoris illius recordata non est. Vnde
 etiam per prophetiam in increpatione
 cordis humani aues cœli ad testimo-
 nium deducuntur, dum dicitur, Miluus
 in cœlo cognouit tempus suum: tur-
 tur & hirundo & ciconia custodierunt
 tempus aduentus sui: populus autem
 meus non cognouit iudicium domini.
 Te deum. Oratio.

PAteant aures misericordiæ tuæ
 domine precibus supplicantium:
 & vt petentibus desiderata concedas,
 fac eos, quæ tibi sunt placita, postu-
 lare. Per do.

☞ Feria. ij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.

FActum est autem, cum illa multi-
 plicaret preces coram domino, vt
 Heli obseruaret os eius. Porro Anna
 ca. 1.

loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei, Vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades. Respondens Anna, Nequaquam inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinum & omne quod inebriare potest, non bibi, sed efudi animam meam in conspectu domini. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta sum vsque in præsens. Tunc Heli ait ei. Vade in pace: & Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. At illa dixit, Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati. Et surrexerunt mane, & adorauerunt coram domino, reuersique sunt, & venerunt in domum suam Ramatha.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c.2.a **C**Vm † ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est per prophetam, Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis,

& mittens illos in Bethlehem dixit, Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis renuntiate mihi: vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem abierunt: & ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Et procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.] Qui cum recessissent, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph, B
dicens. Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte: & secessit in Ægyptum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem, Ex Ægypto vocaui filium meum: Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem & in omnibus finibus eius, a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem, Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.] Defuncto autem Herode, C
ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens, Surge, & accipe puerum & matrem eius, &

vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illo ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur.]

☞ *Feria. iij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.*

ca. 1. **C**Ognouit autem Elcana Annam uxorem suam: & recordatus est eius dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium vocauitque nomen eius Samuel: eo quod a domino postulasset eum. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret domino hostiam solennem & votum suum: & Anna non ascendit: dixit enim viro suo, Non vadam donec ablactetur infans: & ducam eum, vt appareat ante conspectum domini, & maneat ibi iugiter. Et ait ei Elcana vir suus, Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum, precorque vt impleat dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum a lacte. Et adduxit eum secum, postquam ablactauerat in vitulis tribus, & vno modio farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus: & immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. Et ait, Obsecro mi domine, viuunt anima tua domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans dominum. Pro puero isto orauit, & dedit mihi dominus petitionem meam, quam postulauit eum. Idcirco & ego commodauit eum domino cunc-

tis diebus, quibus fuerit accommodatus domino. Et adorauerunt ibi dominum. Et orauit Anna, & ait.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

IN diebus autem illis venit Ioannes ca. 3. Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Hic est enim de quo dictum est per Isaiam prophetam dicentem, Vox clamantis in deserto, Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ & mel syluestre. Tunc exhibit ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem: & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum & Saducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis, Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Tunc venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem: vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum

dicens, Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei, Sine modo. sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum. Et ecce vox de cœlis dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

☩ *Feria. iij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.*

ca. 2. **E**Xultauit cor meum in domino, & exaltatum est cornu meum in domino. Dilatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo. Non est sanctus vt est dominus: neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum dominus est, & ipsi præparantur cogitationes. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Saturati prius, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt: donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reduct. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. Suscitatur de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. Pedes sanctorum suorum seruiabit, & impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine roborabitur vir. Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit: dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. Et abiit Elcana in Ramatha, in do-

mum suam: puer autem erat minister in conspectu domini ante faciem Heli sacerdotis.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

TVNC Iesus † ductus est in desertum a spiritu, vt tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriijt. Et accedens tentator, dixit ei, Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit, Scriptum est, Non in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei, Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus rursum, Scriptum est, Non tentabis dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dicit ei, Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus, Vade satana: scriptum est enim, dominum Deum tuum adorabis: & illi soli seruias. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.] Cum autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam: & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephtalim, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbrae mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare,

& dicere, Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.] Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis, Venite post me: & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua: & vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, sequuti sunt eum.]

D Et circumibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes: varijs languoribus & tormentis comprehensos & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos: & sequutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

☞ *Feria. v. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.*

ca. 2. **P**orro filij Heli, filij Belial, nescientes dominum, neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, siue in cacabum: & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi, sic faciebant vniuerso Israeli venientium in Silo. Etiam antequam adoluerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti, Da mihi carnem: vt coquam sacerdoti: non enim accip-

iam a te carnem coctam, sed crudam. Dicebatque illi immolans, Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantuncunque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei, Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram domino: quia detrahebant homines a sacrificio domini. Samuel autem ministrabat ante faciem domini, puer accinctus Ephod lineo, & tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, vt immolaret hostiam solemnem. Et benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius, dixitque ei, Reddat tibi dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti domino. Et abierunt in locum suum. Visitauit ergo dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuel apud dominum. Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli: & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, & dixit eis, Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit dominus occidere eos. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo quam hominibus.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Videns † autem Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, di-

c.5.a

cens, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis:] sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. †

B Vos estis sal terræ. Quod si sal euauerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accedunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut prophetas, non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines: minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cœlorum.] Dico autem vobis, quia † nisi

abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabit in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo, racha: reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offer munus tuum.]

☩ *Feria. vj. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.*

VEnit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum, Hæc dicit dominus, Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum essent in Aegypto, in domo Pharaonis? & elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de sacrificijs filiorum Israel? Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi vt offerentur in templo: & magis honorasti filios tuos, quam me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israel populi mei? Propterea ait dominus Deus Israel, Loquens loquutus sum, vt domus tua & domus patris tui ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum. Nunc autem dicit dominus, Absit hoc a me: sed quicumque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuer-

ca. 2.

sis prophetis Israel: & non erit senex in domo tua omnibus diebus. Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filijs tuis Ophni & Phinees: In die vno morientur ambo. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. Futurum est autem, vt quicumque remanserit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat numum argenteum, & tortam panis, dicatque, Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

ca. 5. **E**Sto consentiens aduersario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te, expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum est autem, Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vo-

bis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. Iterum audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis: reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlum: quia thronus Dei est: neque per terram: quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam: quia ciuitas est magni Regis, neque per caput tuum iuraueris: quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non non, quod autem his abundantius est, a malo est. Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium, & quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. Qui autem petit a te, da ei: & volenti mutuare a te, ne auertaris. † Audistis quia dictum est, diliges E proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo & vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.]

☩ *Sabbato, ex. j. lib. Reg. Lectio. j.*

ca. 3. **P**Ver autem Samuel ministrabat domino coram Heli: & sermo domini erat pretiosus in diebus illis, nec erat visio manifesta. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucerna Dei antequam extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo domini vbi erat arca Dei. Et vocauit dominus Samuelem. Qui respondens ait, Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, & dixit, Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit.] Non vocaui: reuertere: & dormi. Et abiit, & dormiuit. Et adiecit dominus rursus vocare Samuelem. Consurgensque Samuel abiit ad Heli, & dixit, Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit, Non vocaui te fili mi: reuertere & dormi. Porro Samuel necdum sciebat dominum, nec reuelatus fuerat ei sermo domini. Et adiecit dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, & ait, Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem, Vade, & dormi: & si deinceps vocauerit te, dices: Loquere domine, quia audit seruus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco suo. Et venit dominus, & stetit: & vocauit sicut vocauerat secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel, Loquere, quia audit seruus tuus. Et dixit dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa suscitabo aduersum Heli, omnia quæ locutus sum super domum eius: incipiam & complebo. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem eius, eo quod nouerat indigne agere filios suos, & non

corripuerit eos. Idcirco iuravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.


Secundum Matthæum. Lectio. ij.

A†Tendite ne iustitiam vestram c.6.a
faciatis coram hominibus vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus, amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.] Orantes autem B nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis, scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis, Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester

coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. † Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in absconso: & pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.]

D Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipse tenebræ quantæ erunt?

☩ **Dominica. x. post Pentecosten, ex primo Regum. Lectio prima.**

ca. 3.  Ormiuit autem Samuel vsque mane, aperuitque ostia domus domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Præsto sum. Et interrogauit eum, Quis est sermo qui dictus est ad te? oro te ne celaueris me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit, Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.

Creuit autem Samuel, & dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Et cognouit vniuersus Israel a Dan, vsque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset domini. Et addidit dominus vt appareret in Silo: quoniam reuelatus fuerat dominus Samuel in Silo, iuxta verbum domini. Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israeli.

Et factum est in diebus illis ca. 4. conuenerunt Philisthiim in pugnam. Egressus est nanque Israel obuiam Philisthiim in prælium, & castrametatus est iuxta lapidem adiutorij. Porro Philisthiim venerunt in Aphenec, & instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quam si quatuor millia virorum. Et reuersus est populus ad castra: dixeruntque maiores natu de Israel, Quare percussit nos dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis domini exercituum sedentis super Cherubin: erantque duo filij Heli cum arca fœderis domini, Ophni & Phinees.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.
 N†Emo potest duobus dominis c.6.c. seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: & corpus plusquam vestimentum? Respicite volatilia cœli: quoniam non serunt neque metunt,

neque congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis: quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur

F vobis.] Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi: sufficit diei malitia sua.

ca. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini & in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo? Hipocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

c. 18. **I**N illo tempore: Dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, Duo homines ascenderunt in templum vt orarent: vnus

Pharisæus, & alter Publicanus.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

Diceret saltem Pharisæus non sum sicut cæteri homines. Quid est, cæteri homines, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, iustus sum cæteri peccatores. Non sum sicut cæteri homines, iniusti, auari, raptores, adulteri. Et ecce tibi ex vicino publicano maior est tumoris occasio. Sicut, inquit, Publicanus iste. Ego, inquit, solus sum. Iste de cæteris est. Non sum, inquit, talis qualis iste per iustitias meas quibus iniquus non sum. Ieiuno bis in sabato: decimas do omnium quæ possideo. Quid rogauerit Deum, quære in verbis eius: & nihil inuenies. Ascendit orare: noluit rogare Deum: sed se laudare. Parum est non Deum rogare, sed se laudare: insuper & roganti insultare. Publicanus autem de longinquo stabat: & tamen Deo ipse propinquabat, cordis eum conscientia remouebat: pietas applicabat. Publicanus autem de longinquo stabat: sed dominus eum de propinquo attendebat. Excelsus enim dominus, & humilia respicit: excelsos autem, qualis erat ille Pharisæus, a longe cognoscit. Excelsa quidem Deus a longe cognoscit: sed non ignoscit. Adhuc autem audi humilitatem Publicani. Parum est quia de longinquo stabat, nec suos oculos ad cœlum leuabat, vt aspiceretur non aspiciebat. Te deum. **Oratio.**

DEus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas: multiplica super nos misericordiam tuam: vt ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes. Per domi.

☩ Feria. ij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.

CVnque venisset arca fœderis domini in castra, vociferatus est

ca. 4.

omnis Israel clamore grandi & personuit terra. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque, Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt quod arca domini venisset in castra. Timueruntque Philisthiim, dicentes, Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes, Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius: væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt dij qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. Confortamini, & estote viri Philisthiim: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruiuerunt nobis: confortamini, & bellate, pugnaverunt ergo Philisthiim & cæsus est Israel, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israel triginta millia peditem. Et arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees. Currens autem vir de Beniamin ex acie venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus puluere caput. Cunque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pauens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixitque, Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit: & venit, & nuntiauit Heli. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat. Et dixit ad Heli, Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait. Quid actum est fili mi? Respondens autem ille qui nuntiabat, Fugit, inquit, Israel coram Philisthiim, & ruina magna

facta est in populo: insuper, & duo filij tui mortui sunt, Ophni & Phinees, & arca Dei capta est. Cunque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Senex enim erat vir, & grandæuus, & ipse iudicauit Israel quadraginta annis. Nurus autem eius vxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui: & audito nuntio quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei quæ stabant circa eam, Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit. Et vocabit puerum Ichabod dicens, Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei. Et pro socero suo, & pro viro suo, & ait, Translata est gloria ab Israel eo quod capta esset arca Dei.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

PEtite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur, vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit: nunquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis, bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in coelis est dabit bona petentibus se? Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines: ita & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam. † At-

ca. 7.

C tendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, a fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona, malos fructus facere: neque arbor mala, bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.] Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea: assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuiæ, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea: similis erit viro stulto qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuiæ, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna: Et factum est: cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrinam eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.

☞ *Feria. iij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.*

Philisthiim autem tulerunt arcam ca. 5. Dei, & asportauerunt eam a lapide adiutorij in Azoton, tuleruntque Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon. Cunque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane die altera consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen: porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius super limen Dagon in Azoto, vsque in hodiernum diem. Aggravata est autem manus domini super Azotios, & demolitus est eos: & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate. Videntes autem viri Azotij huiuscemodi plagam, dixerunt, Non maneat arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum. Et mittentes congregauerunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt, Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi, Circuducatur arca Dei Israel. Et circuduxerunt arcam Dei Israel, illis autem circuducentibus eam, fiebat manus domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros vnus cuiusque vrbis, a paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inierunt

tque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cunque venisset arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, vt interficiat nos & populum nostrum. Miserunt itaque & congregauerunt omnes satrapas Philisthinorum: qui dixerunt, Dimittite arcam Dei Israel, & reuertatur in locum suum: & non interficiat nos cum populo nostro. Fiebat enim pavor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei. Viri quoque qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat vlulatus vnus cuiusque ciuitatis in cœlum.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c.8.a **C**Vm autem † descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens, domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens, Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus, Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti & offer munus tuum quod præcepit B Moyses in testimonium illis.] † Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, & dicens, domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus, Ego veniam, & curabo eum. Et respondens centurio, ait, Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est: & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inueni tan-

tam fidem in Israel. Dico autem vobis quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus centurioni, Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.] Et cum venisset C Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem & febricitantem: & tetigit manum eius, & dimisit eam febris: & surrexit & ministrabat eis. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eiiciebat spiritus verbo & omnes male habentes curauit: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrota-

ca. 6. c FERIA. iiij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.

FVit ergo arca domini in regione Philisthinorum septem mensibus. Et vocauerunt Philisthiim sacerdotes & diuinos, dicentes: Quid faciemus de arca domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt, Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuum, sed quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus eius a vobis. Qui

dixerunt, Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi, Iuxta numerum prouinciarum Philistinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam: si forte releuet manum suam a vobis, & a dijs vestris. & a terra vestra. Quare aggrauatis corda vestra sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharaos cor suum? nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt? Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum vnum: & duas vaccas foetas, quibus non est impositum iugum, iungite in plastro, & recludite vitulos earum domi. Tolleisque arcam domini, & ponetis in plastro, & vasa aurea quæ exoluitis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius, & dimittite eam vt vadant. Et aspicietis: & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames: ipse fecit nobis hoc malum grande, sin autem minime: sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos: sed casu accidit. Fecerunt ergo: illi hoc modo: & tolles duas vaccas quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluderunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum. Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames: & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dextram neque ad sinistram, sed & satrapæ Philisthiim sequebantur, vsque ad ter-

minos Bethsames.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

ET † ascendente eo in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes, Domine, salua nos perimus. Et dicit eis Iesus, Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes, Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Et cum venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes. dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt dicentes, Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes, Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis, Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt: & venientes in ciuitatem, nuntiauerunt hæc omnia, & de ijs qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesu. Et viso eo, rogabant eum vt transiret a finibus eorum. † Et ascendens in nauiculam transfretauit: & venit in ciuitatem suam. Et ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se, Hic blasphemamat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, Vt quid cogitatis

c.8.d

E

c.9.a

mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (tunc ait paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit: & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.] Et cum transiret inde Iesus, † vidit hominem sedentem in teloneo, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factum est: discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbabant cum Iesu, & discipulis eius. Et videntes Pharisei, dicebant discipulis eius, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? At Iesus audiens ait, Non est opus valentibus, medico, sed male habentibus. Euntes autem, discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos sed peccatores.]

¶ **Feria. v. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.**

ca. 6. **P**orro Bethsamitæ metebant triticum in valle: & eleuantes oculos suos, viderunt arcam, & gauisi sunt cum vidissent. Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustrum, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum domino. Leuitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam quæ erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa domino. Et quinque satrapæ Philistinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa. Hi sunt

autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto domino: Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum: & mures aureos secundum numerum urbium Philisthiim quinque prouinciarum, ab vrbe murata, vsque ad villam quæ erat absque muro, & vsque ad Abel magnum super quem posuerunt arcam domini quæ erat vsque in die illa in agro Iosue Bethsamitis. Percussit autem dominus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod dominus percussisset plebem plaga magna. Et dixerunt viri Bethsamitæ, Quis poterit stare in conspectu domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet a nobis? Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes, Reduxerunt Philisthiim arcam domini, descendite, & reducite eam ad vos.

¶ **Secundum Matthæum. Lectio. ij.**

ca. 9. **T**Vnc accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes, Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter: discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Iesus, Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius a vestimento: & peior scissura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres novos mittunt: & ambo conseruantur. Hæc illo loquente ad eos, † ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens, Domine, filia mea

modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens Iesus: sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce, mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se, Si tetigero tantum vestimentum eius salua ero. At Iesus conuersus & videns eam, dixit, Confide filia: fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis, Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta esset turba, intrauit: & tenuit manum eius, & dixit: Puella, surge. Et surrexit puella. Et exijt fama hæc in vniuersam terram.] Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes, Miserere nostri fili D Dauid. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus, Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei, Vtique domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens, Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum, & comminatus est illis Iesus, dicens, Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio, loquutus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicentes, Nunquam apparuit sic in Israel. Pharisei autem dicebant, In principe dæmoniorum eiicit dæmones. Et circumibat Iesus omnes ciuitates, & castella docens in synagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem. Videns autem turbas, miser-

tus est eis: quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis, Messis quidem multa, operarij autem pauci, Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

¶ **Feria. vj. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.**

Venerunt ergo viri Cariathiarim, & ca. 7. reduxerunt arcam domini & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa, Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam domini: Et factum est, ex qua die mansit arca domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies, erat quippe iam annus vicesimus: & requieuit omnis domus Israel post dominum. Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israel, dicens, Si in toto corde vestro reuertimini ad dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth: & præparate corda vestra domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim, Abstulerunt ergo filij Israel Baalim & Astaroth, & seruiert domino soli. Dixit autem Samuel, Congregate vniuersum Israel in Masphat, vt orem pro vobis dominum. Et conuenerunt in Masphat: hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi, Peccaumus domino. Iudicauitque Samuel filios Israel in Masphat. Et audierunt Philisthiim quod congregati essent filij Israel in Masphat, & ascenderunt satrapæ Philisthinorum ad Israel, Quod cum audissent filij Israel, timuerunt a facie Philisthinorum. Dixeruntque ad Samuelem, Necesses pro nobis clamare ad dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum. Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum domino: &

clamauit Samuel ad dominum pro Israel, & exaudiuit eum dominus. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim, iniere prælium contra Israel: intonuit autem dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt a filijs Israel. Egressique filij Israel de Masphat persequuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locum qui erat subter Bethchar. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphat & inter Sem: & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij, dixitque, Hucusque auxiliatus est nobis dominus. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltra vt venirent in terminos Israel.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

- c. 10. **E**T conuocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem apostolorum nomina, sunt hæc, primus, Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Hos duodecim misit Iesus: præcians eis, dicens, In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum non intraueritis: sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicare dicentes, Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones eiicite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tui-

cas, neque calceamenta, neque virgam, dignus enim est operarius cibo suo. In quancunque autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeat. Intrantes autem in domum salute eam, dicentes, Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super eam. Si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeunte foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum, in die iudicij, quam illi ciuitati. † Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos: & ad præsides & reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.]

¶ Sabbato. ex. i. lib. Reg. Lectio. j.

FActa est itaque manus domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis: & redditæ sunt vrbes quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron vsque Geth, & terminos suos, liberauitque Israel de manu Philisthinorum, eratque pax inter Is-

B

ca. 7.

rael & Amorrhæum. Iudicabat quoque Samuel Israellem cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala, & Maspith, & iudicabat Israellem in supradictis locis. Reuertebaturque in Ramatha, ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israellem. Ædificauit etiam ibi altare domino.

ca. 8. Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel. Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel: & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee, & non ambulauerunt filij illius in vijs eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha. Dixeruntque ei, Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis. Constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. Dispicuitque sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent, Da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad dominum. Dixit autem dominus ad Samuelem, Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi: veruntamen contestare eos, & prædic eis ius regis qui regnaturus est super eos.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 10. **C**Vm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam, amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis. Non est discipulus super mag-

istrum, nec seruus super dominum suum, sufficit discipulo vt sit sicut magister eius: & seruo sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos: nihil enim est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeressesse assidue veniunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est, qui autem negauerit me coram hominibus: negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. † Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ:

mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti: mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.]

C Dominica. xj. post Pentecosten, ex primo Regum. Lectio prima.

ca. 8.

Dixit itaque Samuel omnia verba domini ad populum, qui petierat a se regem, & ait: Hoc erit ius regis qui imperaturus est vobis, Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messorum segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias & focarias & panificas. Agros quoque vestros, & vineas & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. Et clamabitis in die illa a facie regis vestri quem elegistis vobis: & non exaudiet vos dominus in die illa. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt, Nequaquam. Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudicabit nos rex noster: & egredietur ante nos & pugnabit bella nostra pro nobis. Et audiuit Samuel omnia verba populi, & loquutus est ea in auribus domini. Dixit autem dominus ad Samuelem, Audi vocem eorum, & constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel:

Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

ET factum est cum consummasset c. 11.

Iesus præcipiens duodecim discipulis suis, transijt inde, vt doceret & prædicaret in ciuitatibus eorum. † Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi: mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus, ait illis, Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne, quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam prophetam, hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.] Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista, qui autem minor est in regno cœlorum maior est illo. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt: & si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat. Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coequalibus suis dicunt, Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque

bibens: & dicunt, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens: & dicunt, Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia a filijs suis. Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam, væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis: olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam vobis, & tu Capharnaum nunquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem. Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.

Secundum Marcum. Lectio. iij.

ca. 7. **I**N illo tempore: Exiens Iesus de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

Et rel. Homilia sancti Grego. papæ.

Vigilanter intuendum est, quod voce domini ad prophetam dicitur, vt prius eius sermones audiat, & postmodum loquatur. Audimus enim verba Dei, si facimus: & tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus euangelista confirmat, cum factum domini miraculum narrat dicens: Adducunt ei surdum & mutum: & deprecabantur eum vt imponeret illi manum. Cuius ordinem curationis insinuat, subdens: Misit digitos suos in auriculas, expuensque tetigit linguam eius, & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi, Ephethah: quod est adaperire. Et statim apertæ

sunt aures eius: & solutum est vinculum linguæ eius: & loquebatur recte. Quid est enim quod creator omnium Deus, cum surdum & mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, & expuens linguam eius tetigit. Quid per digitos redemptoris, nisi dona sancti spiritus designantur? Vnde cum in loco alio eiecisset dæmonium dixit, Si in digito Dei eicio dæmonia: profecto peruenit in vos regnum Dei. Quade re per euangelistam alium dixisse describitur, Si ego in spiritu Dei eicio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum Dei. **Te deum. Oratio.**

OMnipotens sempiternus Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita supplicum excedis & vota, effunde super nos misericordiam tuam, vt dimittas quæ conscientia meruit, & adicias quod oratio non præsumit. Per do.

¶ Feria. ij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.

ET erat vir de Benjamin, nomine Cis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo: ab humero & sursum eminebat super omnem populum. Perierant autem asinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium suum, Tolle tecum vnum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, & per terram Salisa, & non inuenissent, transierunt etiam per terram Salim, & non erant: sed & per terram Iemini, & minime repperunt. Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo, Veni, & reuertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, & sollicitus sit pro nobis. Qui ait ei, Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis, omne quod lo-

quitur, sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarchijs nostris: & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quicquam aliud. Rursum puer respondit Sauli, & ait: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram. Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque, vadens consulere Deum: venite, & eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns. Et dixit Saul ad puerum suum, Optimus sermo tuus: veni, eamus. Et ierunt in ciuitatem in qua erat vir Dei. Cunque ascenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis, Num hic est videns? Quæ respondentem, dixerunt illis, Hic est: ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in ciuitatem quia sacrificium est hodie populi in excelso. Ingredientes vrbem statim inuenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum, neque enim comesturus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicet hostiæ, & deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo ascendite, quia hodie reperietis eum.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 11. **I**N illo tempore, Respondens Iesus dicit: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Et nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum, leue.] In illo tempore abijt Iesus per sata sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisei autem videntes, dixerunt ei, Ecce, discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis. At ille dixit eis. Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriijt ipse, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est filius hominis, etiam sabbati. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum dicentes, Si licet sabbatis curare: vt accusarent eum. Ipse autem dixit illis, Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnâ: & si ceciderit hæc sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere. Tunc ait homini, Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati, sicut altera. Exeuntes autem Pharisei, consilium faciebant aduersus eum quomodo perderent eum.

¶ Feria. iij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.

ET ascenderunt in ciuitatem. Cunque illi ambularent in medio

c. 12.
a

ca. 9.

vrbis, apparuit Samuel egrediens obuiam eis, vt ascenderet in excelsum. Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem quam veniret Saul, dicens, Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & vnget eum ducem super populum meum Israel: & saluabit populum meum de manu Philistinorum: quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me. Cunque aspexisset Samuel Saulem, dominus dixit ei, Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait, Indica, oro, mihi, vbi est domus videntis? Et respondit Samuel Sauli, dicens, Ego sum videns: ascende ante me in excelsum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te mane: & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israel? nonne tibi, & omni domui patris tui? Respondens autem Saul ait, Nunquid non filius Iemini ego sum de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo loquutus est mihi sermonem istum? Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum qui fuerant inuitati, erant enim quasi triginta viri, dixitque Samuel coco, Da partem quam dedi tibi, & præcepi vt reponeres seorsum apud te. Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul. Dixitque Samuel, Ecce quod remansit pone ante te, & comede: quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocauit. Et comedit Saul cum Samuele

in die illa. Et descenderunt de excelso in oppidum, & loquutus est cum Saule in solario. Cunque mane surrexissent, & iam dies elucesceret, vocauit Samuel Saulem in solario, dicens, Surge, & dimittam te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet & Samuel. Cunque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dixit ad Saul, Dic puero vt antecedit nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Dei.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Iesus autem sciens, secessit inde & se- c. 12.
 quiti sunt eum multi, & curauit eos omnes: & præcepit eis ne manifestum eum facerent. Vt adimpleretur quod dictum est per Isaïam prophetam, dicentem. Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet neque clamabit: neque audiet aliquis in plateis vocem eius, arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius gentes sperabunt. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus: & curauit eum, ita vt loqueretur & videret. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant, Nunquid hic est filius Dauid? Pharisæi autem audientes dixerunt, Hic non eiicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Iesus autem sciens cogitationes eorum: dixit eis: Omne regnum diuisum contra se desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se non stabit. Et si satanas satanam eiicit, aduersus se diuisus est. Quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eiicio dæmones: filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iu-

dices vestri erunt. Si autem ego in spiritu Dei eiicio dæmones: igitur peruenit in vos regnum Dei: aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere: nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet? Qui non est mecum contra me est: & qui non congregat mecum spargit. Ideo dico vobis: omne peccatum & blasphemia remittitur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittitur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum, siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo, de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

☩ *Feria. iiij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.*

- c. 10. **T**vlit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait, Ecce vnxit te dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circumitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia vnxit te dominus in principem. Cum abieris hodie a me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin in meridie, dicentque tibi: Inuentæ sunt asinæ ad quas ieras perquirendas: & in-

termissis pater tuus asinis sollicitus est pro vobis, & dicit, Quid faciam de filio meo? Cunque abieris inde, & vltra transieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. Cunque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philistinorum: & cum ingressus fueris ibi urbem, obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque inuenierit manus tua, quia dominus tecum est. Et descendes ante me in Galgala: (ego quippe descendam ad te) vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis, donec veniam ad te: & ostendam tibi quid facias. Itaque cum auertisset humerum suum vt abiret a Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obuius ei: & insiluit super eum spiritus domini, & prophetauit in medio eorum. Videntes autem omnes qui nouerant eum heri & nudius tertius, quod esset cum prophetis, & prophetaret, dixerunt adinuicem, Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter prophetas? Respondit alius ad alterum, dicens, Et quis pater eorum? Propterea versum est in prouerbium Num & Saul inter prophetas?

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 12. **T**Vnc † responderunt ei quidam de
c Scribis, & Pharisæis dicentes,
Magister volumus a te signum videre.
Qui respondens ait illis, Generatio
mala & adultera signum quærit, &
signum non dabitur ei, nisi signum
Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas
in ventre ceti tribus diebus & tribus
noctibus: sic erit filius hominis in
corde terræ tribus diebus, & tribus
noctibus. Viri Niniuitæ surgent in
iudicio cum generatione ista, & con-
demnabunt eam: quia pœnitentiam
egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce
plus quam Ionas hic. Regina aus-
tri surget in iudicio cum generatione
ista, & condemnabit eam: quia venit
a finibus terræ audire sapientiam Sa-
lomonis: & ecce plus quam Salomon
hic. Cum autem immundus spiritus
exierit ab homine, ambulat per loca
arida quærens requiem, & non in-
uenit. Tunc dicit, Reuertar in domum
meam vnde exiui. Et veniens, inuenit
eam vacantem, scopis mundatam & or-
natam. Tunc vadit & assumit septem
alios spiritus secum nequiores se, & in-
trantes habitant ibi: & fiunt nouissima
hominis illius peiora prioribus. Sic erit
& generationi huic pessimæ. Adhuc eo
loquente ad turbas, ecce mater eius &
fratres stabant foras, quærentes loqui
ei. Dixit autem ei quidam, Ecce mater
tua & fratres tui foris stant, quærentes
te alloqui. At ille respondens dicenti
sibi, ait, Quæ est mater mea, & qui
sunt fratres mei? Et extendens manum
in discipulos suos, dixit, Ecce mater
mea & fratres mei. Quicumque enim fe-
cerit voluntatem patris mei qui in cœlis
est, ipse meus frater, & soror, & mater
est.]

¶ Feria. v. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.

c. 10. **C**Essauit autem prophetare, & venit
ad excelsum. Dixitque patruus
Saul ad eum, & ad puerum eiusm Quo
abiistis? Qui responderunt, Quærere
asinas, quas cum non reperissemus,
venimus ad Samuelem. Et dixit ei pa-
truus suus, Indica mihi quid dixerit
tibi Samuel. Et ait Saul ad patruum
suum, Indicauit nobis quia inuentæ es-
sent asinæ. De sermone autem regni
non indicauit ei, quem loquutus fuerat
ei Samuel. Et conuocauit Samuel pop-
ulum ad dominum in Masphath, & ait
ad filios Israel, Hæc dicit dominus Deus
Israel, Ego eduxi Israel de Ægypto,
& erui vos de manu Ægyptiorum, &
de manu omnium regum qui afflige-
bant vos. Vos autem hodie proiecis-
tis Deum vestrum, qui solus saluauit
vos de vniuersis malis, & tribulation-
ibus vestris: & dixistis, Nequaquam,
sed regem constitue super nos. Nunc
ergo state coram domino per tribus
vestras, & per familias. Et applicuit
Samuel omnes tribus Israel, & cecidit
sors tribum Benjamin. Et applicuit
tribum Benjamin, & cognationes eius,
& cecidit cognatio Metri, & peruenit
vsque ad Saul, filium Cis. Quæsierunt
ergo eum, & non est inuentus. Et con-
sulerunt post hæc dominum vtrum-
nam venturus esset illuc. Responditque
dominus, Ecce absconditus est domi.
Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum
inde: stetitque in medio populi, & al-
tior fuit vniuerso populo ab humero
& sursum. Et ait Samuel ad om-
nem populum, Certe videtis quem ele-
git dominus quoniam non sit similis illi
in omni populo. Et clamauit omnis
populus, & ait, Viuat rex. Loquutus
est autem Samuel ad populum legem
regni, & scripsit in libro, & reposuit

coram domino: & dimisit Samuel omnem populum singulos in domum suam. Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. Filij vero Belial dixerunt, Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille vero dissimulabat se audire.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 13. **I**N illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt nauculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in litore, & lqcutus est eis multa in parabolis, dicens, Ecce exijt qui seminat, seminare. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam, & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æstuaauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes discipuli dixerunt ei, Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis, Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt: vt adimpletur in eis prophetia Isaïæ dicentis, Auditus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. In-

crassatum est enim cor populi huius: & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clausurunt, nequando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt. Amen quippe dico vobis quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud, non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum Dei audit, & sollicitudo seculi istius & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Qui vero in terram bonam seminatus est: hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero tricesimum.

¶ Feria. vj. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.

ET factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas, Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites, In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel. Et dixerunt ad eum seniores Iabes, Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuer-

sos terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis: & locuti sunt verba hæc audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit. Et ecce Saul veniebat, sequens boues de agro, & ait, Quid habet populus quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes. Et insiliuit spiritus domini in Saul, cum audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis. Et assumens vtrunque bouem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens, Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus. Et recensuit eos in Bezec: fueruntque filiorum Israel trecenta millia, virorum autem Iuda triginta millia. Et dixerunt nuntijs qui venerant, Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad, Cras erit vobis salus cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiauerunt viris Iabes, qui lætati sunt. Et dixerunt, Mane exhibimus ad vos, & facietis nobis omne quod placuerit vobis. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalesceret dies, reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter. Et ait populus ad Samuelem, Quis est iste qui dixit, Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos. Et ait Saul, Non occidetur quisquam in die hac: quia hodie fecit dominus salutem in Israel. Dixit autem Samuel ad populum. Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. Et perrexit om-

nis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram domino. Et lætatus est ibi Saul: & cuncti viri Israel nimis.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Aliam parabolam proposuit illis, c. 18.
 dicens: † Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei, domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei, Vis igitur imus, & colligimus ea? Et ait, Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.] Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Similis est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis, Similis est regnum cœlorum frumento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum

erat per prophetam dicentem, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. Tunc dimissis turbis venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes, Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait illis, Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem, est mundus. Bonum vero semen: hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea: est diabolus. Messis vero, consummatio seculi est. Messores autem, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi, mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat.

¶ **Sabbato, ex. j. lib. Reg. Lectio. j.**

- c. 12. **D**ixit autem Samuel ad vniuersum Israel, Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia quæ loquuti estis ad me, & constitui super vos regem. Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui: porro filij mei vobiscum sunt. itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum. Loquimini de me coram domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt, Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. Dixitque ad eos, Testis est dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die

hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt, Testis. Et ait Samuel ad populum, Dominus qui fecit Moysen & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti, adest. Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersum vos coram domino de omnibus misericordijs domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris: quomodo Iacob ingressus est Ægyptum, & clamauerunt patres vestri ad dominum, & misit dominus Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto: & collocauit eos in loco hoc. Qui oblitus sunt domini Dei sui, & tradidit eos in manus Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Philisthinorum, & in manu regis Moab, & pugnaverunt aduersum eos. Postea autem clamauerunt ad dominum, & dixerunt, Peccauimus, quia dereliquimus dominum, & seruiuimus Baalim, & Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi. Et misit dominus Ierobaal, & Badam & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circumitum, & habitastis confidenter. Videntes autem quod Naas, rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi, Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum dominus Deus vester regnaret in vobis. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis & petistis: ecce dedit vobis dominus regem.

¶ **Secundum Matthæum. Lectio. ij.**


- S**imile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa
- c. 13. f

margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. quam, cum impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam domine. Ait illis, Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.] Et factum est: cum consummasset Iesus parabolâs istas, transijt inde. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent, Vnde huic sapientia hæc & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius, Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? & sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis, Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas, propter

c. 14. incredulitatem illorum. In illo tempore audiuit. Herodes tetrarcha famam Iesu: & ait pueris suis, Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes, Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis

saltauit filia Herodiadis in medio: & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset ab eo. At illa præmonita a matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex: propter iuramentum autem & eos qui pariter recumbebant, iussit dari. Misitque, & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & illa attulit matri suæ. Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud: & venientes nuntiauerunt Iesu.

¶ **Dominica. xij. post Pentecosten, ex primo Regum. Lectio prima.**

 I timueritis dominum, & serueritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os domini: eritis & vos & rex qui imperat vobis sequentes dominum Deum vestrum: si autem non audieritis vocem domini, sed exasperaueritis sermones eius: erit manus domini super vos, & super patres vestros. Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie? inuocabo dominum, & dabit voces, & pluias: & scietis & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu domini, petentes super vos regem. Et clamauit Samuel ad dominum, & dedit dominus voces, & pluias in illa die. Et timuit omnis populus nimis dominum, & Samuelem. Et dixit vniuersus populus ad Samuelem, Ora pro seruis tuis ad dominum Deum tuum, vt non moriamur: addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis vniuersum malum hoc: veruntamen no-

c. 12.

lite recedere a tergo domini, sed seruite domino in omni corde vestro. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. Et non derelinquet dominus populum suum, propter nomen suum magnum, quia iurauit dominus facere vos sibi populum. Absit autem a me hoc peccatum in domino, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. Igitur timete dominum, & seruite ei in veritate ex toto corde vestro, vidistis enim magna, quæ in vobis gesserit. Quod si perseueraueritis in malitia: & vos & rex vester pariter peribitis.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

- c. 14. **Q**uod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula, in locum desertum seorsum, & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus. Et exiens vidit turbam multam: & misertus est eis, & curauit languidos eorum. Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes, Desertus est locus, & hora iam præterijt: dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibi escas. Iesus autem dixit eis, Non habent necesse ire: date illis vos manducare. Responderunt ei, Non habemus hic nisi quinque panes & duos pisces. Qui ait eis, Afferte mihi illos huc. Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis. Et statim compulit Iesus discipulos ascendere

in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi: nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes, Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. Statimque Iesus locutus est eis dicens, Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus dixit, Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens, domine, saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi, Modicæ fidei quare dubitasti? Et cum ascendissent in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt & adorauerunt eum dicentes. Vere filius Dei es. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesaret. Et cum cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: & rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis c. 10. uis, Beati oculi qui vident quæ vos videtis. **Et rel.**

Homilia sancti Ambrosij episc.

In lectione hac exponuntur hi qui sibi legisperiti esse videntur, qui verba legis tenent & vim legis ignorant. Et ex ipso primo legis capitulo do-

cet etiam legis ignaros, probans quod in principio statim lex & patrem & filium prædicauerit, & incarnationis dominicæ annuntiauerit sacramentum, dicens, Diliges dominum Deum tuum: & diliges proximum tuum sicut teipsum. Vnde dominus ait ad legisperitum, Hoc fac & viues. At ille sicut qui nesciret proximum suum, quia in Christum non credebat, respondit, Quis est meus proximus? Itaque qui Christum nescit, nescit & legem. Quomodo enim potest scire legem, cum veritatem ignoret, cum lex annuntiet veritatem? Homo quidam ex Ierusalem descendebat in Iericho. Vt enim locum qui propositus est nobis, planius possumus absoluere, veterem ciuitatis Iericho repetamus historiam. Meminimus itaque quod Iericho (sicut legimus in libro, qui inscribitur Iesu naue) magna ciuitas fuerit muralibus septa parietibus, quæ non ferro peruia, non arieti possit esse penetrabilis. In ea Raab habitasse meretricem, quæ exploratores, quos direxit Iesus, hospitio suscepit, consilio instruxit, postulantis ciuibus abiisse respondit, abscondit in tecto, & vt se suosque vrbis excidio posset eripere, coccum in fenestra ligauit. Vrbis autem ipsius inexpugnabiles muros septem tubarum sacerdotalium sono & populi vlantis, vlulatu consono corruisse. **T**e deum.

Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi a fidelibus tuis digne & laudabiliter seruiatur: tribue quæsumus nobis, vt ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per dominum.

¶ **Feria. ij. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 13. **F**ilius vnus anni erat Saul cum regnare cœpisset: duobus autem an-

nis regnauit super Israel. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel: & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Benjamin. Porro cæterum populum remisit vnquenque in tabernacula sua. Et percussit Ionathas stationem Philisthorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit bucina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. Et vniuersus Israel audiuit huiuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philisthorum: & erexit se Israel aduersus Philisthiim. Clamauit ergo populus post Saul in Galgala. Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia currum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena quæ est in litore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethauem. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis. Hebræi autem transierunt Iordanem in terram Gad & Galaad.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

TVnc † accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes, Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas cum panem manducant. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, Honora patrem, & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit. Et non hon-

c. 15.
a

orificabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicens: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei, Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum, cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent. Respondens autem Petrus dixit ei, Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit, Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquant hominem, De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquant

B hominem.] Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamauit dicens ei, Miserere mei domine fili Daud: filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes, Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait, Non sum missus nisi

ad oues quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum, dicens, domine adiuua me. Qui respondens, ait, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit, Etiam domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.]

¶ *Feria. iij. ex. j. Regum. Lectio. j.*

CUnque adhuc esset Saul in Galgala, c. 13. vniuersus populus perterritus est qui sequebatur eum. Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala: dilapsusque est populus ab eo. Ait ergo Saul. Afferte mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum. Cunque complisset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat & egressus est Saul obuiam ei, vt salutaret eum. Locutusque est ad eum Samuel, Quid fecisti? Respondit Saul, Quia vidi quod populus dilaberetur a me, & tu non veneras iuxta placitos dies: porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas: dixi, Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem domini non placui. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum domino. Dixitque Samuel ad Saul, Stulte egisti, nec custodisti mandata domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset dominus regnum tuum super Israel in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei dominus vt esset dux super populum suum, eo quod non seruaueris quæ præcepit dominus. Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin, & reliqui

populi ascenderunt post Saul obuiam populo qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa in colle Benjamin. Et recensuit Saul populum, qui inuenti fuerant cum eo, quasi sexcentos viros: & Saul & Ionathas filius eius, populusque qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porro Philisthiim conserderant in Machmas.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

- c. 15. **E**T cum transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Israel. Iesus autem conuocatis discipulis suis, dixit, Misereor turbæ: quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducant: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficient in via. Et dicunt ei discipuli, Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam? Et ait illis Iesus, Quot panes habetis? At illi dixerunt, Septem, & paucos pisciculos. Et præcepit turbæ vt discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfluit de fragmentis tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerunt quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres. Et dimissa turba, ascendit in nauiculam: & venit in fines Magedan.
- c. 16. Et accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum vt signum de cœlo os-

tenderet eis. At ille respondens, ait illis, Facto vespere dicitis, Serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et mane, Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare nostis: signa autem temporum non potestis? Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis, abiit. Et cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis, Intuemini & cauete a fermento Pharisæorum & Sadducæorum. At illi cogitabant intra se, dicentes, Quia panes non accepimus. Sciens autem Iesus, dixit illis, Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum & quinque millium hominum, & quot cophinos sumpsistis? neque septem panum, in quatuor millium hominum, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis? Cauete a fermento Pharisæorum & Sadducæorum? Tunc intellexerunt quia non dixit cauendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.

¶ Feria. iiij. ex. j. Regum. Lectio. j.

- E**T egressi sunt ad præliandum de castris Philisthinorum tres cunei: vnus cuneus pergebat contra viam Ephraim ad terram Saul, porro alius ingrediebatur per viam Bethoron, tertius autem verterat se ad iter termini in terra Sabaa, imminentis valli Seboim contra desertum. Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel, cauerant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim,
- c. 13.

& sarculum. Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. Cunque venisset dies prælij, non est inuentus ensis & lancea in manu totius populi qui erat cum Saule & Ionatha, excepto Saul & Ionatha filio eius. Egressa est autem statio Philisthiim vt transcenderet in Machmas. Et accidit in quadam die vt diceret Ionathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum, Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicauit. Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa sub malo granato: quæ erat in agro Gabaa: & erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote domini in Silo, portabat Ephod. Sed & populus ignorabat, quo isset Ionathas. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc inde prærupti, nomen vni Boses, & nomen alteri Sene: vnus scopulus prominens ad Aquilonem ex aduerso Machmas, & alter ad meridiem contra Gabaa.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 16. **V**†Enit autem Iesus in partes
b Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt, Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum ex prophetis. Dicit illis Iesus, Vos autem quem me esse dicitis? respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Si-

mon Bar iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.] Tunc præcepit discipulis suis vt nemini dicerent quia ipse esset Iesus Christus. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati a senioribus & Scribis & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens, Absit a te domine: non erit tibi hoc, Qui conuersus, dixit Petro, Vade post me satana: scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Tunc Iesus dixit discipulis suis, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnique secundum opera eius. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.

¶ Feria. v. ex. j. Regum. Lectio. j.

Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum, Veni, transeamus ad stationem incircunciso-

C

c. 14.

rum horum: si forte faciat dominus pro nobis: quia non est domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis. Dixitque ei armiger suus, Fac omnia quæ placent animo tuo, perge quo cupis, & ero tecum vbicunque volueris. Et ait Ionathas, Ecce nos transimus ad viros istos. Cunque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, Manete, donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos dominus in manibus nostris, hoc erit nobis signum. Apparuit igitur vterque stationi Philistinorum, dixeruntque Philisthiim. En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus absconditi fuerant. Et locuti sunt viri de statione ad Ionatham, & ad armigerum suum, dixeruntque, Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum suum, Ascendamus, sequere me: tradidit enim dominus eos in manus Israel. Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque cum vidissent faciem Ionathæ, alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum. Et facta est plaga prima, qua percussit Ionathas & armiger eius, quasi viginti virorum in media parte iugeris, quam par boum in die arare consuevit. Et factum est miraculum in castris per agros: sed & omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra, & accidit quasi miraculum a Deo.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 17. **E**T post dies sex, † Assumpsit Iesus
a Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfigura-

tus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum, Domine bonum est nos hic esse: si vis faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos: dixitque eis, Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte præcepit illis Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.] Et interrogauerunt eum discipuli eius dicentes, Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens, ait eis, Elias quidem venturus est, & restituet omnia. dico autem vobis quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli quia de Ioanne Baptista dixisset eis. Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum: dicens: domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam: & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Respondens autem Iesus, ait, O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum? Vsquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus: B

& exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto & dixerunt, Quare nos non potuimus eicere illum? Dixit illis Iesus, Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eiicitur nisi per orationem & ieiunium. Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus, Filius hominis tradendus est in manus hominum: & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

☞ **Feria. vj. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 14. **E**T respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, & ecce multitudo prostrata, & huc illucque diffugiens. Et ait Saul populo qui erat cum eo, Requirit, & videte quis abierit ex nobis. Cunque requisissent, repertum est non adesse Ionathan, & armigerum eius. Et ait Saul ad Achiam, Applica arcam Dei. Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel. Cunque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum, crescebatque paulatim, & clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem, Contrahe manum tuam, Conclamauit ergo Saul, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt vsque ad locum certaminis: & ecce versus fuerat gladius vnus cuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis. Sed & Hebræi qui fuerant cum Philistiim heri & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt vt essent cum Israel qui erant cum Saul & Ionatha. Omnes quoque Israelitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audi-

entes quod fugissent Philisthæi, sociauerunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul quasi decem millia virorum. Et saluauit dominus Deus Israel in die illa: pugna autem peruenit vsque ad Bethauen. Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

ET cum venissent Capharnaum: accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magister vester non soluit didrachma? Ait, Etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Iesus, Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit, tolle. & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te. In illa hora † accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes. Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste: hic est maior in regno cœlorum. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit, qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala: veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, absconde eum, & proice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi de-

c. 17.

c. 18.

a

bilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est vnum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei
 B qui in cœlis est.] Venit enim filius hominis saluare quod perierat. Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oues, & errauit vna ex eis: nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam quæ errauit? & si contigerit vt inueniat eam, amen dico vobis quia gaudet super eam magis quam super nonagintanouem quæ non errauerunt. Sic non est voluntas ante patrem vestrum qui in cœlis est vt
 C pereat vnus de pusillis istis. † Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. si autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quancunque petierint, fiet illis a patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum.

☞ **Sabbato, ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 14. **A** Diurauit autem Saul populum, dicens, Maledictus vir qui

comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem: omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum. Porro Ionathas non audierat cum adiuraret pater eius populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius. Respondensque vnus de populo, ait, Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem hodie: defecerat autem populus. Dixitque Ionathas, Turbauit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustauerim paululum de melle isto: quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? Nonne maior plaga facta fuisset in Philisthiim? Percusserunt ergo in die illa Philisthæos a Machmis vsque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis, & versus ad prædam tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra: comeditque populus cum sanguine. Nuntiauerunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset domino, comedens cum sanguine. Qui ait, Præuaricati estis: voluite ad me iam nunc saxum grande. Et dixit Saul, Dispergimini in vulgus, & dicite eis vt adducat ad me vnusquisque bouem suum & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bouem in manu sua

vsque ad noctem, & occiderunt ibi.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 18. **T**Vnc accedens Petrus ad eum, dixit,
 d domine quoties peccabit in me
 frater meus, & dimittam ei, vsque sep-
 ties? Dixit illi Iesus, Non dico tibi
 vsque septies: sed vsque septuagies
 E septies.] Ideo † assimilatum est reg-
 num cœlorum homini regi, qui voluit
 rationem ponere cum seruis suis. Et
 cum cœpisset rationem ponere, oblatu-
 s est ei vnus qui debebat ei decem mil-
 lia talenta. Cum autem non haberet
 vnde redderet, iussit eum dominus eius
 venundari & vxorem eius & filios, &
 omnia quæ habebat, & reddi. Proci-
 dens autem seruus ille, orabat eum, di-
 cens, Patientiam habe in me, & om-
 nia reddam tibi. Misertus autem domi-
 nus serui illius, dimisit eum, & debi-
 tum dimisit ei. Egressus autem seruus
 ille, inuenit vnum de conseruis suis,
 qui debebat ei centum denarios: &
 tenens suffocauit eum, dicens, Redde
 quod debes. Et procidens conseruus
 eius, rogabat eum, dicens: Patientiam
 habe in me, & omnia reddam tibi.
 Ille autem noluit: sed abijt, & misit
 eum in carcerem donec redderet debi-
 tum. Videntes autem conserui eius
 quæ fiebant, contristati sunt valde, &
 venerunt, & narrauerunt domino suo
 omnia quæ facta fuerant. Tunc vo-
 cavit illum dominus suus, & ait illi,
 Serue nequam, omne debitum dimisi
 tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo
 oportuit & te misereri conserui tui, si-
 cut & ego tui misertus sum? Et iratus
 dominus eius, tradidit eum tortoribus,
 quoadusque redderet vniuersum debi-
 tum. Sic & Pater meus cœlestis faciet
 vobis, si non remisieritis vnusquisque
 fratri suo de cordibus vestris.]

c. 19. Et factum est cum consumas-

set Iesus sermones istos, migravit a
 Galilæa, & venit in fines Iudææ trans
 Iordanem, & sequutæ sunt eum turbæ
 multæ, & curauit eos ibi. Et ac-
 cesserunt ad eum Pharisæi tentantes
 eum, & dicentes, Si licet homini dimit-
 tere vxorem suam quacunque ex causa?
 Qui respondens, ait eis, Non legistis
 quia qui fecit hominem ab initio, mas-
 culum & fœminam fecit eos? Et dixit,
 propter hoc, dimittet homo patrem &
 matrem, & adhærebit vxori suæ: &
 erunt duo in carne vna, itaque iam non
 sunt duo, sed vna caro. Quod ergo
 Deus coniunxit, homo non separet. Di-
 cunt illi, Quid ergo Moyses mandauit
 dare libellum repudij, & dimittere? Ait
 illis, Quoniam, Moyses ad duritiam
 cordis vestri permisit vobis dimittere
 vxores vestras: ab initio autem non fuit
 sic. Dico autem vobis, quia quicumque
 dimiserit vxorem suam, nisi ob fornica-
 tionem, & aliam duxerit, mœchatur: &
 qui dimissam duxerit: mœchatur. Di-
 cunt ei discipuli eius: Si ita est causa
 hominis cum vxore, non expedit nu-
 bere. Qui dixit illis: Non omnes capi-
 unt verbum istud, sed quibus datum
 est. Sunt enim eunuchi, qui de ma-
 tris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi
 qui facti sunt ab hominibus: & sunt eu-
 nuchi qui seipsos castrauerunt propter
 regnum cœlorum. Qui potest capere
 capiat.

**¶ Dominica. xiiij. post Pentecosten, ex
 primo Regum. Lectio prima.**

Edificauit autem Saul altare c. 14.
 domino: tuncque pri-
 mum cœpit ædificare altare
 domino. Et dixit Saul, Irrua-
 mus super Philisthæos nocte, & vaste-
 mus eos vsque dum illucescat mane, nec
 relinquamus ex eis virum. Dixitque
 populus, Omne quod bonum videtur

in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos, Accedamus huc ad Deum. Et consuluit Saul dominum, Num persequar Philisthiim? si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa. Dixitque Saul, Applicate huc vniuersos angulos populi: & scitote, & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. Viuit dominus saluator, Israel quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. Et ait ad vniuersum Israel, separamini vos in partem vnam, & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul, Quod bonum tibi videtur in oculis tuis fac. Et dixit Saul ad dominum Deum Israel, domine Deus Israel da indicium, quid est quod non responderis seruo tuo hodie? Si in me aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem, aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas & Saul: populus autem exiuit. Et ait Saul, mittite sortem inter me, & inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas. Dixit autem Saul ad Ionathan, Indica mihi quid feceris, Et indicauit ei Ionathas & ait, Gustans gustauit in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior? Et ait Saul, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. Dixitque populus ad Saul, Ergone Ionathas morietur qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est: viuit dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram: quia cum Deo operatus est hodie. Liberauit ergo populus Ionathan vt non moreretur. Recessitque Saul, nec persequutus est Philisthiim: porro

Philisthiim abierunt in loca sua.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

TVnc oblatis sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus vero ait eis, Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum: & cum imposuisset eis manus abiit inde. Et ecce vnus accedens ait illi, Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei, Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi, Quæ? Iesus autem dixit, Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dixit illi adolescens, Omnia hæc custodiui a iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. Iesus autem dixit discipulis suis, Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valde, dicentes, Quis ergo poterit saluus esse? Aspiciens autem Iesus, dixit illis, Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omniaabilia sunt. Tunc respondens Petrus, dixit ei, † Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis, Amen dico vobis, quod vos qui se-

ca. 19.

B

quiti estis me: in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.]

C Multi autem erunt primi, nouissimi: & nouissimi, primi.

Secundum Lucam. Lectio. ij.

c. 17. **I**N illo tempore, Cum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.

Et rel. Hom. sancti Augusti. episc.

De decem leprosis quod dominus ita mundauit, cum ait, Ite ostendite vos sacerdotibus, quæri potest cur ad sacerdotes eos miserit, vt cum irent mundarentur. Nullum enim eorum quibus corporalia hæc beneficia præstitit, inuenitur misisse ad sacerdotes nisi leprosos. Nam & illum a lepra mundauerat cui dixit, Vade, ostende te sacerdoti, & offer pro te sacrificium, quod præcepit Moyses in testimonium illis. Quærendum est igitur, quid ipsa lepra significet. Non enim sanati, sed mundati dicuntur, qui ea caruerunt. Coloris quippe vitium est non valetudinis, aut integritatis sensuum, atque membrorum. Leprosi ergo non absurde intelliguntur, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Nulla porro falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permista, in vna disputatione vel narratione hominis tanquam in vnius corporis colore apparentia significant lepram tanquam veris falsisque colorum locis humana

corpora variantem atque maculantem. Sacerdotum vero Iudæorum nemo fere fidelium dubitat figuram fuisse futuri sacerdotij regalis quod est in ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi & veri principis sacerdotum. Te deum. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per dominum nostrum.

¶ Feria. ij. ex. j. Regum. Lectio. j.

ET Saul confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum aduersum omnes inimicos eius, contra Moab & filios Ammon, & Edon, & reges Soba, & Philisthæos: & quocunque se verterat, superabat. Congregatoque exercitu percussit Amalec, & eruit Israel de manu vastatorum eius. Fuerunt autem filij Saul, Ionathas, & Iessui, & Melchisua: & nomina duarum filiarum eius nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol. Et nomen vxoris Saul, Achinoen filia Achimaas: & nomen principis militiæ eius Abner, filius Ner, patruelis Saul. Porro Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel. Erat autem bellum potens aduersum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcunque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi. Et dixit Samuel ad Saul, Me misit dominus, vt vngerem te in regem super populum eius Israel: nunc ergo audi vocem domini. Hæc dicit dominus exercituum, Recensui quæcunque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percutite Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed inter-

c. 14.

c. 15.

face a viro vsque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum. Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 20. **S**imile est regnum cœlorum homini patrifamilias qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno misit eos in vineam suam Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis, Ite & vos in vineam meam: & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam & nonam horam: & fecit similiter. Circa vndecimam vero exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis, quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis, Ite & vos in vineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a nouissimis vsque ad primos. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patrem familias, dicentes, Hi nouissimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus? At ille respondens, vni eorum dixit, Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic, nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus

sum? Sic erunt nouissimi, primi: & primi nouissimi, multi enim sunt vocati: pauci vero electi.] Et † ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.] Tunc † accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis? Ait illi, Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, Possumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis: sed quibus paratum est a patre meo.] Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocauit eos ad se: & ait, Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.

¶ Feria. iij. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.

Cunq̄ue venisset Saul vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. Dixitque Saul Cinæo, Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne forte inuoluam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filijs Israel, cum ascenderent de

c. 15.

Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. Percussitque Saul Amalec ab Euila, donec venias ad Sur, quæ est e regione Ægypti: & apprehendit Agag regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij. Et pepercit Saul & populus, Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quicquid vero vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt. Factum est autem verbum domini ad Samuel, dicens, Pœnitet me quod constituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Contristatusque est Samuel, & clamauit ad dominum tota nocte. Cunque de nocte surrexisset Samuel: vt iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, & reuersus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum domino de initijs prædarum quæ attulerat ex Amalec. Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul, Benedictus tu domino, impleui verbum domini. Dixitque Samuel, Et quæ est hæc vox gregum quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio? Et ait Saul, De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis vt immolarentur domino Deo tuo, reliqua vero occidimus.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 20. **E**T egredientibus illis ab Iericho, sequuta est eum turba multa: & ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret: & clamauerunt, dicentes, Domine miserere nostri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos vt tacerent. At illi magis

clamabant, dicentes, Domine, miserere nostri, fili Dauid. Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait, Quid vultis vt faciam vobis? Dicunt illi, Domine, vt aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt: & sequuti sunt eum. † Et cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis, Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit: dicite quia dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant, dicentes, Hosanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine domini:] Hosanna in Altissimis. † Et cum intrasset Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant, Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilææ. Et intrauit Iesus in templum Dei: & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas euerterit, & dicit eis, Scriptum est, Domus mea, Domus orationis vocabitur:

c. 21.
a

vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo: & sanauit eos.

☞ **Feria. iij. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 15.

A It autem Samuel ad Saul, Sine me, & indicabo tibi quæ loquutus sit dominus ad me nocte. Dixitque ei, Loquere. Et ait Samuel, Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? vnxitque te dominus in regem super Israel, & misit te dominus in viam, & ait, Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos, vsque ad interneccionem eorum. Quare ergo non audisti vocem domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis domini? Et ait Saul ad Samuelem, Imo audiui vocem domini, & ambulauit in via per quam misit me dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de præda populus oues & boues primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet domino Deo tuo in Galgalis. Et ait Samuel, Nunquid vult dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci domini? Melior est enim obedientia quam victimæ: & auscultare, magis quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonem domini, abiecit te ne sis rex. Dixitque Saul ad Samuelem, Peccaui quia præuaricatus sum sermonem domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. Sed nunc porta quæso peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem dominum. Et ait Samuel ad Saul, Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem domini, & proiecit te dominus ne sis rex super Israel. Et conuersus est Samuel vt

abiret: ille autem apprehendit summilitatem pallij eius, quæ & scissa est. Et ait ad eum Samuel, Scidit dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro triumphator in Israel non parcat, & poenitudine non flectetur: neque enim homo est vt agat poenitentiam. At ille ait, Peccaui: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem dominum Deum tuum.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo & dicentes, Hosanna filio Dauid: indignati sunt, & dixerunt ei, Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique, nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam: ibique mansit.] Mane autem reuertens in ciuitatem esurijt. Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantum, & ait illi, Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes, Quomodo continuo aruit? Respondens autem Iesus, ait eis, Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle & iacta te in mare, fiet. Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem, principes sacerdotum & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis: & quis tibi dedit hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit eis: Interrogabo vos

c. 21.
c

D

& ego vnum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis vnde erat, e cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: Si dixerimus e cœlo: dicet nobis, Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus: timemus turbam, omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam. Et respondentes Iesu dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios: & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait, Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo domine. Et non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei, Primus. Dixit illis Iesus, Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ: & non credidistis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis ei.

☞ **Feria. v. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 15. **R**euersus ergo Samuel sequutus est Saulem: & adorauit Saul dominum. Dixitque Samuel, Adducite ad me Agag regem Amalec, & oblatum est ei Agag pinguisimus. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors? Et ait Samuel, Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frustra concidit eum Samuel coram domino in Galgalis. Abijt autem Samuel in Ramatha, Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa. Et non vidit Samuel vltra Saul vsque ad diem mor-

tis suæ: veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel.

Dixitque dominus ad Samuelem, c. 16. Vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem. Et ait Samuel, Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait dominus, Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias: & vnges quencunque monstrauero tibi. Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei dominus. Venitque in Bethlehemi, & admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei, dixeruntque, Pacificusne est ingressus tuus? Et ait, Pacificus: ad immolandum domino veni. Sanctificamini, & venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo Isai & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium. Cunque ingressi essent: vidit Eliab, & ait, Num coram domino est Christus eius? Et dixit dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea, quæ parent: dominus autem intuetur cor. Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit, Nec hunc elegit dominus. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait, Etiam hunc non elegit dominus.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Aliam parabolam audite. † Homo c. 21. d erat paterfamilias qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit tur-

rim, & locauit eam agricolis: & peregre profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus: & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se, Hic est hæres: venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam: & occiderunt. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi, Malos male perdet: & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Dicit illis Iesus, Nunquam legistis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. Et cum audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolam eius: cognouerunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.] Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis, dicens: † Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolabant venire. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum parauit,

tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum: & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem rex vt viderent discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi, Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit rex ministris, Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati: pauci vero electi.]

☞ *Feria. vj. ex. j. lib. Reg. Lectio. j.*

ADduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: & ait Samuel ad Isai, Non elegit dominus ex istis. Dixitque Samuel ad Isai, Nunquid iam completi sunt filij? Qui respondit, Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, & adduc eum: nec enim discumbemus prius, quam huc ille veniat. Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie. Et ait dominus: Surge, & vnge eum: ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus est spiritus domini a die illa in Dauid: & deinceps:

surgensque Samuel abijt in Ramatha. Spiritus autem domini recessit a Saul, & exagitabat eum spiritus nequam a domino. Dixeruntque serui Saul ad eum: Ecce spiritus domini malus exagitat te. Iubeat dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara: vt quando arripuerit te spiritus domini malus, psallat manu sua, & leuius feras. Et ait Saul ad seruos suos: Prouidete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me. Et respondens vnus de pueris, ait: Ecce, vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & dominus est cum eo. Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis. Tulit ergo Isai asinum plenum panibus, & lagenam vini, & hœdum de capris vnum, & misit per manum Dauid filij sui Sauli. Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger. Misitque Saul ad Isai, dicens, Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis. Igitur quandocumque spiritus domini arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

- c. 22. **T**Vnc † abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes, Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus, Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris, Tunc ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.] Et audientes mirati sunt: & relicto eo abierunt. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogauerunt eum, dicentes, Magister, Moyses dixit, si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres: & primus vxore ducta defunctus est, & non habens semen, reliquit vxorem suam fratri suo. Similiter secundus & tertius vsque ad septimum. Nouissime autem omnium & mulier defuncta est. In resurrectione ergo, cuius erit de septem vxor? omnes enim habuerunt eam. Respondens autem Iesus, ait illis, Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, † conuenerunt in vnum: & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans eum, Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum &

primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei, Daud. Ait illis, Quomodo ergo Daud in spiritu vocat eum dominum? dicens: Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Si ergo Daud vocat eum dominum: quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.]

☩ **Sabbato, ex. j. Regum. Lectio. j.**

- c. 17. **C**ongregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ: & castrametati sunt inter Socho & Azeca in finibus Dommim. Porro Saul & filij Israel congregati venerunt in vallem Terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnam contra Philisthiim. Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, & Israel stabat supra montem ex altera parte: vallisque erat inter eos, & egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi: & cassis ærea super caput eius: & lorica squamata induebatur: porro pondus lorice eius, quinque millia siclorum æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius: hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium textentium, ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum, Stansque clamabat aduersum phalangas Israel, & dicebat eis, Quare venistis parati ad prælium?

nunquid ego non sum Philisthæus, & vos serui Saul? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen: si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui: si autem ego præualuero, & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis nobis. Et aiebat Philisthæus. Ego exprobraui agminibus Israel hodie. Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen. Audiens autem Saul, & omnes Israelitæ sermones Philisthæi huiuscemodi, stuebant & metuebant nimis. Daud autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul senex, & grandæuus inter viros. Abierunt autem tres filij eius maiores post Saul in prælium: & nomina trium filiorum eius qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertius quoque Samma, Daud autem erat minimus. Tribus ergo maioribus secutis Saulem, abijt Daud, & reuersus est a Saul, vt pasceret gregem patris sui in Bethlehem. Procebat vero Philisthæus mane & vespere, & stabat quadraginta diebus.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

TVnc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens, † Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruete & facite: secundum vero opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & pri-

mas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester: omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magistri: quia magister vester vnus est, Christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.] Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines. vos enim non intratis: nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum: orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia circumitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. Væ vobis duces cæci, qui dicitis, Quicumque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templo, debitor est. Stulti & cæci, quod enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci quod enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari: iurat in eo & in omnibus quæ super illud sunt, & quicumque iurauerit in templo: iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentam & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora

sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

¶ Dominica. xiiij. post Pentecosten, ex primo Regum. Lectio prima.

Sixit autem Isai ad Dauid filium suum, Accipe fratribus tuis Ephraim, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos, & decem formellas casei has deferes ad tribunal: & fratres tuos visitabis, si recte agant, & cum quibus ordinati sunt, disce. Saul autem & illi, & omnes filij Israel, in valle Terebinthi pugnabant aduersum Philisthiim. Surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem custodi: & onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. Direxerat enim aciem Israel, sed & Philisthiim ex aduerso fuerant præparati. Derelinquens ergo Dauid vasa, quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos. Cunque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens Goliath nomine Philisthæus de Geth, de castris Philisthinorum: & loquente eo hæc eadem verba, audiuit Dauid. Omnes autem Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt a facie eius, timentes eum valde. Et dixit vnus quispiam de Israel, Num vidistis virum hunc qui ascendit? Ad exprobrandum enim Israel, ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 17.

c. 23. **V**Æ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod de foris est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod de foris est, mundum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero pleni sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis, Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum: itaque testimonio estis vobismetipsis quia filij estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum: quomodo fugietis a iudicio gehennæ?

D Ideo dico vobis, † Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris & persequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiaë, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis: venient hæc omnia super generationem istam. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vo-

bis, non me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine domini.]

Secundum Lucam. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Nemo potest duobus dominis seruire. *Et rel.* ca. 6.

Homilia sancti Ambrosij. episc.

Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis: neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam escam? & corpus plusquam vestimentum? Nihil enim moralius ad faciendam fidem orbis credentibus a Deo posset conferri, quam quod æreus ille spiritus, vitale collegium, animæ corporisque contubernio fœderatum, sine nostro labore perpetui nec salutaris vsus deficit alimenti: nisi cum venerit suprema dies moriendi. Cum igitur anima indumento corporis vestiatur, vt vigore animæ corpus animetur: absurdum est, vt victus nobis copiam futuram putemus, qui viuendi iugem substantiam consequimur. Considerate (inquit) volatilia cœli, magnum sane & aptum quod fide sequamur exemplum. Nam si volatilibus cœli quibus nullum exercitium cultionis, nullus de messium fœcunditate prouentus est, indeficientem tamen prouidentia diuina largitur alimoniam: verum est causam inopiæ nostræ auaritiam videri. Etenim illis idcirco sine labore pabuli vsus exuberat, quod fructus sibi communem ad escam datos speciali quodam nesciunt vindicare dominatu. Nos communia amisimus, dum propria vendicamus. *Te deum. Oratio.*

CVstodi domine ecclesiam tuam propitiatione perpetua: & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxilijs & abstrahatur a noxijs & ad salutaria dirigatur. Per do.

Ɔ Feria. ij. ex. j. Regum. Lectio. j.

c. 17. **E**T ait Daudid ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircuncisus qui exprobrauit aciem Dei viuientis? Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens, Hæc dabuntur viro qui percusserit eum. Quod cum audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum alijs, iratus est contra Daudid, & ait, Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium descendisti. Et dixit Daudid, Quid feci? nunquid non verbum est? Et declinauit paululum ab eo ad alium: dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius. Audita sunt autem verba quæ locutus est Daudid, & annuntiata in conspectu Saul. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei. Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum. Et ait Saul ad Daudid, Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Dixitque Daudid ad Saul, Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequerbar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Nam & leonem & vrsus interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircuncisus, quasi vnus ex eis. Nunc vadam & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircuncisus?

quia ausus est maledicere exercitui Dei viuientis? Et ait Daudid, Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Daudid, Vade, & dominus tecum sit.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

ET egressus Iesus de templo, ibat. c. 24.
Et accesserunt discipuli eius vt ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat. Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes, Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? Respondens Iesus dixit eis, Videte nequis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, & multos seducunt. Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum, Videte ne turbe-mini: oportet enim hæc fieri sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt pestilentia, & fames, & terræmotus per loca. hæc autem omnia, initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi: & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pseudo-prophetæ surgent: & seducunt multos. Et quoniam abundauit iniquitas: refrigescet charitas multorum: qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. † Cum ergo B
videritis abominationem desolationis,

quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem vt non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbato. erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. surgent enim pseudochristi & pseudo prophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita, vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis. Ecce in deserto est: nolite exire, ecce in penetralibus: nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum: & stellæ cadent de cælo: & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius a quatuor ventis, a summis cælorum vsque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit & folia nata, scitis quia

prope est æstas, ita & vos, cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis. Amen dico vobis: quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.]

☞ *Feria. iij. ex. j. Regum. Lectio. j.*

ET induit Saul Daud vestimentis c. 17.

suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica. Accinctus ergo Daud gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Daud ad Saul, Non possum sic incedere, quia non vsum habeo. Et deposuit ea, & tulit baculum suum quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastorem quam habebat secum, & fundam manu tulit: & processit aduersum Philisthæum. Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersum Daud, & armiger eius ante eum. Cunque inspexisset Philisthæus, & vidisset Daud, despexit eum. Erat autem adolescens rufus, & pulcher aspectu. Et dixit Philisthæus ad Daud, Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus Daud in diis suis: dixitque ad Daud, Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestiis terræ. Dixit autem Daud ad Philisthæum, Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum a te: & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cœli, & bestiis terræ: vt

sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. Et nouerit vniuersa ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta saluat dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras. Cum ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra Daud, festinauit Daud, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi. Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram. Præualuitque Daud aduersum Philisthæum in funda & lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cunque gladium non haberet in manu Daud, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditque caput eius.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 24. **D**E die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus pater. Sicut autem in diebus Noe: ita erit & aduentus filij hominis. sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur, duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur. duo in lecto: vnus assumetur, & vnus relinquetur. † Vigilate ergo, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. Illud autem scitote: quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora filius hominis ventu-

rus est. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem, cum venerit dominus eius inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.] Si autem dixerit malus seruus ille in F corde suo, Moram fecit dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. illic erit fletus & stridor dentium.

Tunc † simile erit regnum cœlorum c. 25. a decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes, sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes ac dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ: & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt, Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes, Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens, ait, Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque

quia nescitis diem neque horam.]

¶ Feria. iiij. ex. j. Regum. Lectio. j.

- c. 17. **V**identes autem Philisthiim quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt, Et consurgentes viri Israel & Iuda vociferati sunt, & persecuti sunt Philisthæos vsque dum venirent in vallem, & vsque ad portas Accaron: cecideruntque vulnerati de Philisthiim in via Saraim, & vsque ad Geth, & vsque ad Accaron. Et reuertentes filij Israel postquam persecuti fuerant Philisthæos, inuaserunt castra eorum. Assumens autem Dauid caput Philisthæi, attulit illud in Ierusalem: arma vero eius posuit in tabernaculo suo. Eo autem tempore quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ, De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner, Viuit anima tua, rex, si noui. Et ait rex, interroga tu cuius filius sit iste puer. Cunque regressus esset Dauid, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu suæ. Et ait ad eum Saul, De qua progenie es o adolescens? Dixitque Dauid, filius serui
- c. 18. **tui** Isai Bethlehemitæ ego sum. Et factum est: cum complisset loqui ad Saul, anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam. Tulitque eum Saul in die illa, & non concessit ei vt reuert-
eretur in domum patris sui. Inierunt autem Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam. Nam expoliauit se Ionathas tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium & arcum suum: & vsque ad balteum. Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcunque misisset eum Saul,

& prudenter se agebat posuitque eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Sicut enim homo peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem: & profectus est statim. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus seruorum illorum & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait, Domine, duo talenta tradidisti mihi: ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus eius, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.] Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait, Domine, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti, & timens abijt, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus eius, dixit ei, Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi: oportuit ergo

c. 25.

b

C

te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.

☩ **Feria. v. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 18. **P**orro cum reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes, Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste, Dixitque, Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid a die illa & deinceps, Post diem autem alteram, inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies. Tenebatque Saul lanceam, & misit eam, putans quod configere posset Dauid cum pariete: & declinavit Dauid a facie eius secundo. Et timuit Saul Dauid: eo quod dominus esset cum eo, & a se recessisset. Amouit ergo eum Saul a se, & fecit eum Tribunum super mille viros: & egrediebatur, & ingrediebatur in conspectu populi. In omnibus quoque vijs suis Dauid prudenter agebat, & dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, & cœpit cauere eum. Omnis autem Israel & Iuda diligebat Dauid: ipse autem egrediebatur & ingrediebatur ante eos.

Dixitque Saul ad Dauid, Ecce filia mea maior Merob ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella domini. Saul autem reputabat dicens, Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum. Ait autem Dauid ad Saul, Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel vt fiam gener regis?

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

Cvm † autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos abinuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Sitiui: & dedistis mihi bibere, hospes eram: & collegistis me, nudus, & operuistis me, infirmus, & visitastis me, in carcere eram: & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes, Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex, dicet illis, Amen dico vobis, quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui a sinistris erunt, Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non desistis mihi potum. hospes eram, & non collegistis me. nudus,

c. 25.
d

& non operuistis me. infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes, Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere: & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens. Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.]

☩ **Feria. vj. ex. j. Regum. Lectio. j.**

- c. 18. **F**Actum est autem tempus cum deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Hadrieli Molathitæ vxor. Dilexit autem Michol filia Saul altera, Dauid. Et nuntiatum est Saul, & placuit ei. Dixitque Saul, Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad Dauid, in duabus rebus gener meus eris hodie. Et mandauit Saul seruis suis, Loquimini ad Dauid clam me, dicentes, Ecce places regi, & omnes serui eius diligunt te. Nunc ergo esto gener regis, & loquuti sunt serui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc: & ait Dauid, Num parum videtur vobis generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis. Et renuntiauerunt serui Saul, dicentes: Huiusmodi verba loquutus est Dauid. Dixit autem Saul, Sic loquimini ad Dauid: Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorum. Cunque renuntiassent serui eius Dauid verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis Dauid, vt fieret gener regis. Et post paucos dies surgens Dauid, abiit cum viris qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthiim ducentos viros: & attulit

eorum præputia, & annumerauit ea regi vt esset gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem. Et vidit Saul, & intellexit quod dominus esset cum Dauid: Michol autem filia Saul diligebat eum. Et Saul magis cœpit timere Dauid: factusque est Saul inimicus Dauid, cunctis diebus. Et egressi sunt principes Philisthinorum: a principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat Dauid, quam omnes serui Saul, & celebre factum est nomen eius nimis.

Beati Iudæ Apostoli epistola catholica. Lectio secunda.

IVdas Iesu Christi seruus, frater ca. 1.
autem Iacobi: his qui sunt in Deo patre dilectis & Christo Iesu conseruatis, & vocatis, Misericordia vobis, & pax & charitas adimpleatur. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, domini nostri gratiam transferentes in luxuriam & solum dominatorem & dominum nostrum Iesum Christum negantes. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quod Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit. Angelos vero qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant, domi-

nationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant. Cum Michæl archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore: non est ausus iudicium inferre blasphemix, sed dixit: Imperet tibi Deus. Hi autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant: quæcunque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

☞ Sabbato, ex. j. Regum. Lectio. j.

c. 19. **L**oquutus est autem Saul ad Ionathan filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid. Porro Ionathas filius Saul, diligebat Dauid valde. Et indicauit Ionathas Dauid dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obserua te quæso mane, & manebis clam, & absconderis. Ego autem egrediens, stabo iuxta patrem meum in agro vbicunque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum, & quodcunque videro, nuntiabo tibi. Loquutus est ergo Ionathas de Dauid bona, ad Saul patrem suum, dixitque ad eum, Ne pecces rex in seruum suum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde. Et posuit animam suam in manu sua: & percussit Philisthæum, & fecit dominus salutem magnam vniuerso Israeli: vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens Dauid, qui est absque culpa? Quod cum audisset Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit: Viuit dominus, quia non occidetur. Vocauit itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, sicut erat heri & nudiustertius. Motum est autem rursum bellum: & egressus Dauid, pugnavit aduersum Philisthim: percussitque eos plaga magna, & fugerunt a facie eius. Et fac-

tus est spiritus domini malus in Saul: sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porro Dauid psallebat manu sua. Nisusque est Saul configere Dauid lancea in pariete: & declinauit Dauid a facie Saul lancea autem casso vulnere perlata est in parietem: & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa.

Ex episto. Iudæ Aposto. Lectio. ij.

VÆ illis, qui in via Cain abierunt: ca. 1.
& errore Balaam, mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis, maculæ, conuiuantes, sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua quæ a ventis circumferentur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Prophetauit autem & de his septimus ab Adam, Enoc, dicens: Ecce venit dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ loquuti sunt contra eum peccatores impij. Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam, mirantes personas quæstus causa. Vos autem charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis: Quoniam in nouissimis temporibus venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes mis-

ericordiam domini nostri Iesu Christi in vitam æternam. Et hos quidem arguite iudicatos: illos vero saluate, de igne rapientes. Alijs autem miseremini in timore: odientes & eam quæ carnalis est, maculatam tunicam. Ei autem qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in aduentu domini nostri Iesu Christi, soli Deo saluatori nostro per Iesum Christum dominum nostrum gloria & magnificentia: imperium & potestas ante omnia secula, & nunc & in omnia secula seculorum. Amen.

C Dominica. xv. post Pentecosten, ex primo Regum. *Lectio prima.*

c. 19. **M**isit ergo Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane. Quod cum annuntiasset Dauid Michol vxor sua, dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris: deposuit eum per fenestram: porro ille abiijt & aufugit, atque saluatus est. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis. Misit autem Saul apparitores qui raperent Dauid: & responsum est, quod ægrotaret. Rursumque misit Saul nuntios vt viderent Dauid, dicens, afferte eum ad me in lecto, vt occidatur. Cunque venissent nuntij, inuentum est simulachrum super lectum, & pelles caprarum ad caput eius. Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum, vt fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse loquutus est mihi, Dimitte me, alioquin interficiam te. Dauid autem fugiens, saluatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: &

abierunt ipse & Samuel, & morati sunt in Naioth. Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus, Ecce Dauid in Naioth in Ramatha. Misit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos: factus est etiam spiritus domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuntios: prophetauerunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios: qui & ipsi prophetauerunt. Abijt etiam ipse in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam quæ est in Socho, & interrogauit, & dixit. In quo loco sunt Samuel & Dauid? Diciturque est ei, Ecce in Naioth sunt in Ramatha. Et abiijt in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum spiritus domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vsque dum veniret in Naioth in Ramatha. Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa & nocte. Vnde & exiuit prouerbum, Num & Saul inter prophetas?

Epistola beati Pauli Apostoli ad Hebræos. Lectio secunda.

M†Vltiphariam multisque modis c.1.a
 olim Deus loquens patribus in prophetis: nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula: qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purificationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et

rursum, Ego ero illi in patrem: & ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus: & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem, Thronus tuus Deus in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et, Tu in principio domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes vt vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.] Ad quem autem angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?

Secundum Lucam. Lectio. iij.

ca. 7. **I**N illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Nain: & ibant cum eo discipuli eius & turba copiosa.

Et reliqua.

Homilia sancti Augustini episc.

De iuvene illo resuscitato, gauisa est mater vidua, De hominibus quotidie in spiritu suscitatis gaudet mater ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore: illi autem mente. Illius mors visibiliter visibiliter plangebatur: illorum mors inuisibilis: alibi nec quærebatur, nec videbatur. Quæsiuit ille qui nouerat mortuos. Ille solus nouerat mortuos, qui poterat facere viuos. Nisi enim ad mortuos suscitandos venisset, Apostolus non diceret, surge qui dormis & exurge a mortuis: & illuminabit te Christus.

Dormientem audis cum dicit, Surge qui dormis. Sed mortuum intellige cum audis, & exurge a mortuis. Dicti sunt sæpe dormientes morientes visibiliter: & plane omnes ei, qui potest excitare, dormiunt. Mortuus enim tibi mortuus est: qui quantumlibet expulses, quantumlibet lanies, quantumlibet vellices, non expergiscitur. Christo autem ille dormiebat, cui dictum est, Surge. & continuo surrexit. Nemo tam facile excitat in lecto, quam facile Christus in sepulchro. Tres enim mortuos inuenimus a domino resuscitados visibiliter: millia inuisibiliter. **Te deum. Oratio.**

ECclesiam tuam domine miseratio continuata mundet, & muniat: & quia sine te non potest salua consistere, tuo semper munere gubernetur. Per domi.

¶ Feria. ij. ex. j. Regum. Lectio. j.

FVgit autem Dauid de Naioth quæ est in Ramatha, veniensque locutus est coram Ionatha, Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? Qui dixit ei, Absit non morieris: neque enim faciet pater meus quicquam grande vel paruum, nisi prius indicauerit mihi: hunc ergo celauit me pater meus sermonem tantummodo? Nequaquam erit istud. Et iurauit rursum Dauid: & ille ait, Scit profecto pater tuus quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet, Nesciat hoc Ionathas, ne forte tristetur, quinimmo viuit dominus & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu, ego morsque diuidimur. Et ait Ionathas ad Dauid, Quodcunque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. Dixit autem Dauid ad Ionathan, Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta regem

ad vescendum: dimitte ergo me vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei, Rogauit me Daud, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam: quia victimæ solennes ibi sunt vniuersis contribulibus suis. Si dixerit, Bene, pax erit seruo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius. Fac ergo misericordiam in seruum tuum, quia foedus domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me. Et ait Ionathas, absit hoc a te. neque enim fieri potest, vt si certe cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

ca. 2. **P**ropterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus: ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Non enim angelis subiecit Deus orbem terræ futurum de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quod memor es eius: aut filius hominis quoniam uisitas eum? Minuisti eum paulominus ab angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius: In eo enim quod omnia

ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. Eum autem qui modico quam angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum: vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat: authorem salutis eorum, per passionem consummari. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur: ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te. Et iterum, ego ero fideus in eum. Et iterum, Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium: id est, diabolus: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim angelos apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari: vt misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus: potens est & eis qui tentantur auxiliari.

¶ Feria. iij. ex. j. Regum. Lectio. j.

Responditque Daud ad Ionatham, c. 20. Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure? Et ait Ionathas ad Daud, Veni, & egrediamur foras in agrum. Cunque existent ambo in agrum, ait Ionathas ad Daud: Domine Deus Israel, si inuestigauero sententiam patris mei crastino vel perendie: & aliquid boni fuerit super Daud, & non statim misero ad

te, & notum tibi fecero, hæc faciat dominus Ionathæ, & hæc augeat. Si autem perseuerauerit patris mei malitia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & sit dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. Et si vixero, facies mihi misericordiam domini: si vero mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam a domo mea vsque in sempiternum, quando eradicauerit dominus inimicos Dauid, vnunquenque de terra: Auferat Ionathan de domo sua, & requirat dominus de manu inimicorum Dauid. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid & requisit dominus de manu inimicorum Dauid. Et addidit Ionathas deierare Dauid, eo quod diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum. Dixitque ad eum Ionathas: Cras calendæ sunt & requireris, requiretur enim sessio tua vsque perendie. Descendes ergo festinus, & venies in locum vbi celandus es in die quando operari licet, & sedebis iuxta lapidem cui nomen est Ezel. Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum. Mittam quoque & puerum, dicens ei, Vade, & affer mihi sagittas. Si dixero puero, Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil mali, viuit dominus. Si autem sic loquutus fuero puero, Ecce sagittæ vltra te sunt: vade in pace, quia dimisit te dominus. De verbo autem quod loquuti sumus ego & tu, sit dominus inter me & te, vsque in sempiternum.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

ca. 3. **V**Nde fratres sancti, vocationis cœlestis participes considerate Apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum: qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni

domo eius. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus: quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricauit illum? Omnis nanque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est. Et Moyses, quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus vero tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus, hodie si vocem eius audieritis: nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis, propter quod infensus fui generationi huic: & dixi, Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas, quibus iuravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam. Videte fratres, nequando sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo viuo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus, dum dicitur, Hodie si vocem eius audieritis: nolite obdurare corda vestra quemadmodum in illa exacerbatione. Quidam enim audientes, exacerbauerunt: sed non vniuersi qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius: nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus,

quia non potuerunt introire in requiem ipsius propter incredulitatem.

☞ *Feria. iiij. ex. j. Regum. Lectio. j.*

c. 20. **A**bsconditus est ergo Dauid in agro, & venerunt calendæ, & sedit rex ad comedendum panem. Cunque sedisset rex super cathedram suam secundum consuetudinem, quæ erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus Dauid. Et non est loquutus Saul quicquam in die illa: cogitabat enim quod forte euenisset ei vt non esset mundus, nec purificatus. Cunque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus Dauid. Dixitque Saul ad Ionathan filium suum, cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie ad vescendum? Responditque Ionathas Sauli, Rogauit me obnixè, vt iret in Bethlehem, & ait, Dimitte me, quoniam sacrificium solenne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam cito, & videbo fratres meos: ob hanc causam non venit ad mensam regis. Iratus autem Saul aduersum Ionathan, dixit ei, Fili mulieris virum vltro rapientis, nunquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ? Omnibus enim diebus quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis est. Respondens autem Ionathas Sauli patri suo, ait, Quare morietur? Quid fecit? Et arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas quod definitum esset a patre suo vt interficeret Dauid.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

ca. 4. **T**imeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis, sed non profuit illis sermo auditus non admistus fidei ex ijs quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem qui credidimus: quemadmodum dixit, Sicut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis, dixit enim in quodam loco de die septima sic, Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis Et in isto rursus, Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quemdam, Hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut supradictum est, Hodie si vocem eius audieritis: nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset: nunquam de alia loqueretur post hac die. Itaque relinquitur sabbathismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & a suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. Habentes ego pontificem magnum qui penetrauit cœlos

Iesum filium Dei: teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

☞ *Feria. v. ex. j. Regum. Lectio. j.*

c. 20. **S**urrexerat ergo Ionathas a mensa in ira furoris, & non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eo quod confudisset eum pater suus. Cunque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo. Et ait ad puerum suum, vade, & affer mihi sagittas quas ego iacio. Cunque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum. Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas, & clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait, Ecce ibi est sagitta porro vltra te. Clamauitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, & attulit ad dominum suum: & quid ageretur, penitus ignorabar, tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant. dedit ergo Ionathas arma sua puero, & dixit ei, Vade, & defer in ciuitatem. Cunque abiisset puer, surrexit Dauid de loco qui vergebat ad austrum, & cadens pronus in terram adorauit tertio: & osculantes se alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius. Dixit ergo Ionathas ad Dauid, Vade in pace: quæcunque iurauimus ambo in nomine domini, dicentes, dominus sit inter me & te, & inter semen tuum, & semen meum vsque in sempiternum. Et surrexit Dauid & abiit: sed & Ionathas

ingressus est ciuitatem. Venit autem c. 21. Dauid in Nobe ad Achimelec sacerdotem: & obstupuit Achimelec, eo quod venisset Dauid. Et dixit ei, Quare tu solus, & nullus est tecum? Et ait Dauid ad Achimelec sacerdotem, Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris meis condixi in illum & illum locum. Nunc ergo si quid habes ad manum vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inuenieris. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait, illi Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei, Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudistertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta: porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublatis fuerant a facie domini, vt ponerentur panes calidi.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

Omnis nanque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. qui condolare possit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur a Deo, quemadmodum & Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu: ego hodie

genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.] De quo nobis grandis sermo & interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus: eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

☩ **Feria. vj. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 12. **E**Rat autem ibi vir quidam de seruis Saul, in die illa intus in tabernaculo domini: & nomen eius Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul. Dixit autem Dauid ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum & arma mea non tuli mecum. sermo enim regis vrgebat. Et dixit sacerdos, Ecce hic gladius Goliath Philisthæi quem percussisti in valle Terebinthi, est inuolutus pallio post Ephod: si istum vis tollere, tolle: neque enim hic est alius absque eo. Et ait Dauid: Non est huic alter similis: da mihi eum. Surrexit itaque

Dauid, & fugit in die illa a facie Saul, & venit ad Achis regem Geth. Dixeruntque serui Achis ad eum, Nunquid non iste est Dauid rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem milia? posuit autem Dauid sermones istos in corde suo & extimuit valde a facie Achis regis Geth. Et immutauit os suum coram Achis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam. Et ait Achis ad seruos suos, Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, vt fureret me præsentem? Hiccine ingrederetur domum meam?

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

QVapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, baptismatum, doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus colitur: accipit benedictionem a Deo: proferens autem spinas ac tribulos: reprobata est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Confidimus autem de vo-

bis, dilectissimi, meliora & viciniora salutem: tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, ut obliuiscatur operis vestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis. Cupimus autem vnumquodque vestrum eandem ostentare sollicitudinem, ad expletionem spei usque in finem, ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide & patientia hereditabunt promissiones. Abrahamæ nanque promittens Deus quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te: & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimitate ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hereditibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum: fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit Iesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

☞ **Sabbato, ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 22. **A**Biit ergo Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc. Et conuenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps: fueruntque cum eo quasi quadringenti viri. Et profec-

tus est Dauid inde in Maspha, quæ est Moab: & dixit ad regem Moab, Maneat oro, pater meus & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manseruntque apud eum cunctis diebus quibus Dauid fuit in præsidio. Dixitque Gad propheta ad Dauid, Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret. Et audiuit Saul quod apparuisset Dauid, & viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, & esset in nemore quod est in Rama, hastam manu tenens cunctique serui eius circumstant eum, ait ad seruos suos qui assistebant ei. Audite me nunc filij Iemini: nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos & centuriones: quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi renuntiet, maxime cum & filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi, eo quod suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi usque hodie. Respondens autem Doeg Idumæus qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul, Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob Qui consuluit pro eo dominum & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

Hic enim Melchisedec, rex Salem sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahamæ regresso a cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraham, primum quidem qui interpretatur rex iustitiæ, deinde autem & rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine ge-

ca. 7.

nealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis: quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahamæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones benedixit. Sine vlla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicatur. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur quia viuit. Et (vt ita dictum sit) per Abraham, & Leui qui decimas accepit, decimatus est. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedec: Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedec alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur: de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses loquutus est. Et amplius adhuc manifestum est: si secundum similitudinem Melchisedec exurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim, Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. Reprobatio qui-

dem fit præcedentis mandati: propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine iureiurando (alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum. Iurauit dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum) in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus.

¶ Dominica. xvj. post Pentecosten, ex primo Regum. Lectio prima.

Absit ergo rex ad accersendum Achimelec sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius sacerdotum, qui erant in Nobe: qui vniuersi venerunt ad regem. Et ait Saul, audi fili Achitob. Qui respondit, Præsto sum domine. Dixitque ad eum Saul, Quare coniurastis aduersum me tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo dominum, vt consurgeret aduersum me insidiator vsque hodie permanens? Respondensque Achimelech regi, ait, Et quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua? Num hodie cœpi pro eo consulere dominum? Absit hoc a me: ne suspicetur Rex aduersus seruum suum rem huiuscemodi, in vniuersa domo patris mei: non enim sciuit seruus tuus quicquam super hoc negotio vel modicum vel grande. Dixitque rex, Morte morieris Achimelec, tu, & omnis domus patris tui. Et ait rex emissarijs, qui circumstabant eum. Conuertimini, & interficite sacerdotes domini: nam manus eorum cum Dauid est: scientes quod fugisset, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem serui

c. 22.

regis extendere manus suas in sacerdotes domini. Et ait rex ad Doeg, Conuertere tu, & irruere in sacerdotes. Conuersusque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo. Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemque, & asinum, & ouem in ore gladij. Euadens autem vnus filius Achimelech filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid, & annuntiauit ei quod occidisset Saul sacerdotes domini. Et ait Dauid ad Abiathar, Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doeg Idumæus, procul dubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

- ca. 7. **E**T alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus & excelsior cœlis factus, qui non habeat necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel, se offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi qui post legem est, filium in æternum perfectum. Ca. 8. pitulum autem super ea quæ dicuntur, hoc est. Talem habemus pon-

tificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis: sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo. Omnis enim pontifex, ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram nec esset sacerdos: cum essent qui offerent secundum legem munera, qui exemplari & vmbrae deseruiunt cœlestium, sicut responsum est Moysi cum consummaret tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius sortitus est ministerium: quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est? Nam si illud prius culpa vacasset: non vtique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit, Ecce dies venient, dicit dominus: & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: & ego neglexi eos, dixit dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel, post dies illos, dicit dominus: Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum dicens: Cognosce dominum: quoniam omnes scient me a minore vsque ad maiorem eorum: quia propitius ero iniquitatibus eorum: & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod

autem antiquatur & senescit: prope intentum est.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

c. 14. **I**N illo tempore: Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem: & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Curatur hydropicus, in quo fluxus carnis exuberans animæ grauabat officia, spiritus extinguebat ardorem: deinde docetur humilitas, dum in illo conuiuio nuptiali appetentia loci superioris arceatur. Clementer tamen, vt persuasionis humilitas: asperitatem coercitionis excluderet, ratio proficeret ad persuasionis effectum: & correctio emundaret affectum. Huic quasi proximo limine humanitas copulatur. Quæ ita dominicæ sententiæ diffinitione distinguitur, si in pauperes & debiles conferatur: Nam hospitalem esse remuneraturis, affectus auaritiæ est. Postremo quasi emeritæ militiæ viro contemnendarum stipendium præscribitur facultatum: quod neque ille qui studijs intentus inferioribus, possessiones sibi terrenas coemit, regnum cœlorum possit adipisci: cum dominus dicat, Vende omnia tua, & sequere me. Impio quippe sitire, est huius mundi bona concupiscere. Vnde & redemptor intra Pharisæi domum hydropicum curat: & cum contra auaritiam disputaret scriptum est: Audiebant autem hæc omnia Pharisæi qui erant auari: & deridebant illum. Quid ergo est quod intra Pharisæi domum hydropicus curatur, nisi quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? **Te deum.**

Oratio.

TVa nos quæsumus domine gratia semper & præueniat & sequatur,

ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos. Per do.

¶ Feria. ij. ex. j. Regum. Lectio. j.

ET annuntiauerunt Dauid, dicentes, Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam & diripiunt areas. Consuluit ergo Dauid dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait dominus ad Dauid, Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis. Et dixerunt viri qui erant cum Dauid, ad eum, Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus: quanto magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum? Rursum ergo Dauid consuluit dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua. Abijt ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnavit aduersum Philisthæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ. Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelec ad Dauid in Ceilam, Ephod secum habens descenderat. Nuntiatum est autem Sauli quod venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul, Tradidit eum dominus in manus meas, conclususque est introgressus urbem in qua portæ & seræ sunt. Et præcepit Saul omni populo vt ad pugnam descenderet in Ceilam, & obsideret Dauid, & viros eius. Quod cum Dauid rescisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica Ephod. Et ait Dauid, domine Deus Israel audiuit famam seruus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat urbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? Et si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israel indica seruo tuo. Et ait dominus, descendet. Dixitque

c. 23.

Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit dominus, Tradent. Surrexit ergo Dauid, & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

ca. 9. **H**Abuit quidem & prius, iustificationes culturæ, & sanctum seculare. † Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur, sancta sanctorum, aureum habens thuribulum: & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro: in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronderat, & tabulæ testamenti, superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula. His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes, in secundo autem, semel in anno solus pontifex: non sine sanguine quem offerret pro sua & populi ignorantia: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum, quæ parabola est temporis instantis: iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibus, & in potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis.] Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium

sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. † Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Et ideo noui testamenti mediator est: vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.] Vbi enim testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis, a Moyse vniuerso populo: accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit dicens: Hic sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij, sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.

¶ Feria. iij. ex. j. Regum. Lectio. j.

NVntiatunque est Sauli quod fugisset Dauid de Ceila, & saluatus esset: quamobrem dissimulauit exire. Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum dominus in manus eius. Et vidit Dauid quod egressus esset Saul vt quæreretur animam

C

D

c. 23.

eius. Porro Daudid erat in deserto Ziph in sylua. Et surrexit Ionathas filius Saul, & abiit ad Daudid in syluam, & confortauit manus eius in Deo, dixitque ei, Ne timeas: neque enim inueniet te manus Saul patris mei: & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus: sed & Saul pater meus scit hoc. Percussit ergo vterque foedus coram domino: mansitque Daudid in sylua: Ionathas autem reuersus est in domum suam. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne Daudid latitat apud nos in locis tutissimis syluæ, in colle Hachile, quæ est ad dexteram deserti? Nunc ergo sicut desiderauit anima tua vt descenderes, descende: nostrum autem erit vt tradamus eum in manus regis. Dixitque Saul, Benedicti vos a domino, quia doluistis vicem meam. Abite ergo oro, & diligentius præparate, & curiosius agite, & considerate locum vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi, recogitat enim de me, quod callide insidiet ei. Considerate, & videte omnia latibula eius, in quibus absconditur: & reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiscum, quod si etiam in terram se obstruxerit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

ca. 9. **N**ecessè est ergo exemplaria quidem coelestium, his mundari: ipsa autem coelestia, melioribus hostiis quam istis. Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum coelum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque vt sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. (Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.) Nunc

autem semel in consummatione seculorum: ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, secundo sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.

Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent vltra conscientiam peccati, cultores semel mundati. Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata, pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me: vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hostias & oblationes, & Holocaustomata, pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum: vt sequens statuatur. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias quæ non possunt auferre peccata: hic autem vnâ pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione,

c. 10.

consummauit in sempiternum sanctificatos.

☞ **Feria. iij. ex. j. Regum. Lectio. j.**

- c. 23. **A**T illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: Daud autem & viri eius erant in deserto Maon, in campestribus ad dexteram Iesimon. Iuit ergo Saul & socij eius ad quærendum eum: & nuntiatum est Daud, statimque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon. Quod cum audisset Saul, persecutus est Daud in deserto Maon. Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna, Daud autem & viri eius erant in latere montis ex parte altera, porro Daud desperabat se posse euadere a facie Saul: itaque Saul & viri eius in modum coronæ cingebant Daud, & viros eius, vt caperent eos. Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina & veni: quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. Reuersus est ergo Saul desistens persequi Daud, & perrexit in occursum Philisthinorum. Propter hoc vocauerunt locum
- c. 24. illum Petram diuidentem. Ascendit ergo Daud inde, & habitauit in locis tutissimis Engaddi. Cunque reuersus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiauerunt ei, dicentes, Ecce, Daud in deserto est Engaddi. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad vestigandum Daud & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt. Et venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti, eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem: porro Daud & viri eius in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerunt serui Daud ad eum, Ecce dies de qua locutus est dominus ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei si-

cut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Daud, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum Daud, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi dominus ne faciam hanc rem domino meo Christo domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus domini est. Viuit dominus, quia nisi dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut descendens in prælium perierit: propitius mihi sit dominus, vt non mittam manum meam in Christum domini. Et confregit Daud viros suos sermonibus: & non permisit eos vt consurgerent in Saul.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

Contestatur autem nos & Spiritus c. 10. sanctus: postquam enim dixit, Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dixit dominus. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum inscribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio: iam non est oblatio pro peccato. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi: quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem: fidelis enim est qui repromisit, & consideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum: non deserentes collectionem nostram sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. Vol-

untarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam: & ego retribuam. Et iterum, Iudicabit dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis: & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram: quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum: qui venturus est veniet, & non tardabit. iustus autem meus ex fide viuuit. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem: sed fidei in acquisitionem animæ.

☩ **Feria. v. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 24. **P**orro Saul exurgens de spelunca, pergebat coepto itinere. Surrexit autem Dauid post eum: & egressus de spelunca clamauit post tergum Saul di-

cens: domine mi rex. Et respexit Saul post se: & inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit, dixitque ad Saul, Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te? Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te dominus in manu mea in spelunca: & cogitauit vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim, non extendam manum meam in dominum meum, quia Christus domini est. Quin potius pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Animaduerte, & vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccauit in te: tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam. Iudicet dominus inter me & te, & vliscatur me dominus ex te: manus autem mea non sit in te. Sicut & in prouerbio antiquo dicitur, Ab impijs egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te. Quem persequeris rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum. Sit dominus iudex: & iudicet inter me & te: & videat, & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua. Cum autem complisset Dauid loquens sermones huiusmodi ad Saul, dixit Saul: Nunquid vox hæc tua est fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit, dixitque ad Dauid, Iustior tu es, quam ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum suum dimittet eum in via bona? Sed dominus reddat tibi vicis-

situdinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel: iura mihi in domino ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et iuravit Daud Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: & Daud, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

c. 11. **E**st autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consequuti sunt senes. Fide, intelligimus aptata esse secula verbo Dei: vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Fide, plurimam hostiam Abel quam Cain, obtulit Deo: per quam testimonium consequutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide, Enoch translatus est ne videret mortem: & non inueniebatur: quia transtulit illum Deus, ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Fide, Noe responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens, aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus. Fide, qui vocatur Abraham obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena in casulis habitando cum Isaac, & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor,

Deus. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. Propter quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tanquam sydera cœli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris innumerabilis. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus: sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confidentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent, de qua exierant: habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem.

¶ Feria. vj. ex. j. Regum. Lectio. j.

Mortuus est autem Samuel, & congregatus est vniuersus Israel: c. 25. & planxerunt eum & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque Daud descendit in desertum Pharan. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit, vt tonderetur grex eius in Carmelo. Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen vxoris eius Abigail. Eratque mulier illa prudentissima & speciosa. Porro vir eius durus & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb. Cum autem audisset Daud in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum, misit decem iuuenes, & dixit eis, Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacifice. Et sic dicetis, Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcunque

habes, sit pax. Audiui quod tonderent pastores tui qui erant nobiscum in deserto: nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quicquam eis de grege omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo, interroga pueros tuos & indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus: quodcunque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Daud. Cunque venissent pueri Daud, loquuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Daud: & siluerunt. Respondens autem Nabal pueris Daud, ait: Quis est Daud? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint?

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

- c. 11. **F**ide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur: & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones: ad quem dictum est, In Isaac vocabitur tibi semen. Arbitrans quia & a mortuis suscitare potens est Deus. Vnde eum & in parabolam accepit. Fide, & de futuris benedixit Isaac Iacob, & Esau. Fide, Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit: & adorauit fastigium virgæ eius. Fide, Ioseph moriens de profectioe filiorum Israel memoratus est: & de ossibus suis mandauit. Fide, Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis: eo quod vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. Fide, Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans, thesauro Ægyptiorum, improprium Christi: aspiciebat

enim in remunerationem. Fide, reliquit Ægyptum: non veritus animositatem regis, inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide, celebrauit pascha & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiua, tangeret eos, Fide, transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptij, deuorati sunt. Fide, muri Iericho corruerunt, circumitu dierum septem. Fide, Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sanson, Iepte, Daud, Samuel, & prophetis. † Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alij autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasione gladij mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus in speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati,] non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.

¶ Sabbato, ex. j. Regum. Lectio. j.

- R**egressi sunt itaque pueri Daud per viam suam: & reuersi venerunt, & annuntiauerunt ei omnia verba quæ dixerat Nabal. Tunc c. 25.

ait Daud pueris suis, Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladijs suis, accinctusque est Daud ense suo: & sequuti sunt Daud quasi quadringenti viri: porro ducenti remanserunt ad sarcinas. Abigail autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Daud misit nuntios de deserto, vt benedicerent domino nostro, & auersatus est eos: homines isti, boni satis fuerant nobis & non molesti, nec quicquam aliquando periit omni tempore quo fuimus conuersati cum eis in deserto: pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pauimus apud eos greges. Quam ob rem considera, & recogita quid facias: quoniam completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuae passæ, & ducentas massas carycarum, & imposuit super asinos, dixitque pueris suis, Præcedite me, & ecce, ego post tergum sequar vos, viro autem suo Nabal non indicauit. Cum ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radicem montis, Daud & viri eius descendebant in occursum eius: quibus & illa occurrit. Et ait Daud, Vere frustra seruauit omnia, quæ huius erant in deserto, & non perijt quicquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat Deus inimicis Daud, & hæc addat, Si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque mane mingentem ad parietem.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

c. 12.
Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium: deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantibus: & obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filiis, vobis offert se Deus. quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri & non filij estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerbamur eos. Num multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos, hic autem ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. Omnis autem disciplina in præsentem quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite: & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicans quis erret: magis autem sanetur. Pacem

sequimini cum omnibus, & sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deum: contemplantes nequis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur: & per illam inquentur multi. Ne quis fornicator, aut prophanus vt Esau: qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum: quanquam cum lachrymis inquisisset eam.

C Dominica. xvij. post Pentecosten, ex primo Regum. Lectio prima.

c. 25.

S Vm autem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino: & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius, & dixit, In me sit domine mi hæc iniquitas, loquatur obsecro ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ. Ne ponat oro dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quia secundum nomen suum stultus est: & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos domine mi, quos misisti: nunc ergo domine mi viuit dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui sequuntur te dominum meum. Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia domini domine mi tu præliaris. malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Si enim surrexerit ali-

quando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuientium apud dominum Deum tuum. Porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ. Cum ergo fecerit dominus tibi domino meo omnia hæc quæ loquutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris: & cum benefecerit dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. Et ait Dauid ad Abigail, Benedictus dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. Alioquin viuit dominus Deus Israel qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam mingens ad parietem. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei, Vade pacifice in domum tuam: ecce, audiui vocem tuam, & honorauit faciem tuam.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

N On enim accessistis ad tractabilem montem & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum & vocem verborum (quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant, quod dicebatur. Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit, Exterritus sum, & tremebundus.) Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuientis, Ierusalem cœlestem, & multorum mil-

c. 12.

lium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis auertimus, cuius vox mouit terram tunc: nunc autem repromittit dicens, Adhuc semel: & ego mouebo non solum terram, sed & cœlum. Quod autem adhuc semel dicit: declarat mobilium translationem tanquam factorum, vt maneant ea, quæ sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia. Et enim Deus noster ignis consumens est. Caritas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. Mementote victorum, tanquam simul victi: & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. Sint mores sine auaritia: contenti præsentibus. ipse enim dixit, Non te deseram neque derelinquam, ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Iesus Christus heri & hodie: ipse & in secula.

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

c. 22. **I**N illo tempore: Accesserunt ad Iesum Pharisæi: & interrogauit

eum vnus ex eis legis doctor tentans eum. Et reliqua.

Hom. sancti Ioannis Chrisostomi.

Conuenerunt vt multitudine vincerent quem ratione superare non poterant. A veritate nudos se professi sunt, qui multitudine se armauerunt. Dicebant enim apud se, Vnus loquatur pro omnibus: & omnes loquamur per vnum, vt si quidem vicerit, omnes videamur vicisse. Si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. O Pharisæi, qui omnia propter homines cogitatis & facitis. Primum quidem venientes cum vno vincendi estis per vnum. Tamen posito quia vno victo homine, non intelligunt vos omnes esse victos? nunquid conscientia vestra non sentiunt se esse confusas? Leuis est enim consolatio qui in se ipso confusus est quod ab alijs ignoratur. Interrogauit Iesum vnus ex Pharisæis legis doctor tentans eum. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus. Simplicissimus interrogator, & malignissimus insidiator, de magno mandato interrogat, qui nec minimum obseruat. Ille enim debet interrogare de maiore iustitia, qui iam minorem compleuit. Te deum. Oratio.

DA quæsumus domine populo tuo diabolica vitare contagia: & te solum Deum pura mente sectari. Per domi.

¶ Feria. ij. ex. j. Regum. Lectio. j.

VEnit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuuium in domo eius quasi conuiuuium Regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: & non indicauit ei verbum pusillum aut grande vsque mane. Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc: & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est

quasi lapis. Cunque pertransissent decem dies, percussit dominus Nabal, & mortuus est. Quod cum audisset Dauid mortuum Nabal, ait, Benedictus dominus qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit a malo, & malitiam Nabal reddidit dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & loquutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi in vxorem, & venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & loquuti sunt ad eam, dicentes, Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem. Quæ con surgens adorauit prona in terram, & ait. Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei. Et festinauit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedisequæ eius, & sequuta est nuntios Dauid: & facta est illi vxor. Sed & Achinoan accepit Dauid de Iezrael: & fuit vtraque vxor eius. Saul autem dedit Michol filiam suam vxorem Dauid, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

Ex epistola Pauli ad Hebr. Lectio. ij.

- c. 13. **D**octrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulanti in eis. Habemus altare: de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem: horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improprium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis

semper Deo, id est fructum laborum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communicationis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis, confidimus enim quod bonam conscientiam habemus: in omnibus bene volentes conuersari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum, cui est gloria in secula seculorum. Amen. Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos. Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos: salutant vos de Italia, fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

¶ Feria. iij. ex. j. Regum. Lectio. j.

ET venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes, Ecce, Dauid absconditus est in colle Hachilæ, quæ est ex aduerso solitudinis. Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israel, vt quæreret Dauid in deserto Ziph, & castrametatus est Saul in Gabaa Hachilæ, quæ erat ex aduerso solitudinis in via: Dauid autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul post se in desertum, misit exploratores, & didicit quod venisset

c. 26.

certissime. Et surrexit Daud, & venit ad locum vbi erat Saul: Cunque vidisset locum in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner princeps militiæ eius, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circumitum eius, ait Daud ad Achimelec Hethæum, & Abisai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai, Ego descendam tecum. Venerunt ergo Daud & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem & dormientem in tentorio & hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem & populum dormientes in circumitu eius. Dixitque Abisai ad Daud, Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit. Et dixit Daud ad Abisai, Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum domini, & innocens erit? Et dixit Daud, Viuit dominus quia nisi dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit: propitius sit mihi dominus ne extendam manum meam in Christum domini. Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus. Tulit igitur Daud, hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisquam qui videret, & intelligeret, & euigilaret: sed omnes dormiebant, quia sopor domini irruerat super eos.

Epistola Pauli ad Philip. Lectio. ij.

ca. 1. **P**Aulus & Timotheus serui Iesu Christi, Omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconibus, gratia vobis & pax a Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo in

omni memoria vestri (semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis: cum gaudio deprecationem faciens) super communicatione vestra in euangelio Christi a prima die vsque nunc: † confidens hoc ipsum quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu: sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, cum socij gaudij mei omnes vos sitis. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis synceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei.] Scire autem vos volo fratres, quod quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus, vt plures e fratribus in domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum. quidam autem ex contentione Christum annuntiant non syncere: existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim, quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem & subministrationem Spiritus

Iesu Christi, secundum expectationem & spem meam, quod in nullo confundar, sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.

☩ **Feria. iiij. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 26.

CVnque transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longe, & esset grande interuallum inter eos, clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner ait, Quis es tu qui clamas, & inquietas regem? Et ait Dauid ad Abner: Nunquid non vir tu es? Et quis alius similis tui in Israel? quare ergo non custodisti dominum tuum regem? ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret regem dominum tuum. Non est bonum hoc quod fecisti: viuit dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum Christum domini, nunc ergo vide vbi sit hasta regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit, Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid? Et ait Dauid, Vox mea domine mi rex. Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea? Nunc ergo audi oro domine mi rex verba serui tui: Si dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium, si autem filij hominum: maledicti sunt in conspectu domini, quia eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate domini, dicentes, Vade, serui dijs alienis. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram domino: quia egressus est rex Israel vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus. Et ait Saul, Peccaui, reuertere fili mi Dauid:

nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stulte egerim, & ignorauerim multa nimis. Et respondens Dauid, ait, ecce hasta regis: transeat vnus de pueris regis, & tollat eam. Dominus autem retribuet vnique secundum iustitiam suam & fidem: tradidit enim te dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum domini. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis domini, & liberet me de omni angustia. Ait ergo Saul ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid: equidem faciens facies, & potens poteris. Abijt autem Dauid in viam suam, & Saul reuersus est in locum suum.

Ex epistola Pauli ad Philip. Lectio. ij.

MIhi enim viuere Christus est: & ca. 1.
mori lucrum. Quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam, ignoro. Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens, scio quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum & gaudium fidei: vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me per meum aduentum iterum ad vos. Tantum digne Euangelio Christi conuersamini: vt siue cum venero & videro vos, siue absens audiam de vobis quia statis in vno spiritu, vnanimis collaborantes fidei Euangelij. Et in nullo terreamini ab aduersariis, quæ illis est causa perditionis: vobis autem salutis, & hoc a Deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes

ca. 2. quale & vidistis in me, & nunc auditis de me. Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium Charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes vnanimis, idipsum scientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate, superiores sibi inuicem arbitrantes non quæ sua sunt singuli considerantes, sed

B ea quæ aliorum. † Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

C humiliavit semetipsum † factus obediens vsque ad mortem: mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.]

☞ **Feria. v. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 27. **E**T ait Dauid in corde suo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nonne melius est vt fugiam, & saluer in terra Philistinorum, vt desperet Saul, cessentque me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus eius. Et surrexit Dauid, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth. Et habitauit Dauid cum Achis in Geth ipse & viri eius, vir & dominus eius, Dauid & duæ vxores eius, Achinoan Iezrahelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli. Et nuntiatum est Saul, quod fugisset Dauid in Geth, & non addidit vltra quærere eum. Dixit autem Dauid ad Achis:

Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbiū regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate regis tecum? dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda, vsque in diem hanc. Fuit autem numerus dierum quibus habitauit Dauid in regione Philistinorum quatuor mensium. Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad terram Ægypti. Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum & mulierem: tollensque oues, & boues, & asinos, & camelos, & vestes, reuertebatur, & veniebat ad Achis. Dicebat autem ei Achis, In quem irruisti hodie? Respondebat Dauid, Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameel, & contra meridiem Ceni. Virum & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur aduersum nos. Hæc fecit Dauid: & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione Philistinorum. Credidit ergo Achis Dauid, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israel: erit igitur mihi seruus sempiternus.

Ex epistola Pauli ad Philip. Lectio. ij.

ITaque charissimi mei, sicut semper ca. 2. obedistis: non vt in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis, & velle & perficere, pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus: vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione

in medio nationis prauæ & peruersæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo: verbum vitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi: quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi. Spero autem in domino Iesu, Timotheum me cito mittere ad vos, vt & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam vnanimem, qui syncera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt: non quæ sunt Iesu Christi. Experimentum autem eius cognoscite, quia sicut patri filius, mecum seruiuit in euangelio. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me sunt. Confido autem in domino quoniam & ipse veniam ad vos cito. Necessarium autem existimaui, Euphroditum fratrem & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: quoniam quidem omnes vos desiderabat: & mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus est vsque ad mortem. sed Deus misertus est eius: non solum autem eius, verumetiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergo misi illum: vt viso eo, iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in domino, & eiusmodi cum honore habetote, quoniam propter opus Christi, vsque ad mortem accessit: tradens animam suam, vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

☩ **Feria. vj. ex. j. Regum. Lectio. j.**

FActum est autem in diebus illis congregauerunt Philisthiim agmina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israel: dixitque Achis ad Dauid, Sciens nunc scito quoniam mecum egredieris in castra, tu & viri tui. Dixitque Dauid ad Achis, Nunc scies quæ facturus est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid, Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus. Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua. Et Saul abstulit magos & ariolos de terra. Congregatique sunt Philisthiim, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam, congregauit autem & Saul vniuersum Israel, & venit in Gelbœ. Et vidit Saul castra Philisthiim & timuit, & expauit cor eius nimis. Consuluitque dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. Dixitque Saul seruis suis, Quærite mihi mulierem habentem pythoem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eum, Est mulier pythoem habens, in Endor. Mutauit ergo habitum suum, vestitusque est alijs vestimentis, & abijt ipse, & duo viri cum eo: veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi, Diuina mihi in pythone, & suscita mihi quem dixerò tibi. Et ait mulier ad eum. Ecce tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit magos, & ariolos de terra. quare ergo insidiaris animæ meæ vt occidar? Et iurauit ei Saul in domino, dicens: Viuit dominus, quia non eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem. Dixitque ei mulier, Quem suscitabo tibi? qui ait, Samuelem mihi suscita. Cum autem vidisset mulier Samuelem exclamauit voce magna: &

dixit ad Saul, Quare imposuisti mihi? tu es enim Saul. Dixitque ei rex, noli timere: quid vidisti? & ait mulier ad Saul, deos vidi ascendentes de terra. Dixitque ei. Qualis est forma eius? Quæ ait. Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quod Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit.

Ex epistola Pauli ad Philip. Lectio. ij.

ca. 3. **D**E cætero fratres mei, gaudete in domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum: vobis autem necessarium. videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruiamus Deo: & gloriamur in Christo Iesu & non in carne fiduciam habentes, quanquam & ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne: ego magis, circumcisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens ecclesiam Dei, secundum iustitiam quæ in lege est conuersatus sine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora: vt Christum lucrifaciam, vt & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide: ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius, si quo modo occurrerem ad resurrectionem quæ est ex mortuis. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si quo-

modo comprehendam in quo & comprehensus sum a Christo Iesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens. ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus regula. † Imitatores mei estote fratres: & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum: qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua etiam possit subiicere sibi omnia.

¶ Sabbato, ex. j. Regum. Lectio. j.

Dixit autem Samuel ad Saul, Quare inquietasti me, vt suscitarer? & ait Saul, Coarctor nimis: si quidem Philisthiim pugnant aduersum me, & Deus recessit a me, & exaudire me noluit: neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel. Quid interrogas me, cum dominus recesserit a te, & transierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia non obedisti voci domini, neque fecisti

D

c. 28.

iram furoris eius in Amalec. idcirco quod pateris, fecit tibi dominus hodie. Et dabit dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: cras autem tu & filij tui mecum eritis: sed & castra Israel tradet dominus in manus Philisthiim. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim valde verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. Ingressa est itaque mulier illa ad Saul, & vidit (conturbatus enim erat valde) dixitque ad eum, Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu tua, & audiui sermones tuos quos locutus es ad me. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, & possis iter agere. Qui renuit, & ait, Non comedam. Coegerunt autem eum serui sui & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinauit, & occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam & coxit azyma, & posuit ante Saul, & ante seruos eius. Qui cum comedissent, surrexerunt: & ambulauerunt per totam noctem illam.

Ex epistola Pauli ad Philip. Lectio. ij.

c.4.a **I**Taque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea: sic state in domino charissimi. Euodiam rogo & Syntychem deprecor, idipsum sapere in domino. Etiam rogo & te germane compar: adiua illas quæ mecum laborauerunt in euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. † Gaudete in domino semper:] iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. dominus prope est. Nihil so-

liciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu.] De cætero fratres quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me: hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum. Gaudisum autem in domino vehementer, quoniam tandem aliquando refluoristis, pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare, vbique & in omnibus institutus sum: & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Veruntamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ. Scitis autem & vos Philippenses quod in principio euangelij, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: quia & Thessalonicam, semel & bis in vsum mihi misistis. Non quod quæro datum: sed requiro fructum abundantem in rationem vestram. Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suauitatis, hostiam acceptam placentem Deo. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum diuitias suas in gloria in Christo Iesu. Deo autem & patri nostro gloria in secula seculorum. Amen. Salutate omnem sanc-

tum in Christo Iesu. Salutant vos qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti: maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

C Dominica. xvij. post Pentecosten, ex primo Regum. Lectio prima.

c. 29.

S Ongregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphec: sed & Israel castrametatus est super fontem qui erat in Iezrahel. Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis & millibus: Daud autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis, Dixeruntque principes Philisthiim, Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim, Nunquid ignoratis Daud, qui fuit seruus Saul regis Israel, & est apud me multis diebus vel annis? & non inueni in eo quicquam, ex die qua transfugit ad me, vsque ad diem hanc? Irati sunt autem aduersus eum principes Philisthiim, & dixerunt ei, Reuertatur vir, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum: & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum suum nisi in capitibus nostris? Nonne iste est Daud cui cantabant in choris, dicentes, Percussit Saul in millibus suis, & Daud in decem millibus suis? Vocauit ergo Achis Daud, & ait ei, Viuit dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo, & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris: & non inueni in te quicquam mali ex die qua venisti ad me, vsque in diem hanc: sed satrapis non places. Reuertere ergo, & vade in pace & non offendas oculos satraparum Philisthiim.

Sanctum Iesu Christi euangelium secundum Marcum. Lectio. ij.

Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei. Sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Fuit Ioannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio & Ierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius: & locustas & mel syluestre edebat. Et prædicabat, dicens: venit fortior post me: cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos spiritu sancto. Et factum est: in diebus illis venit Iesus a Nazareth Galilææ, & baptizatus est a Ioanne in Iordane. Et statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos, & spiritum sanctum tanquam columbam descendentem & manentem in ipso. Et vox facta est de cœlis, Tu es filius meus dilectus, in te complacui. Et statim spiritus expulit eum in desertum. Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur a satana, eratque cum bestijs: & angeli ministrabant illi. Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens, Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitementini, & credite Euangelio. Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare, (erant enim piscatores)

& dixit eis Iesus, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius: & ipsos componentes retia in nau: & statim vocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in nau: cum mercenarijs, secuti sunt eum.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

ca. 9. **I**N illo tempore: Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam.

Et rel. hom. b. Petri Chrisologi.

Christum in humanis actibus diuina gessisse mysteria, & in rebus visibilibus inuisibilia exercuisse negocia, lectio hodierna monstrauit: Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit: & venit in ciuitatem suam. Nonne ipse est qui fugatis fluctibus maris profunda nudauit: vt Israeliticus populus inter stupentes vndas sicco vestigio, velut montium concaua transiret? Nonne hic est qui Petri pedibus marinos vertices inclinauit, vt iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium? Et quid est quod ipse sibi sic maris denegat seruitutem, vt breuissimi laci transitum sub mercede nautica transfretaret? Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit. Et quid mirum fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & sua nobis conferre remedia sanitatis: quia medicus qui non infert sanitatem, infirmitates curare nescit. Et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet. Et si non implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. **T**e deum. **O**ratio.

Dirigat corda nostra quæsumus domine tuæ miserationis operatio: quia tibi sine te placere non possumus. Per dominum nostrum Iesum Christum.

¶ Feria. ij. ex. j. Reg. lib. Lectio. j.

Dixitque Dauid ad Achis, Quid enim feci, & quid inuenisti in me c. 29.

seruo tuo a die qua fui in conspectu tuo vsque in diem hanc, vt non veniam & pugnem contra inimicos domini mei regis? Respondens autem Achis, locutus est ad Dauid, Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei: sed principes Philisthinorum dixerunt, Non ascendet nobiscum in prælium. Igitur consurge mane, tu & serui domini tui, qui venerunt tecum: & cum de nocte surrexeritis, & cœperit dilucescere, pergite. Surrexit itaque de nocte Dauid ipse & viri eius, vt proficiscerentur mane, & reuerterentur ad terram Philisthiim. Philisthiim autem ascenderant in Iezrael. Cunque venissent Dauid & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte Australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni. Et captiuas duxerant mulieres ex ea a minimo vsque ad magnum: & non interfecerant quenquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo. Cum ergo venissent Dauid & viri eius ad ciuitatem, & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas, leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo, voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lachrymæ. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoan Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli. Et contristatus est Dauid valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vnius-

c. 30.

cuiusque viri super filijs suis, & filiabus.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ca. 1. **E**T ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit, dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos: scio quod sis sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus, dicens, Obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exijt ab eo. Et mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes, Quid nam est hoc? quænam doctrina hæc noua: quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ. Et protinus egredientes de synagogis, venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Ioanne. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans & statim dicunt ei de illa. Et accedens eleuauit eam apprehensa manu eius: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis. Vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes: & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. Et curauit multos qui vexabantur varijs languoribus: & dæmonia multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. Et diluculo valde surgens, egressus abijt in desertum locum, ibique orabat. Et persecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum inuenissent eum, dixerunt ei, Quia omnes, quærunt te. Et ait illis, Eamus in proximos vicus & ciui-

tates, vt & ibi prædicem, ad hoc enim veni. Et erat prædicans in synagogis eorum, in omni Galilæa: & dæmonia eiiciens. Et venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo, dicit ei, Si vis, potes me mundare, Iesus autem misertus eius, extendit manum suam, & tangens eum, ait illi, Volo, mundare. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et comminatus est ei, statimque eiecit illum, & dicit ei, Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyses in testimonium illis. Et egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem: ita vt iam non posset manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esse, & conueniebant ad eum vndique.

¶ Feria. iij. ex. j. Reg. lib. Lectio. j.

Confortatus est autem Daud in domino Deo suo. Et ait ad c. 30. Abiathar sacerdotem filium Achimelec. Applica ad me Ephod. Et applicauit Abiathar Ephod ad Daud, & consuluit Daud dominum, dicens, Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei dominus, Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam. Abiit ergo Daud ipse & sexcenti viri qui erant cum eo, & venerunt vsque ad torrentem Besor: & lassi quidam substiterunt. Persecutus est autem Daud ipse & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor. Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Daud: dederuntque ei panem vt comederet, & biberet aquam, sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas vuæ passæ. Quæ cum comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocil-

latus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus & tribus noctibus. Dixit itaque ei Dauid, Cuius es tu? vel vnde? & quo pergis? Qui ait, Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus quia ægrotare cœpi nudiustertius. Si quidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem. Caleb, & Siceleg succendimur igni. Dixitque ei Dauid, Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait, Iura mihi per Deum, quod non occidas me, & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, & spolijs quæ ceperant de terra Philisthiim, & de terra Iuda. Et percussit eos Dauid a vespere vsque ad vesperam an alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ca. 2. **E**T iterum intrauit Capharnaum post dies octo: & auditum est quod in domo esset & confestim conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum vbi erat: & patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat. Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico, Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis, Quid hic sic loquitur?

blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Quo statim cognito Iesus spiritu suo quia sic cogitarent intra se, dixit illis, Quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere paralytico, Dimittuntur tibi peccata: an dicere, Surge, tolle grabatum tuum & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et statim surrexit ille: & sublato grabato abijt inde coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes. Quia nunquam sic vidimus. Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cum præteriret, vidit Leui Alphæi sedentem ad telonium: & ait illi, Sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est: cum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius, erant enim multi qui & sequebantur eum. Et Scribæ & Pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis eius, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester? Hoc audito Iesus ait illis, Non necesse habent sani medico: sed qui male habent, non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Et erant discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes, & veniunt, & dicunt illi, Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant: tui autem discipuli non ieiunant? Et ait illis Iesus? Nunquid possunt filij nuptiarum quandiu sponsus cum illis est, ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient autem dies

cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Nemo assumptionem panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum nouum a veteri, & maior scissura fit. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres alioquin dirumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt, sed vinum nouum in vtres novos mitti debet.

☞ **Feria. iiij. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 30. **E**Ruit ergo Dauid omnia quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores suas eruit, Nec defuit quicquam a paruo vsque ad magnum, tam de filijs quam de filiabus, & de spolijs: & quæcunque rapuerant, omnia reduxit Dauid. Et tulit vniuersos greges, & armenta, & minauit ante faciem suam: dixeruntque, Hæc est præda Dauid. Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassissimi substituerant, nec sequi potuerant Dauid, & residere eos iusserat in torrente Besor: qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacifice. Respondensque omnis vir pessimus, & iniquus de viris qui ierant cum Dauid, dixit, Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda quam eruimus: sed sufficiat unicuique vxor sua & filij: quos cum acceperint, recedant. Dixit autem Dauid, Non sic facietis fratres mei de his quæ tradidit nobis dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos qui eruperant aduersum nos, in manus nostras, nec audiet vos quisquam super sermone hoc. æqua enim pars erit descendenti ad prælium, & remanenti ad sarcinas & similiter diuident: & factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israel vsque in diem hanc. Venit

ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis dicens: Accipite benedictionem de præda hostium domini: His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad meridiem, & qui in Gether, & qui in Aroer, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo, & qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni, & qui in Harama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach, & qui in Hebron: & reliquis qui erant in his locis in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET factum est iterum cum sabbatis ambularet per sata, & discipuli eius cœperunt progredi & vellere spicas. Pharisei autem dicebant ei, Ecce, quid faciunt discipuli tui sabbatis quod non licet? Et ait illis, Nunquam legis-tis quid fecerit Dauid, quando necessitatem habuit & esuriit ipse, & qui cum eo erant? quomodo introiuit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant? Et dicebat eis, Sabbatum propter hominem factum est: & non homo propter sabbatum. Itaque dominus est filius hominis, etiam sabbati.

Et introiuit iterum in synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam. Et obseruabant eum si sabbatis curaret, vt accusarent illum. Et ait homini habenti manum aridam, Surge in medium. Et dicit eis, Licet sabbatis benefacere, an male? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumspectus eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum dicit homini, Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus illi. Exeuntes autem Pharisei

statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum quomodo eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba a Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Ierosolymis & ab Idumæa & trans Iordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem multitudo magna audientes quæ faciebat venerunt ad eum. Et dixit Iesus discipulis suis, vt naucula sibi deseruirent propter turbam, ne comprimerent eum: multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi cum illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes, Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum. Et ascendens in montem, vocauit ad se quos voluit ipse: & venerunt ad eum. Et fecit vt essent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitru, & Andræam & Philippum & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thaddæum & Simonem Cananæum, & Iudas Iscariotem, qui & tradidit illum.

☩ **Feria. v. ex. j. Regum. Lectio. j.**

c. 31. **P**hilisthiim autem pugnabant aduersum Israel: & fugerunt viri Israel ante faciem Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe. Irrueruntque Philisthiim in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionathan & Abinadab & Melchisua filios Saul, totumque pondus prælij versum est in Saul, & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer a sagittarijs. Dixitque Saul

ad armigerum suum, Euagina gladium tuum, & percute me, ne forte veniant incircuncisi isti & interficiant me illudentes mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium suum, & irruit super eum. Quod cum vidisset armiger eius videlicet quod mortuus esset Saul. irruit etiam ipse super gladium suum & mortuus est cum eo. Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter. Videntes autem viri Israel qui erant trans vallem & trans Iordanem, quod fugissent viri Israelitæ, & quod mortuus esset Saul, & filij eius, reliquerunt ciuitates suas & fugerunt: veneruntque Philisthiim, & habitauerunt ibi. facta autem die altera venerunt Philisthiim vt expoliarent interfectos, & inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Gelboe. Et præciderunt caput Saul, & expoliauerunt eum armis: & miserunt in terram Philistinorum per circuitum. vt annuntiaretur in templo idolorum & in populis. Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus vero eius suspenderunt in muro Bethsan. Quod cum audissent habitatores Iabes Galaad, quæcunque fecerant Philisthiim Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan: veneruntque Iabes Galaad, & combusserunt ea igni: & tulerunt ossa eorum: & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET veniunt ad domum, & conuenit ca. 3. iterum turba, ita vt non possent neque panem manducare. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum: dice-

bant enim, Quoniam in furorem versus est. Et Scribæ qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant, Quoniam Beelzebub habet: & quia in principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis, Quomodo potest satanas satanam eiicere? & si regnum in se diuidatur: non potest regnum illud stare. & si domus super semetipsam dispartiat: non potest domus illa stare. Et si satanas consurrexerit in semetipsum dispartitus est, & non poterit stare, sed finem habet. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blasphemix quibus blasphemauerint: qui autem blasphemauerit in spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant Spiritum immundum habet. Et veniunt mater eius & fratres: & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum. Et sedebat circa eum turba: & dicunt ei, Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. Et respondens eis, ait, Quæ est mater mea, & fratres mei? Et circumspectus eos qui in circuitu eius sedebant, ait, Ecce mater mea, & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem Dei: hic frater meus

ca. 4. & soror mea & mater est. Et iterum coepit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita vt nauim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat: & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua: Audite. Ecce, exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cœli & comederunt

illud. Aliud vero cecidit super petrosa vbi non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ, & quando exortus est Sol, exæstauit, & eo quod non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ & suffocauerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum ascendentem & crescentem, & afferebat vnum trigesimum, & vnum sexagesimum, & vnum centesimum. Et dicebat: Qui habet aures audiendi audiat. Et cum esset singularis, interrogauerunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam, & dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant, nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata.

☩ *Feria. vj. Secundus lib. Samuelis. Quem nos. ij. Reg. dicimus. Lectio. j.*

FActum est autem postquam mortuus est Saul, vt Dauid reuertetur a cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies. In die autem tertia apparuit homo veniens de castris Saul veste conscissa, & puluere conspersus caput, & vt venit ad Dauid, cecidit super faciem suam, & adorauit. Dixitque ad eum Dauid, Vnde venis? Qui ait ad eum, De castris Israel fugi. Et dixit ad eum Dauid, Quod est verbum, quod factum est? indica mihi. Qui ait, Fugit populus ex prælio, & multi corruentes e populo mortui sunt: sed & Saul & Ionathas filius eius interierunt. Dixitque Dauid ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Vnde scis quia mortuus est Saul & Ionathas filius eius? Et ait adolescens qui nuntiabat ei, Casu veni

in montem Gelboe, & Saul incumbabat super hastam suam: porro currus & equites appropinquabant ei, & conuersus post tergum suum, vidensque me vocauit. Cui cum respondissem, Adsum: dixit mihi, Quisnam es tu? Et aio ad eum, Amalecites ego sum. Et loquutus est mihi, Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiae, & adhuc tota anima mea in me est. Stansque super eum, occidi illum: sciebam enim quod viuere non poterat post ruina: & tuli diadema quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius: & attuli ad te dominum meum huc, Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt, vsque ad vesperam super Saul, & super Ionathan filium eius, & super populum domini, & super domum Israel, eo quod corruissent gladio. Dixitque Dauid ad iuuenem qui nuntiauerat ei: Vnde es tu? Qui respondit: Filius hominis aduenæ Amalecitarum ego sum. Et ait ad eum Dauid: Quare non timuisti mittere manum tuam vt occideres Christum domini? vocansque Dauid vnum de pueris suis: ait: Accedens irruerit in eum, qui percussit illum, & mortuus est. Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum loquutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci Christum domini.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET ait illis, Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolam cognoscetis? Qui seminat, verbum seminat. Hi autem sunt, qui circa viam: vbi seminatur verbum, & cum audierint confestim venit satanas, & aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum. Et hi sunt similiter

qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud: & non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione vel persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. Et alij sunt qui in spinis seminantur: hi sunt qui verbum audiunt, & erumnæ seculi & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt: qui audiunt verbum & suscipiunt, & fructificant, vnum trigesimum, vnum sexagesimum, & vnum centesimum. Et dicebat illis: Nunquid venit lucerna vt sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne vt super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, quod non veniat in palam. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et dicebat illis Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adiicietur vobis. Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet & increscat dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam deinde plenum frumentum in spica. Et cum ex se produxerit fructus: statim mittit falcem, quoniam adest messis. Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud? Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra: & cum seminatum fuerit, ascendit in ar-

borem, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt possint sub vmbra eius aues cœli habitare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. Et ait illis in illa die cum sero esset factum: Transeamus contra. Et dimittentes turbam assumunt eum ita vt erat in nauī: & aliæ naues erant cum illo. Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus: & facta est tranquillitas magna. Et ait illis: quid timidi estis? necdum habetis fidem? & timuerunt timore magno: & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?

☞ **Sabbato, ex. ij. Regum. Lectio. j.**

ca. 1.

PLanxit autem Daud planctum huiusmodi super Saul, & super Ionathan filium eius: & præcepit vt docerent filios Iuda arcum: sicut scriptum est in libro iustorum: Et ait, Considera Israel pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt. quomodo ceciderunt fortes? Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircuncisorum. Montes Gelboe, nec ros, nec pluua veniant super vos, neque sint agri primitiarum, quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul quasi non esset vnctus oleo. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Ionathæ nunquam rediit retror-

sum: & gladius Saul non est reuersus inanis. Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi: aquilis velociore, leonibus fortiores. Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delitijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est? Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego te diligebam. Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. Et exeunti ei de nauī, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis: & neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminisset: & nemo poterat eum domare: & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapidibus. Videns autem Iesum a longe, cucurrit & adorauit eum: & clamans voce magna dixit. Quid mihi & tibi Iesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deum ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine isto. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dixit ei, Legio mihi nomen est: quia multi sumus. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pasceus in agris. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiri-

ca. 5.

tus immundi, introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare, ad duo millia, & suffocati sunt in mari. Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem & in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum: & venerunt ad Iesum, & vident illum qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis: & timuerunt. Et narrauerunt illis qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat: & de porcis. Et rogare cœperunt eum vt discederet de finibus eorum. Cunque ascenderet nauim, cœpit illum deprecari qui a dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo: & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi dominus fecerit, & miser-tus sit tui. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus: & omnes mirabantur. Et cum trans-cendisset Iesus in naui rursus trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. Et venit quidam de archisynagogis nomine Iairus: & videns eum procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est: Veni, impone manum super eam, vt salua sit & viuat. Et abiit cum illo: & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

¶ Dominica. xix. post Pentecosten, ex tertio Regum. Lectio prima.

c. 17.

T dixit Elias thesbites de habitatoribus Galaad, ad Achab, Viuit dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuiæ, nisi iuxta oris mea verba. Et factum est verbum domini ad eum, dicens: Recede hinc, & vade contra orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem: & ibi de torrente bibes:

coruisque præcepi vt pascant te ibi. Abiit ergo, & fecit iuxta verbum domini: Cunque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem. Corui quoque deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente. Post dies autem aliquot siccatus est torrens, non enim pluerat super terram. † Factus est ergo sermo domini ad eum, dicens, Surge, & vade in Sareptha Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ vt pascat te. Surrexit, & abiit in Sareptha, Cunque venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam. Cunque illa pergeret, vt afferret, clamauit post tergum eius, dicens: Affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tua. Quæ respondit, Viuit dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, vt comedamus & moriamur.]

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET mulier quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpressa a compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat, cunque audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius, dicebat enim, Quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore quia sanata esset a plaga. Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat, Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui, Vides turbam complimentem

te: & dicis, Quis me tetigit? Et circumspectabat videre eam quæ hoc fecerat. Mulier vero timens & tremens, sciens quod factum esset in se: venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei, Filia fides tua te saluam fecit, vade in pace: & esto sana a plaga tua. Adhuc eo loquente veniunt nuntij ab archisynagogo dicentes, Quia filia tua mortua est: quid vltra vexas magistrum? Iesus autem audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo, noli timere: tantummodo crede. Et non admisit quenquam se sequi, nisi Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Et veniunt in domum archisynagogi, & videt tumultum & flentes & eiulantes multum. Et ingressus ait illis, Quid turbamini & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Et irridebant eum. Ipse vero eiectis omnibus assumit patrem & matrem puellæ & qui secum erant, & ingrediuntur vbi puella erat iacens. Et tenens manum puellæ, ait illi, Talitha cumi, quod est interpretatum, Puella tibi dico, surge. Et confestim surrexit puella. & ambulabat, erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis vehementer vt nemo id sciret, & iussit dari illi manducare. Et egressus inde, abiit in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui. Et facto sabbato cœpit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes, Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi? & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber filius Mariæ frater Iacobi & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. Et dicebat illis

Iesus, Quia non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum, & circumibat castella in circuitu, docens.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore: Loquebatur Iesus principibus sacerdotum parabolam hanc, Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. c. 22.

Et rel. Hom. sancti Grego. papæ.

Textum lectionis euangelicæ, fratres charissimi, volo (si possum) sub breuitate transcurrere: vt in fine eius valeam ad loquendum largius vacare. Sed quærendum prius est, an hæc apud Matthæum ipsa sit lectio quæ apud Lucam sub appellatione cœnæ describitur. Et quidem sunt nonnulla quæ sibi dissona esse videntur: quia hic prandium, illic cœna memoratur. Hic qui ad nuptias non dignis vestibis intrauit repulsus est: illic nullus intrasse dicitur qui repulsus esse perhibeatur. Qua ex re recte colligitur quod & hic per nuptias præsens ecclesia, & illic per cœnam æternum & vltimum conuiuium designatur: quia & hanc nonnulli exituri intrant: & ad illud quisquis semel intrauerit vltius non exiit. Et si quis forte contendat hanc eandem esse lectionem: ego melius puto (salua fide) alieno intellectui cedere, quam contentionibus deservire. Quoniam & intelligi congrue forsitan potest: quia de proiecto eo qui cum nuptiali veste non venerat, quod Lucas tacuit, Matthæus dixit. Quod vero per alium cœna, per hunc autem prandium dicitur: nequaquam vel hoc

nostræ intelligentiæ obsistit: quia cum ad horam nonam apud antiquos quotidie prandium fieret, ipsum quoque prandium cœna vocabatur. Te deum.

Oratio.

OMnipotens, & misericors Deus vniuersa nobis aduersantia propitiatus exclude: vt mente & corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exequamur. Per dominum.

¶ Feria. ij. ex. iij. Regum. Lectio. j.

c. 17. **A**D quam Elias ait, Noli timere, sed
c vade, & fac sicut dixisti: veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit dominus Deus Israel, Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vsque ad diem in qua dominus daturus est pluuiam super faciem terræ. quæ abiit & fecit iuxta verbum Eliæ: & comedit ipse, & illa, & domus eius: & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbum domini quod
D loquutus fuerat in manu Eliæ.] Factum est autem post hæc, † ægrotauit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam, Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Et ait ad eam, Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum, & clamauit ad dominum, & dixit, Domine Deus meus etiam ne viduam, apud quam ego vtcunque sustentor, affixisti, vt interficeres filium eius? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad dominum, & ait, Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in

viscera eius. Et exaudiuit dominus vocem Eliæ: & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. Tulitque Elias puerum & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ & ait illi, En viuus filius tuus. Dixitque mulier ad Eliam, Nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum domini in ore tuo verum est.]

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET vocauit duodecim: & cœpit
ca. 6. eos mittere binos & dabat illis potestatem spirituum immundorum. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos sandalijs, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis, Quocunque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde: & quicunque non receperint vos, nec audierint exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis. Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Et audiuit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat. Quia Ioannes Baptista resurrexit a mortuis: & propterea virtutes operantur in illo. Alij autem dicebant, Quia Elias est. Alij vero dicebant, Quia propheta est, aut quasi vnus ex prophetis. Quo audito, Herodes ait, Quem ego decollauioannem, hic a mortuis resurrexit. ipse enim † Herodes misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter
C Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes autem metue-

bat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat: & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus & tribunis, & primis Galilææ. Cunque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus. rex ait puellæ, Pete a me quod vis: & dabo tibi, & iurauit illi, Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exisset, dixit matri suæ, Quid petam? At illa dixit, Caput Ioannis Baptistæ. Cunque introisset statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens: Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex. Propter iusiurandum & propter simul discumbentes noluit eam contristare: sed misso spiculatore præcepit afferri caput eius in disco: & decollauit eum in carcere. Et attulit caput eius in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. Quo audito, discipuli eius venerunt & tulerunt corpus eius: & posuerunt illud in monumento.]

☞ *Feria. iij. ex. li. iij. Reg. Lectio. j.*

- c. 18. **P**ost dies multos factum est verbum domini ad Eliam in anno tertio, dicens: Vade, & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ. Iuit ergo Elias, vt ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. vocauitque Achab Abdian dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat dominum Deum valde. Nam cum interficeret Iezabel prophetas domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & paut eos pane & aqua. Dixit ergo Achab ad Abdian, Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum:

& in cunctas valles: si forte possimus inuenire herbam, & saluare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant. Diuiseruntque sibi regiones, vt circumirent eas: Achab ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram seorsum. Cunque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognouisset eum, cecidit super faciem suam, & ait. Num tu es, domine mi, Elias? cui ille respondit, Ego, vade, & dic domino tuo, Adest Elias. Et ille, Quid peccauit, inquit, quoniam tradis me seruum tuum in manu Achab, vt interficiat me? Viuit dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit dominus meus te requirens: & respondentibus cunctis, Non est hic: adiurauit regna singula, & gentes: eo quod minime reperireris. Et nunc tu dicis mihi, Vade, & dic domino tuo. Adest Elias. Cunque recessero a te, spiritus domini asportabit te in locum quem ego ignoro: & ingressus nuntiabo Achab, & non inueniens te, interficiet me: seruus autem tuus timet dominum ab infantia sua. Nunquid non indicatum est tibi domino meo quid fecerim cum interficeret Iezabel prophetas domini, quod absconderim de prophetis domini centum viros quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pauerim eos pane & aqua? Et nunc tu dicis, Vade, & dic domino tuo, Adest Elias: vt interficiat me. Et dixit Elias, Viuit dominus exercituum, ante cuius vultum sto, quia hodie apparebo ei.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET conuenientes apostoli ad Iesum ca. 6. renuntiauerunt ei omnia quæ egerant & docuerant. Et ait illis, Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec

spacium manducandi habebant. Et ascendentes in nauim, abierunt in desertum locum seorsum, & viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi & pedestres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos. Et exiens vidit turbam multam Iesus: & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, & cœpit docere multa. Et cum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius, dicentes, Desertus est locus hic, & iam hora præteriit: dimitte illos vt euntes in proximas villas & vicos emant sibi cibos quos manducant. Et respondens ait illis, Date illis manducare. Et dixerunt ei, euntes emamus ducentis denarijs panes: & dabimus illis manducare. Et dixit eis, Quot panes habetis? Ite & videte. Et cum cognouissent, dicunt: Quinque & duos pisces. Et præcepit illis vt accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos. Et acceptis quinque panibus & duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit & fregit panes & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos: & duos pisces diuisit omnibus. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. erant autem qui manducauerunt quinque millia virorum. Et statim coegit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam: dum ipse dimitteret populum. Et cum dimisisset eos,

E abiit in montem orare. † Et cum sero esset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam

noctis venit ad eos ambulans supra mare: & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse: & exclamauerunt. Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis: & dixit eis, Confidite, ego sum: nolite timere. Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus & plus magis intra se stupebant: non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum.

¶ Feria. iiij. ex. iiij. Regum. Lectio. j.

A Biit ergo Abdias in occursum Achab: & indicauit ei: venitque Achab in occursum Eliæ. Et cum vidisset eum, ait, Tu ne es ille qui conturbas Israel? Et ille ait, Non ego turbauit Israel, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata domini, & sequuti estis Baalim. Veruntamen nunc mitte & congrega ad me vniuersum Israel in monte carmeli, & prophetas Baal, quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel. Misit Achab ad omnes filios Israel & congregauit prophetas in monte Carmeli. Accedens autem Elias ad omnem populum Israel, ait, Vsquequo claudicatis in duas partes? si dominus est Deus sequimini eum, si autem Baal sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. Et ait rursus Elias ad populum, Ego remansi propheta domini solus: prophetæ autem Baal, quadringenti & quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frustra cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant, & ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam. Inuocate nomina deorum vestrorum, &

c. 18.

ego inuocabo nomen domini: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait, Optima propositio.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

c.6.f **E**T cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth: & applicuerunt. Cunque egressi essent de nauis, continuo cognouerunt eum, & percurrentes vniuersam regionem illam cœperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre vbi audiebant eum esse. Et quocunq̄ introibat, in vicos vel in villas aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos: & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.] Et conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Ierosolymis. Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperauerunt. Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus non manducant, tenentes traditionem seniorum, & a foro, nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & ærumentorum, & lectorum. Et interrogabant eum Pharisæi & Scribæ. Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? At ille respondens dixit eis, Bene prophetauit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me: in vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata vrceorum & calicum: & alia similia his facitis multa. Et dice-

c.7.a

bat illis, Bene irritum facitis præceptum Dei: vt traditionem vestram seruētis. Moyses enim dixit, Honora patrem tuum, & matrem tuam: & Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri vel matri, Corbam, quod est donum, quodcunq̄ ex me, tibi profuerit: & vltra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis: & similia huiusmodi multa facitis.

¶ Feria. v. ex. iij. Regum. Lectio. j.

DIxit ergo Elias prophetis Baal, Eligite bouem vnum, & facite primi, quia vos plures estis: & inuocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis. Qui cum tulissent bouem, quem dederat eis, fecerunt: & inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem, dicentes, Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebantque altare quod fecerant. Cunque esset iam meridies, illudebat illis Elias, dicens, Clamate voce maiore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur. Clamabant ergo voce magna: & incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Postquam autem transijt meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes: dixit Elias omni populo, Venite ad me. Et accedente ad se populo, curauit altare domini, quod destructum fuerat. Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus est sermo domini, dicens, Israel erit nomen tuum. Et ædifi-

c. 18.

cavit de lapidibus altare in nomine domini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas in circumitu altaris & composuit ligna: diuisitque per membra bouem, & posuit super ligna, & ait, implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit, Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait, Etiam tertio idipsum facite. Feceruntque tertio, & currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est. Cunque iam tempus esset vt offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait, Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me domine, exaudi me, vt discat populus iste quia tu es dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus cecidit in faciem suam, & ait, dominus ipse est Deus, dominus ipse est Deus. Dixitque Elias ad eos, Apprehendite prophetas Baal & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad Torrentem Cison, & interfecit eos ibi.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ca. 7. **E**T aduocans iterum turbam, dicebat illis, Audite me omnes, & intelligite, Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coinquant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli eius parabolam. Et ait illis, Sic & vos imprudentes estis?

Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coinquinare, quia non intrat in cor eius, sed in ventrum vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas? Dicebat autem quoniam quæ de homine exeunt, illa coinquant hominem. Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala abintus procedunt, & coinquant hominem. Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere: mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier gentilis Syrophœnissa genere. Et rogabat eum vt dæmonium eiiceret de filia eius. Qui dixit illi, Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa respondit, & dicit illi, Vtique domine: nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi, propter hunc sermonem, vade: exiit dæmonium a filia tua. Et cum abiisset domum, inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exiisse. † Et iterum exiens de finibus Tyri, venit D per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum, & mutum: & deprecabantur eum vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius, & suscipiens in cœlum, ingemuit: & ait illi, Hephetha, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius: & solu-

tum est vinculum linguæ eius, & loquebatur recte. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes, Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.]

☞ *Feria. vj. ex. iij. Regum. Lectio. j.*

- c. 18. **E**T ait Elias ad Achab, Ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluuiæ est. Ascendit Achab, vt comederet & biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerum suum, Ascende, & prospice contra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset ait, Non est quicquam. Et rursum ait illi, Reuertere septem vicibus. In septima autem vice ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait, Ascende, & dic Achab, Iunge currum, & descende, ne occupet te pluuiæ. Cunque se verteret huc itaque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuiæ grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Iezrahel: & manus domini facta est super Eliam, accinctusque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in
- c. 19. Iezrahel. Nuntiauit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidisset vniuersos prophetas Baal gladio. Misitque Iezabel nuntium ad Eliam dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnus ex illis. Timuit ergo Elias, & surgens abiit quocunque eum ferebat
- B voluntas † venitque in Bersabæe Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum viam vnus diei. Cunque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur,

& ait, Sufficit mihi domine, tolle animam meam: neque enim melior sum quam patres mei. Proiecitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce angelus domini tetigit eum, & dixit illi, Surge, & comede. Et respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit. Reuersusque est angelus domini secundo, & tetigit eum, dixitque illi, Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.]

Secundum Marcum. Lectio. ij.

IN diebus illis iterum † cum turba c.8.a multa esset, nec haberent quod manducarent: conuocatis discipulis, ait illis, Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducant: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. quidam enim ex eis de longe venerunt. Et responderunt ei discipuli sui, Vnde istos quis poterit saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos, Quot panes habetis? Qui dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit: & dabat discipulis suis vt apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt & saturati sunt: & sustulerunt quod superauerat de fragmentis septem sportas. Erant autem qui manducauerunt, quasi quatuor millia & dimisit eos.] Et statim ascendens B nauim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. Et exierunt Pharisæi: & cœperunt conquirere cum eo

quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum. Et ingemiscens spiritu, ait, vt quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. & dimittens eos, ascendit iterum nauim: & abiit trans fretum. Et oblitus sunt panes sumere: & nisi vnum panem non habebant secum in naui. Et præcipiebat eis dicens: Videte & cauete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. Et cogitabant ad alterutrum dicentes, Quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Iesus, Quid cogitatis quia panes non habetis? nondum cognoscetis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? nec recordamini quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? dicunt ei, duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei, Septem. Et dicebat eis, Quomodo nondum intelligitis? Et veniunt Bethsaidam: & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & exuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret. Et aspiciens ait, Video homines velut arbores, ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius: & coepit videre, & restitutus est, ita vt clare videret omnia. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris.

☞ **Sabbato, ex. iij. Regum. Lectio. j.**

c. 19. **C**Vnque venisset illuc, mansit in spelunca: & ecce sermo domini ad eum, dixitque illi, Quid hic agis Elia? At ille respondit: zelo zela-

tus sum pro domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærent animam meam vt auferant eam. Et ait ei, Egredere, & sta in monte coram domino: & ecce dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante dominum: non in spiritu dominus, & post spiritum commotio: non in commotione dominus. Et post commotionem ignis: non in igne dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis. quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elia? Et ille respondit: zelo zelatus sum pro domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus: & quærent animam meam vt auferant eam. Et ait dominus ad eum. Vade, & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum: cunque perueneris illuc, vnges Hazael regem super Syriam: & Iehu filium Namsi vnges regem super Israel: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, vnges prophetam pro te. Et erit, quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliseus. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum osculans manus. Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum

arantibus vnus erat: cunque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait, Osculor, oro patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te. Dixitque ei, Vade, & reuertere: quod enim meum erat, feci tibi. Reuersus autem ab eo, tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: consurgensque abiit, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

- c. 18. **E**T egressus est Iesus & discipuli eius in castella Cæsarææ Philippi: & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis, Quem me dicunt esse homines? Qui responderunt illi, dicentes, Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij vero quasi vnum de prophetis. Tunc dicit illis, Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait ei, Tu es Christus. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Et cœpit docere eos quoniam oportet filium hominis pati multa & reprobari a senioribus & a summis sacerdotibus & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. Qui conuersus & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens, Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Et conuocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & euangelium, saluam faciet eam. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum: & detrimentum an-

imæ suæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? Qui enim me confusus fuerit & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. Et dicebat illis, Amen ca. 8.
dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem: & duxit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta eius facta sunt splendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere, & apparuit illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum Iesu. Et respondens Petrus, ait Iesu, Rabbi: bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Non enim sciebat quid diceret, erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus: audite illum. Et statim circumspectientes, neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum.

¶ Dominica. xx. post Penteco. Quartus lib. Regum. Lectio. j.

- R**æuaricatus est autem Moab ca. 1.
in Israel, postquam mortuus est Achab. Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui quod habebat in Samaria, & ægrotauit, misitque nuntios dicens ad eos, Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos,

Nunquid non est Deus in Israel: vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit dominus: De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias. Reuersique sunt nuntij ad Ochoziam. Qui dixit eis, Quare reuersi estis? At illi responderunt ei, Vir occurrit nobis, & dixit ad nos, Ite, & reuertimini ad regem, qui misit vos, & dicetis ei: Hæc dicit dominus, Nunquid quia non erat Deus in Israel mittis vt consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcirco de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Qui dixit eis, Cuius figuræ & habitus est vir ille qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt, Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait, Elias Thesbites est. Misitque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit vt descendas. Respondensque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo & deuorauit eum & quinquaginta qui erant cum eo.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ca. 9. **E**T descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quod vidissent narrarent, nisi cum filius hominis a mortuis resurrexerit. Et verbum continuerunt apud se: conquirentes quid esset: Cum a mortuis resurrexerit, Et interrogabant eum dicentes, Quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ quia Eliam oporteat venire primum? Qui respondens ait illis: Elias cum venerit primo, restituet omnia, & quomodo scriptum est in filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur?

Sed dico vobis quia & Elias venit (& fecerunt illi quæcunque voluerunt) sicut scriptum est de eo. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Iesum, stupefactus est, & expauerunt: & accurrentes salutabant eum. Et interrogauit eos, Quid inter vos conquiritis? † Et respondens vnus C de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum: & spumat, & stridentibus suis, & arescit. & dixi discipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quando apud vos ero? quando vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum: & elisus in terram volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius, Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait, Ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquas misit vt eum perderet. Sed si quid potes, adiuua nos: misertus nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibile sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat, Credo domine: adiuua incredulitatem meam. Et cum videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi, surde & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. Et exclamans & multum discernens eum, exiit ab eo: & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum: & surrexit. Et

cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum, Quare nos non potuimus eicere eum? Et dixit illis, Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.]

Secundum Ioannem. Lectio. iii.

ca. 4. **I**N illo tempore: Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Et reliqua.

Homilia sancti Grego. papæ.

Lectio sancti Euangelij, quam modo fratres audistis, expositione non indiget. Sed ne hanc taciti præteruisse videamur, exhortando potius quam exponendo in ea aliquid loquamur. Hoc autem nobis solummodo de expositione video esse requirendum: cur is qui ad salutem petendam venerat, audiuit: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Qui enim salutem quærebat filio, proculdubio credebat. Neque enim ab eo quæreret salutem, quem non crederet saluatorem. Quare ergo ei dicitur: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis: qui ante credidit, quam signum videret? Sed mementote quid petiit: & aperte cognoscetis, quia in fide dubitauit. Poposcit nanque vt descenderet, & sanaret filium eius. Corporalem ergo præsentiam domini quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putauit salutem posse dare, nisi præsens esset & corpore. Si enim perfecte credidisset: proculdubio sciret quia non esset locus vbi non esset Deus. Ex magna ergo parte diffusus est, qui virtutis honorem non dedit maiestati, sed præsentia corporali. Et salutem itaque filio petiit, & tamen in fide dubitauit, quia eum ad quem venerat, & potentem ad curandum credidit, & tamen morienti filio esse absentem putauit. Te deum. Oratio.

LArgire quæsumus domine fidelibus tuis indulgentiam placatus, & pacem: vt pariter ab omnibus munden- tur offensis, & segura tibi mente deseruiant. Per do.

ca. 1. **¶** Feria. ij. ex. iiij. li. Reg. Lectio. j.

Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi, Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende. Respondens Elias, ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius. Iterum misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset, curauit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam meam & animas seruorum tuorum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant, sed nunc obsecro, vt miserearis animæ meæ. Locutus est autem angelus domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem, & locutus est ei, Hæc dicit dominus, Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Mortuus est autem iuxta sermonem domini quem locutus est Elias, & regnauit Ioram frater eius pro eo, anno secundo Ioram filij Iosaphat regis Iudæ: non enim habebat filium. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel?

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ca. 9. **E**T inde profecti prætergredebantur Galilæam: nec volebat quenquam scire. Docebat autem discipulos suos: & dicebat illis, Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget. At illi ignorabant verbum: & timebant interrogare eum. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi esset, interrogabat eos. Quid in via tractabatis? At illi tacebant: si quidem in via inter se disputauerunt quis eorum maior esset. Et residens vocauit duodecim: & ait illis, Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset, ait illis: Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo: me recipit, & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. Respondit illi Ioannes, dicens. Magister, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Iesus autem ait, Nolite prohibere eum. nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur. Et si scandalizauerit te manus tua, abscide illam. bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si

pes tuus te scandalizat, amputa illum. bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, eiice eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne salietur: & omnis victima sale salietur. Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit: in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

Feria. iij. ex. iij. li. Reg. Lectio. j.

ca. 2. **F**Actum est autem, cum leuare vellet dominus Eliam per turbinem in cœlum, ibant Elias & Eliseus de Galgalis. Dixitque Elias ad Eliseum, sede hic quia dominus misit me vsque in Bethel. Cui ait Eliseus, Viuit dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Cunque descendissent Bethel, egressi sunt filij prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum & dixerunt ei, Nunquid nosti quia hodie dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit, Et ego noui: silete. Dixit autem Elias ad Eliseum, Sede hic, quia dominus misit me in Iericho. Et ille ait, Viuit dominus, & viuit anima tua: quia non derelinquam te. Cunque venissent Iericho, accesserunt filij prophetarum qui erant in Iericho, ad Eliseum, & dixerunt ei, Nunquid nosti quia dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait, Et ego noui: silete. Dixit autem ei Elias, Sede hic, quia dominus misit me vsque ad Iordanem. Qui ait, Viuit dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, & quinquaginta viri de filiis prophetarum

secuti sunt eos, qui & steterunt e contra longe: illi autem ambo stabant super Iordanem. Tulitque Elias pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas: quæ diuisæ sunt in vtranque partem, & transierunt ambo per siccum. Cunque transissent, Elias dixit ad Eliseum, Postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus, Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit, Rem difficilem postulasti: attamen si videris me quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

- c. 10. **E**T inde exurgens, venit in fines Iudææ vltra Iordanem: & conueniunt iterum turbæ ad eum: & sicut consueuerat, iterum docebat illos. Et accedentes Pharisæi, interrogabant eum. Si licet vero vxorem dimittere? tentantes eum. At ille respondens, dixit eis, Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt, Moyses permisit libellum repudij scribere, & dimittere: Quibus respondens Iesus, ait, Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud: ab initio autem creaturæ masculum & foeminam fecit eos Deus. Propter hoc, relinquet homo patrem suum & matrem: & adhærebit ad vxorem suam, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogauerunt eum. Et ait illis, Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit: adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur. Et offerebant illi paruulos, vt tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Iesus,

indigne tulit, & ait illis, Sinite paruulos venire ad me: & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens, Magister bone, quid faciam vt vitam æternam percipiam? Iesus autem dicit ei, Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi vnus Deus. Præcepta nosti? Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudum feceris, Honora patrem tuum & matrem. At ille respondens, ait illi, Magister, hæc omnia obseruaui a iuuentute mea. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei, Vnum tibi deest, vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones. Et circumspectus Iesus, ait discipulis suis, Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Discipuli autem obstupescabant in verbis eius. At Iesus rursus respondens, ait illis, Filioli, quam difficile est confidentes in pecunijs, in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos, Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos Iesus, ait, Apud homines impossibile est: sed non apud Deum. omnia enim possible sunt apud Deum. Et post hæc cœpit ei Petrus dicere, Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Respondens Iesus ait, Amen dico vo-

bis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium: qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios & agros, cum persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternam. multi autem primi erunt nouissimi: & nouissimi primi.

☩ **Feria. iiij. ex. iiij. Reg. Lectio. j.**

ca. 2. **C**Vnque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrunque: & ascendit Elias per turbinem in cœlum, Eliseus autem videbat, & clamabat, Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius. Et non vidit eum amplius: apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reuersusque stetit super ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ: & dixit, Vbi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc: & transijt Eliseus. Videntes autem filij prophetarum, qui erant in Iericho econtra, dixerunt, Requeiuit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum eius, adorauerunt eum proni in terram, dixeruntque illi, Ecce, cum seruis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnam vallium. Qui ait, Nolite mittere. Coegeruntque eum, donec acquireret & diceret, Mittite. Et miserunt quinquaginta viros: qui cum quæsisent tribus diebus, non inuenerunt. Et reuersi sunt ad eum: at ille habitabat in Iericho, & dixit eis, Nunquid non dixi

vobis, Nolite mittere? Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Eliseum, Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse domine perspicias: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait, Afferte vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait, Hæc dicit dominus, Sanauit aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ vsque in diem hanc iuxta verbum Elisei quod locutus est. Ascendit autem inde Eliseus in Bethel: cunque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate: & illudebant ei, dicentes, Ascende calue, ascende calue. Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine domini: egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Abiit autem inde in montem Carmeli, & inde reuersus est in Samariam.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ERant autem in via ascendentes Ierosolymam: & præcedebat illos Iesus, & stupebant: & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim cœpit illis dicere quæ essent ei ventura. Quia ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & Scribis & senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die resurget. Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes, Magister, volumus vt quodcunque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis, Quid vultis vt faciam vobis? Et dixerunt, Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Iesus autem ait eis, Nesci-

tis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei, Possumus. Iesus autem ait eis, Calicem quidem quem ego bibo bibetis, & baptismo quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Et audientes decem, indignati sunt de Iacobo & Ioanne. Iesus autem vocans eos, ait illis, Scitis quia hi qui videntur principari Gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis: sed quicumque voluerit fieri maior, erit vester minister: & quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus. Nam & filius hominis non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis. Et veniunt Iericho: & proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta viam mendicans. Qui cum audisset quia Iesus Nazarenus est: cœpit clamare & dicere, Iesu fili Dauid miserere mei. Et comminabantur ei multi, vt taceret. At ille multo magis clamabat, Fili Dauid, miserere mei. Et stans Iesus, præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei, Animæquior esto, surge, vocat te. Qui proiecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. Et respondens Iesus, dixit illi, Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei, Rhabboni vt videam. Iesus autem ait illi, Vade, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

☞ **Feria. v. ex. iiij. Reg. Lectio. j.**

ca. 3. **I**oram vero filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Iosaphat regis Iudæ. Reg-

nauitque duodecim annis. Et fecit malum coram domino, sed non sicut pater suus, & mater: tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater eius. Veruntamen in peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, adhæsit, nec recessit ab eis. Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis. Cunque mortuus fuisset Achab, præuaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Israel. Egressus est igitur rex Ioram in die illa de Samaria, & recensuit vniuersum Israel. Misitque ad Iosaphat regem Iuda, dicens: Rex Moab recessit a me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit, Ascendam: qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi tui. Dixitque, Per quam viam ascendemus? At ille respondit, Per desertum Idumææ. Perrexerunt igitur rex Israel, & rex Iuda, & rex Edom, & circumierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui & iumentis quæ sequebantur eos. Dixitque rex Israel, heu heu heu, congregavit nos dominus tres reges, vt traderet in manu Moab. Et ait Iosaphat, estne hic propheta domini, vt deprecemur dominum per eum? Et respondit vnus de seruis regis Israel. Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ. Et ait Iosaphat, Est apud eum sermo domini. Descenditque ad eum rex Israel, & Iosaphat rex Iuda & rex Edom. Dixit autem Eliseus ad regem Israel, quid mihi & tibi est? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Israel, Quare congregavit dominus tres reges hos, vt traderet eos in manus Moab? Dixitque ad eum

Eliseus, Viuit dominus exercituum in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem adducite mihi psaltem.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

c. 11. **E**T cum appropinquarent Ierosolymæ & Bethaniæ ad montem Oliuarum, mittit duos ex discipulis suis, & ait illis, Ite in castellum quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: soluite illum, & adducite. Et si quis vobis dixerit, Quid facitis? dicite quia domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc. Et abeuntes, inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio: & soluunt eum. Et quidam de illic stantibus, dicebant illis, Quid facitis, soluentes pullum? Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Iesus: & dimiserunt eos. Et duxerunt pullum ad Iesum: & imponunt illi vestimenta sua: & sedit super eum. Multi autem vestimenta sua strauerunt in via. Alij autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via. Et qui præibant, & qui sequebantur clamabant dicentes, Hosanna, benedictus qui venit in nomine domini. Benedictum quod venit regnum patris nostri Daud, Hosanna in excelsis. Et introiuit Ierosolymam in templum: & circumspexit omnibus cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit. Cunque vidisset a longe ficum habentem folia, venit, si quid forte inueniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil inuenit præter folia, non enim erat tempus ficorum. Et respondens, dixit ei, Iam non amplius

in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli eius. Et veniunt in Ierosolymam. Et cum introisset in templum, cœpit eiicere vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas euertit: & non sinebat vt quisquam transferret vas per templum, & docebat, dicens eis, Nonne scriptum est, Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum. Quo audito, principes sacerdotum & scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius. Et cum vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei, Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. Et respondens Iesus, ait illis, Habete fidem Dei. Amen dico vobis quia quicumque dixerit huic monti, Tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit, fiat: fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quis habetis aduersus aliquem: vt & pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester qui in cœlis est dimittet vobis peccata vestra.

¶ Feria. vj. ex. iiij. Regum. Lectio. j.

CVnque caneret psaltes, facta est ca. 3. super eum manus domini, & ait, Hæc dicit dominus, Facite alueum torrentis huius fossas & fossas. Hæc enim dicit dominus, Non videbitis ventum, neque pluuiam: & alueus iste replebitur aquis: & bibetis vos, & familiæ

vestræ, & iumenta vestra. Parumque est hoc in conspectu domini? insuper tradet etiam Moab in manus vestras. Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuersum lignum fructiferum succiditis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus. Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, & ecce, aquæ veniebant per viam Edom: & repleta est terra aquis, vniuersi autem Moabitæ audientes quod ascendissent reges vt pugnarent aduersum eos, conuocauerunt omnes qui accincti erant baltheo desuper, & steterunt in terminis. Primoque mane surgentes: & orto iam sole ex aduerso aquarum, viderunt Moabitæ econtra aquas rubras quasi sanguinem, dixeruntque, Sanguis gladij est: pugnaverunt reges contra se, & cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab. Perrexeruntque in castra Israel: porro consurgens Israel percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, & percusserunt Moab, & ciuitates destruxerunt: & omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleuerunt: & vniuersos fontes aquarum obturauerunt: & omnia ligna fructifera succiderunt, ita vt muri tantum fictiles remanerent & circumdata est ciuitas a fundibularijs, & magna ex parte percussa. Quod cum vidisset rex Moab, præualuisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladios vt irrumperent ad regem Edom: & non potuerunt. Arripiensque filium suum, primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, & reuersi

sunt in terram suam.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET veniunt rursus Ierosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & Scribæ, & seniores, & dicunt ei, In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem vt ista facias? Iesus autem respondens, ait illis, Interrogabo vos & ego vnum verbum, & respondete mihi: & dicam vobis in qua potestate hæc faciam. Baptismus Ioannis, de cælo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. At illi cogitabant secum, dicentes, Si dixerimus de cælo, dicet nobis, Quare ergo non credidistis ei? Si dixerimus ex hominibus, timemus populum. Omnes enim habebant Ioannem quia vere propheta esset. Et respondentes dicunt Iesu, Nescimus. Et respondens Iesus, ait illis, Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam. Et cœpit illis in parabolis loqui, Vineam pastinauit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. Et misit ad agricolas in tempore seruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ. Qui apprehensum eum ceciderunt: & dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos alium seruum: & illum in capite vulnerauerunt, & contumelijs affecerunt. Et rursus alium misit, & illum occiderunt: & plures alios, quosdam cædentes: alios vero occidentes. Adhuc ergo vnum habens filium charissimum: & illum misit ad eos nouissimum, dicens. Quia reuerentur filium meum: Coloni autem dixerunt adinuicem, Hic est hæres: venite, occidamus eum: & nostra erit hæreditas. Et apprehendentes eum occiderunt: & eiecerunt extra vineam. Quid ergo faciet dominus vineæ? Ve-

c. 11.

c. 12.

niet, & perdet colonos: & dabit vineam alijs. Nec scripturam hanc legistis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Et quærebant eum tenere: & timuerunt turbam: cognouerunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo, abierunt. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis & Herodianis: vt eum caperent in verbo. Qui venientes, dicunt ei, Magister scimus quia verax es, & non curas quenquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæsari: an non dabimus? Qui sciens versutiam illorum, ait illos, Quid me tentatis? afferte mihi denarium vt videam. At illi attulerunt ei. Et ait illis, Cuius est imago hæc & inscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Respondens autem Iesus, dixit illis, Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

☞ *Sabbato, ex. iiij. Regum. Lectio. j.*

c.4.a **M**ulier autem quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum, dicens. Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti quia seruus tuus fuit, timens dominum: & ecce creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. Cui dixit Eliseus. Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit, Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, nisi parum olei quo vngar. Cui ait, Vade pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. Et ingredi, & claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu & filij tui, & mitte inde in omnia vasa hæc: & cum plena fuerint, tolles, Iuit itaque mulier, & clausit

ostium super se, & super filios suos: illi offerebant vasa, & illa infundebat. Cunque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum, Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit. Non habeo. Stetitque oleum. Venit autem illa, & indicauit homini Dei. Et ille, Vade, inquit vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filij tui viuite de reliquo.]

Facta est autem quædam dies, & transibat Eliseus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum vt comederet panem: Cunque frequenter inde transiret, diuertebat ad eam vt comederet panem. Quæ dixit ad virum suum, Animaduerto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei coenaculum paruum. & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos, maneat ibi. Facta est ergo dies quædam, & veniens diuertit in coenaculum, & requieuit ibi. Dixitque ad Giezi puerum suum, Voca Sunamitidem istam. Qui cum vocasset eam, & illa stetisset coram eo, dixit ad puerum suum, Loquere ad eam. Ecce, sedule in omnibus ministrasti nobis, quidvis vt faciam tibi? nunquid habes negocium, & vis vt loquar regi, siue principi militiæ? Quæ respondit. In medio populi mei habito. Et ait, Quid ergo vult vt faciam ei? Dixitque Giezi, Ne quæras: filium enim non habet, & vir eius senex est.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

ET venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse, & interrogabant eum dicentes, Magister, Moyses nobis scripsit, vt si cuius frater mortuus fuerit, & dimiserit vxorem, & filios non reliquerit: accipiat frater eius vxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo. Septem ergo

B

c. 12.

fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus est non relicto semine. Et secundus accepit eam, & mortuus est: & nec iste reliquit semen. Et tertius similiter. Et acceperunt eam similiter septem: & non reliquerunt semen. Nouissima omnium defuncta est & mulier. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cuius de his erit vxor? septem enim habuerunt eam vxorem. Et respondens Iesus ait illis, Nonne ideo erratis, non scientes scripturas neque virtutem Dei? Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur sed sunt sicut angeli Dei in cœlis. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquit, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Vos ergo multum erratis. Et accessit vnus de Scribis, qui audierat illos conquirentes: & videns quoniam bene illis responderit, interrogauit eum quod esset primum omnium mandatum. Iesus autem respondit ei, quia primum omnium mandatum est, Audi Israel, dominus Deus tuus vnus est. Et, diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Maius horum aliud mandatum non est. Et ait illi Scriba, Bene magister, in veritate, dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum. Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam seipsum maius est omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs.

Iesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi, Non es longe a regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare. Et respondens Iesus dicebat, docens in templo, Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse Dauid? Ipse enim Dauid dicit in spiritu sancto, Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo Dauid dicit eum dominum: & vnde est filius eius? Et multa turba eum libenter audiuit.

¶ Dominica. xxj. post Pentecosten, ex quarto Regum. Lectio prima.

Ræcepit itaque vt vocaret eam: quæ cum vocata fuisset, & stetisset ante ostium, dixit ad eam. In tempore isto, in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in vtero filium. At illa respondit, Noli quæso domine mi vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eadem qua dixerat Eliseus. Creuit autem puer. Et cum esset quædam dies, & egressus isset ad patrem suum, ad messoros, ait patri suo, Caput meum, caput meum. At ille dixit puero, Tolle, duc eum ad matrem suam. Qui cum tulisset, & duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua vsque ad meridiem, & mortuus est. Ascendit autem, & collocauit eum super lectulum hominis Dei, & clausit ostium, & egressa vocauit virum suum, & ait, Mitte mecum obsecro vnum de pueris, & asinam, vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar. Qui ait illi, Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt calendæ, neque Sabbatum. Quæ respondit, Vadam, Strauitque asinam, & præcepit puero. Mina, & propera, ne mihi

ca. 4.

moram facias in eundo: & hoc age
 D quod præcipio tibi. † Profecta est igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: Cunque vidisset eam vir Dei econtra, ait ad Giezi puerum suum, Ecce Sunamitis illa. Vade ergo in occursum eius, & dic ei, Recte ne agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ respondit, Recte. Cunque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius, & accessit Giezi vt amoueret eam. Et ait homo Dei. Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & dominus celauit a me, & non indicauit mihi. Quæ dixit illi, Nunquid petiui filium a domino meo? nunquid non dixi tibi, Ne illudas me? Et ille ait ad Giezi, Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi, & pones baculum meum super faciem pueri. Porro mater pueri ait, Viuit dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & sequutus est eam. Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri: & non erat vox, neque sensus: reuersusque est in occursum eius, & nuntiauit ei, dicens, Non surrexit puer.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

c. 12. **E**T dicebat eis in doctrina sua, Cauete a sribis qui volunt in stolis ambulare & salutari in foro, & in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis, qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium. Et sedens Iesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. Cum venisset autem vidua vna pauper, misit duo

minuta, quod est quadrans. Et conuocans discipulos suos, ait illis, Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum. Et cum egredetur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis, Magister, aspice quales lapides & quales structuræ? Et respondens Iesus, ait illi, Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Et cum sederet in monte oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus, & Ioannes & Andreas, Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari? Et respondens Iesus, cœpit dicere illis, Videte ne quis vos seducat. multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & multos seducent. Cum audieritis autem bella & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: sed nondum finis. Exurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum: & erunt terræmotus per loca & fames. Initium dolorum, hæc: videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in consilijs, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides & reges stabitis propter me in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari euangelium. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. non enim vos estis loquentes sed spiritus sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio

c. 13.

omnibus, propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 18. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis. *Et rel.*

Homilia sancti Augustini episc.

Narravit dominus similitudinem valde terribilem quia simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui posuit rationem cum seruis suis, in quibus inuenit debitorem decem millium talentorum. Et cum iussisset vt omnia quæ habebat & omnis eius familia & ipse venderetur, & debitum solueretur, aduolutus genibus domini sui, rogabat eum dilationem, meruit remissionem. Misertus est enim dominus eius sicut audiuimus: & omne debitum dimisit illi. At ille debito liber, sed iniquitatis seruus, postquam egressus est a facie domini sui inuenit etiam ipse debitorem suum, qui debebat non decem millia talentorum, quantum ipsius debitum fuit, sed centum denarios? cœpit suffocare eum, trahere, & dicere, redde quod debes, At ille rogabat conseruum sicut ipse rogauerat dominum. Sed non talem ipse inuenit conseruum, qualem ille dominum. Non solum remittere illi debitum noluit, sed nec dilationem dedit. Contortum rapiebat ad solutionem, iam debito dominico liber. Displicuit conseruis: & renuntiauerunt domino suo quod actum esset. *Te deum. Oratio.*

Familiam tuam quæsumus domine continua pietate custodi: vt a cunctis aduersitatibus te protegente, sit libera, & in bonis actibus tuo nomini sit deuota. Per.

☞ *Feria. ij. ex. li. iijj. Reg. Lectio. j.*

Ingressus est ergo Eliseus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius: ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad dominum. Et ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. At ille reuersus, deambulauit in domo semel huc atque illuc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitauit puer septies, aperuitque oculos. Et ille vocauit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait, Tolle filium tuum. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram: tulitque filium suum, & egressa est, & Eliseus reuersus est in Galgala.] Erat autem fames in terra, & filij prophetarum habitabant coram eo, dixitque vni de pueris: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs prophetarum. Et egressus est vnus in agrum vt colligeret herbas agrestes: inuenitque quasi vitem syluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo socijs, vt comederent: cunque gustassent de coctione, exclamauerunt dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere, At ille, Afferte, inquit, farinam. Cunque tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ, vt comedant. Et non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos & frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: Da populo, vt comedat. Responditque ei minister eius: Quantum

c.4.e

F

est hoc, vt apponam centum viris? rursum ille ait, Da populo, vt comedat: hæc enim dicit dominus: Comedent, & supererit. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, & superfuit iuxta verbum domini.

Secundum Marcum. Lectio. ij.

c. 13. **C**Vm autem videritis abominationem desolationis, stantem vbi non debet (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes, & qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat vt tollat quid de domo sua, & qui in agro erit, non reuertatur retro tollere vestimentum suum. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate vero vt hyeme non fiant. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus vsque nunc, neque fient. Et nisi breuiasset dominus dies, non fuisset salua omnis caro. Sed propter electos quos elegit, breuiauit dies. Et tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic: ne credideritis. Exurgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. Vos ergo videte, ecce prædixi vobis omnia. Sed in illis diebus post tribulationem illam Sol contenebrabitur: & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cœli erunt decedentes, & virtutes quæ in cœlis sunt mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria. Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ vsque ad summum cœli. A ficu autem discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas. Sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in

proximo sit in ostijs. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia illa fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. De die autem illo vel hora, nemo scit neque angeli in cœlo. neque filius, nisi pater. Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam: & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit vt vigilet. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an gallicantu, an mane) ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.

¶ Feria. iij. ex. iijj. Regum. Lectio. j.

NAaman autem princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, & honoratus: per illum enim dedit dominus salutem Syriæ: erat autem vir fortis & diues, sed leprosus. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de terra Israel puellam paruulam, quæ erat in obsequio vxoris Naaman, quæ ait ad dominam suam, Vtinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria: profecto curasset eum a lepra, quam habet. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, & nuntiauit ei, dicens: Sic & sic loquuta est puella de terra Israel. Dixitque ei rex Syriæ, vade, & mittam literas ad regem Israel. Qui cum profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum: detulit literas ad regem Israel, in hæc verba: Cum acceperis epistolam hanc: scito quod miserim ad te Naaman seruum meum, vt cures eum a lepra sua. Cunque legis-

c.5.a

set rex Israel literas, scidit vestimenta sua, & ait: Nunquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare: quia iste misit ad me, vt curem hominem a lepra sua? animaduertite, & videte quod occasiones quærat aduersum me. Quod cum audisset Eliseus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat esse prophetam in Israel.

Epistola beati Pau. ad Col. Lectio. ij.

ca. 1. **P**Aulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater: iis qui sunt Colossis sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu, gratia vobis, & pax a Deo patre nostro: Gratias agimus Deo & patri domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo veritatis euangelij: quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis ex ea die qua audistis, & cognouistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu. Ideo **B** & nos ex qua die audiuius, † non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali: vt ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate: cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos

nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum,] qui est imago Dei inuisibilis, **C** primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: & ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.

¶ Feria. iiij. ex. iiij. Regum. Lectio. j.

VENIT ergo Naaman cum equis & **c.5.b** curribus, & stetit ad ostium domus Elisei: misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens: Vade & lauare septies in Iordane: & recipiet sanitatem caro tua atque mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder? Cum ergo vertisset se, & abiret indignans, accesserunt ad eum serui sui & locuti sunt ei: Pater, si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis? Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei: & restituta est caro eius, sicut caro pueri

paruuli, & mundatus est. Reuersusque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo venit, & stetit coram eo, & ait, Vere scio quod non sit Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel.] Obsecro itaque vt accipias benedictionem a seruo tuo. At ille respondit, Viuit dominus ante quem sto, quia non accipiam. Cunque vim faceret, penitus, non acquieuit. Dixitque Naaman, Vt vis: sed obsecro concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum aut victimam dijs alienis, nisi domino. Hoc autem solum est de quo depreceris dominum pro seruo tuo, Quando ingredietur dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi dominus seruo tuo pro hac re. Qui dixit ei, Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore.

Ex epistola beati Pau. ad Col. L. ij.

ca. 1. **E**T vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu, in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso: si tamen permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles a spe euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister: qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionem Christi, in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia. Cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei quæ data est mihi in vobis vt impleam verbum Dei, mysterium quod absconditum fuit a seculis & generationibus,

nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro, certo secundo operationem eius quam operatur in me in virtute. Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis & pro iis qui sunt Laodicæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne: vt consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus in agnitionem mysterij Dei, & patris & Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum: sed spiritu vobiscum sum, gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius quæ in Christo est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis Iesum Christum dominum, in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & confirmati fide sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.

¶ Feria. v. ex. iij. Regum. Lectio. j.

ca. 5. **D**ixitque Giezi puer viri Dei, Pepercit dominus meus Naaman Siro isti, vt non acciperet ab eo quæ attulit: viuit dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid. Et secutus est Giezi post tergum Naaman: quem cum vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum eius, & ait, Rectene sunt omnia? Et ille ait, Recte: dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim

ex filijs prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Dixitque Naaman, Melius est vt accipias duo talenta. Et coegit eum, ligauitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui & portauerunt coram eo. Cunque venisset iam vesperi, tulit de manu eorum, & reposuit in domo, dimisitque viros, & abierunt: Ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Eliseus, Vnde venis Giezi? Qui respondit, Non iuit seruus tuus quoquam. At ille ait, Nonne cor meum in præsentem erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

Ex epistola beati Pau. ad Col. L. ij.

ca. 2. **V**idete ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam: secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis: in quo & circumcisi estis circumcisione non manufacta in exolatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum a mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti: quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit

de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Nemo vos seducat volens: in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis? quæ sunt omnia in interitu ipso vsu, secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

¶ Feria. vj. ex. iijj. Regum. Lectio. j.

Dixerunt autem filij prophetarum ad Eliseum, Ecce, locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis. Eamus vsque ad Iordanem, & tollant singuli de sylua materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit, Ite. Et ait vnus ex illis, Veni ergo & tu cum seruis tuis. Respondit, Ego veniam. Et abiit cum eis. Cunque venissent ad Iordanem, cædebant ligna. Accidit autem, vt cum vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamauitque ille, & ait, Heu heu heu domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei, Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum: præcidit ergo lignum, & misit illuc:

ca. 6.

natauitque ferrum, & ait, Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniiit cum seruis suis, dicens: In loco illo & illo ponamus insidias. Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens: Caue ne transeas in locum illum: quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi non semel neque bis. Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re, & conuocatis seruis suis ait, Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel? Dixitque vnus seruorum eius, Nequaquam domine mi rex, sed Eliseus propheta qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcunque locutus fueris in conclaui tuo. Dixitque eis, Ite & videte vbi sit, vt mittam & capiam eum. Anuntiaueruntque ei dicentes, Ecce in Dothan. Misit ergo illuc equos & currus, & robur exercitus: qui cum venissent nocte, circumdederunt ciuitatem.

Ex epistola Pauli ad Coloss. Lectio. ij.

ca 3. **I**gitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite: non quæ super terram. Mortui enim estis: & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus ambulastis aliquando, cum viueritis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem

de ore vestro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit illum: vbi non est Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scythæ, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus. † Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis siquis aduersus aliquem habet querelam, sicut & dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes & commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere: omnia in nomine domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum.] Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in domino. Viri, diligite vxores: & nolite amari esse ad illas. Filij, obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in domino. Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros: vt non pusillo animo fiant. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut domino & non hominibus: scientes quod a domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite.

qui enim iniuriam facit, recipiet id quod inique gessit, & non est personarum acceptio apud Deum.

☩ **Sabbato, ex. iiij. Regum. Lectio. j.**

ca. 6. **C**onsurgens autem diluculo minister vir Dei, egressus est: vidit exercitum in circumitu ciuitatis, & equos & currus, nuntiauitque ei, dicens, Heu heu heu domine mi, quid faciemus? At ille respondit, Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Cunque orasset Eliseus, ait, domine, aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circumitu Elisei. Hostes vero descenderunt ad eum: porro Eliseus orauit ad dominum, dicens: Percute obsecro gentem hanc cæcitate. Percussitque eos dominus, ne viderent, iuxta verbum Elisei. Dixit autem ad eos Eliseus, Non est hæc via, neque ista est ciuitas: sequimini me, & ostendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam: cunque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus, domine aperi oculos istorum, vt videant. Aperuitque dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ. Dixitque rex Israel ad Eliseum cum vidisset eos, Nunquid percutiam eos pater mi? At ille ait, Non percuties: neque enim cepisti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias: sed pone panem & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad dominum suum. Appositaque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimisit eos, abieruntque ad dominum suum. Et vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel.

Ex epistola Pauli ad Colos. Lectio. ij.

ca. 4. **D**omini, quod iustum est & æquum, seruis præstate: sci-

entes quod & vos dominum habetis in cælo. Orationi instate: vigilantes in ea in gratiarum actione. orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) vt manifestem illud ita vt oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum vt cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra cum Onesimo, charissimo & fideli fratre qui ex vobis est: qui omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis. Salutatur Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ (de quo accepistis mandata. Si venerit ad vos, suscipite illum) & Iesus qui dicitur iustus: qui sunt ex circumcisione, hi soli sunt adiutores mei in regno Dei: qui mihi fuerunt solatio. Salutatur Epaphras, qui ex vobis est, seruus Christi Iesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & qui Hieropoli. Salutatur Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius est ecclesiam. Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt & in Laodicensium ecclesia legatur: & eam quæ Laodicensium est, vt vobis legatur. Et dicite Archippo, Vide ministerium quod accepisti in

domino, vt illud impleas. Salutatio: mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum, Amen.

¶ Dominica. xxij. post Pentecosten, ex quarto Regum. Lectio prima.

ca. 6.

Actum est autem post hæc congregauit Benadad rex Syriæ vniuersum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam. Factaque est fames magna in Samaria: & tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoreis columbarum, quinque argenteis. Cunque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamauit ad eum, dicens: Salua me domine mi rex. Qui ait, Non: te saluet dominus. vnde te possum saluare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam rex, Quid tibi vis? Quæ respondit, Mulier ista dixit mihi, Da filium tuum, vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum & comedimus. Dixique ei die altera, Da filium tuum vt comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Veditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat rex ad carnem intrinsecus. Et ait rex, Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisei filij Saphat super ipsum hodie. Eliseus autem sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: & antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes. Nunquid scitis quod miserit filius homicidæ huc, vt præcidatur caput meum? videte ergo cum venerit nuntius, claudite ostium, & non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini eius post eum est. Adhuc

illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum, & ait, Ecce tantum malum a domino est: quid amplius expectabo a domino?

Epistola Pauli ad Timo. ij. Lectio. ij.

PAulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Iesu: Timotheo charissimo filio, gratia & misericordia, & pax a Deo patre nostro, & Christo Iesu domino nostro. Gratias ago Deo meo, cui seruo a progenitoribus meis in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum autem quod & in te. Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium domini nostri, neque me vinctum eius: sed collabora euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per euangelium, in quo positus sum ego prædicator & apostolus, & magister gentium. Ob quam causam etiam hæc patior: sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum

ca. 1.

quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Scis enim hoc, quod auersi sunt a me omnes qui in Asia sunt: ex quibus est Phygelus & Hermogenes. Det misericordiam dominus Onesiphori domui: quia sæpe me refrigerauit & catenam meam non erubuit: sed cum Romam venisset, solícite me quæsiuit, & inuenit. Det illi dominus inuenire misericordiam a Deo in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 22. **I**N illo tempore: Abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent Iesum in sermone.

Et rel. hom. sancti Ioannis episc.

Omnis malitia confunditur aliquoties ratione veritatis: corrigitur autem nunquam, maxime eorum qui proposito malo & non ignorantia peccant. Ecce enim sacerdotes postquam terere dominum non potuerunt dicentes: in qua potestate hæc facis: postquam parabolarum ratione constricti, suo iudicio ipsi se reos fecerunt dicentes, Malos male perdet: nemine contra eos dicente testimonium nisi conscientia sola. Nunquid non compunxit eos timor peccati? nunquid non compescuit eos vel libertatis consideratio? Sed quid? Abierunt, & consilium acceperunt vt eum caperent in sermone. Quemadmodum si aliquis claudere voluerit currentis aquæ meatum: si vna ex parte clausa fuerit aquæ violentia, aliunde sibi semitam rumpit. Sic & eorum malignitas ex vna parte confusa alium sibi aditum adinuenit, Sicut enim non potest fieri, vt ligna mittendo extinguas

ignem: sic fieri non potest, vt rationem reddendo places hominem malum. Et sicut ignis quanto magis ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus, quanto magis veritatem audierit, tanto amplius in malitiam excitatur. Abierunt ergo & consilium acceperunt. Quo abierunt? Ad Herodianos. Nam ex eo quod non dicit consiliati sunt, sed consilium acceperunt: ex eo quod pariter cum Herodianis venerunt, apparet quod cum illis huiusmodi circunventionis consilium tractauerunt. **Te deum. Oratio.**

DEus refugium nostrum, & virtus, adesto piis ecclesiæ tuæ precibus author ipse pietatis: & præsta, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per dominum. no.

¶ Feria. ij. ex. iij. Regum. Lectio. j.

Dixit autem Eliseus, Audite verbum domini. Hæc dicit dominus, In tempore hoc cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno in porta Samariæ. Respondens vnus de ducibus, super cuius manum rex incumbabat, homini Dei ait, Si dominus fecerit etiam cataractas in cælo, nunquid poterit esse quod loqueris? Qui ait, Videbis oculis tuis, & inde non comedes. Quatuor ergo viri erant leprosi iuxta introitum portæ: qui dixerunt adinuicem, Quid hic esse volumus donec moriamur? Siue ingredi voluerimus ciuitatem, fame moriemur: siue manserimus hic, moriendum nobis est: venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ: si pepercerint nobis, viuemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur. Surrexerunt ergo vesperi vt venirent ad castra Syriæ. Cunque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repperunt. Siquidem dominus sonitum audiri fe-

ca. 7.

cerat in castris Syriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi: dixeruntque adinuicem, Ecce mercede conduxit aduersum nos rex Israel reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt super nos. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & equos, & asinos in castris, fugeruntque, animas tantum suas saluare cupientes. Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum ingressi sunt vnum tabernaculum, & comederunt & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & vestes, & abierunt, & absconderunt, & rursus reuersi sunt ad aliud tabernaculum, & inde similiter auferentes absconderunt. Dixeruntque adinuicem, Non recte facimus: hæc enim dies boni nuntij est. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare vsque mane, sceleris arguemur: venite, eamus & nuntiemus in aula regis.

Ex epistola secunda ad Timo. L. ij.

ca. 2. **T**V ergo fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus: vt ei placeat cui se probauit. Nam & qui certat in agone: non coronabitur nisi legitime certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige quæ dico: dabit enim tibi dominus in omnibus intellectum. Memor esto dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine Dauid secundum euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos: vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu,

cum gloria cœlesti. Fidelis sermo. Nam si commortui sumus: & conuiuemus. si sustinebimus: & conregnabimus. si negauerimus: & ille negabit nos si non credimus: ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Hæc commune: testificans coram domino. Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile est: nisi ad subuersionem audientium. Solicite autem cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem recte tractantem verbum veritatis. Prophana autem & vaniloquia deuota: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philetus: qui a veritate exciderunt: dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Cognouit dominus qui sunt sui, & discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen domini. In magna autem domo, non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & vtile domino, ad omne opus bonum paratum. Iuuenilia autem desideria fuge. sectare vero iustitiam, fidem, spem, & charitatem, & pacem cum iis qui inuocant dominum de corde puro. Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuota: sciens quia generant lites. Seruum autem domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati: nequando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo cap-

tiui tenentur ad ipsius voluntatem.

¶ Feria. iij. ex. iij. Regum. Lectio. j.

ca. 7.

CVnque venissent ad portam ciuitatis, narrauerunt eis, dicentes, Iuimus ad castra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem nisi equos, & asinos alligatos, & fixa tentoria. Ierunt ergo portarij, & nuntiauerunt in palatio regis intrinsecus. Qui sur-rexit nocte, & ait ad seruos suos, Dico vobis quid fecerint nobis Syri, Sciunt quia fame laboramus, & idcirco egressi sunt de castris, & latitant in agris, dicentes Cum egressi fuerint de ciuitate, capiemus eos viuos, & tunc ciuitatem ingredi poterimus. Respondit autem vnus seruorum eius, Tollamus quinque equos, qui remanserunt in vrbe (quia ipsi tantum sunt in vniuersa multitudine Israel, alij enim consumpti sunt) & mittentes, explorare poterimus. Adduxerunt ergo duos equos: misitque rex in castra Syrorum, dicens, Ite, & videte. Qui abierunt post eos vsque ad Iordanem: ecce autem omnis via plena erat vestibus, & vasis, quæ proiecerant Syri cum turbarentur: reuersique nuntij indicauerunt regi. Et egressus populus diripuit castra Syriæ: factusque est modius similæ statere vno, & duo modij hordei statere vno iuxta verbum domini. Porro rex duces illum, in cuius manu incumbebat, constituit ad portam: quem conculcauit turba in introitu portæ, & mortuus est, iuxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum. Factumque est secundum sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait, Duo modij hordei statere vno erunt: & modius similæ statere vno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ: quando responderat dux ille viro Dei, & dixerat, Etiam si dominus fecerit catarac-

tas in cœlo, nunquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei, Videbis oculis tuis, & inde non comedes. Euenit ergo ei sicut prædictum erat, & conculcauit eum populus in porta, & mortuus est.

Ex epistola Pauli. ij. ad Timo. L. ij.

ca. 3.

HOc autem scito, quia in nouis diebus instabunt tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminales, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuota, ex his enim sunt qui penetrant domos: & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed vltra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me dominus. Et omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Mali autem homines & seductores proficient in peius: errantes, & in errorem mittentes. Tu vero permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens a quo didiceris, & quod ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem

quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.

¶ *Feria. iiij. ex. Daniele. Lectio. j.*

ca. 2. **I**N anno secundo regni Nabuchodonosor vidit Nabuchodonosor somnium: & conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo. Præcepit autem rex vt conuocarentur arioni, & magi, & malefici, & Chaldæi: vt indicarent regi somnia sua. Qui cum venissent steterunt coram rege: & dixit ad eos rex, Vidi somnium: & mente confusus ignoro quid viderim. Responderuntque Chaldæi regi Syriace, rex in sempiternum viue: dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus. Et respondens Rex ait Chaldæis, Sermo recessit a me: nisi indicaueritis mihi somnium & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur. Si autem somnium & coniecturam eius narraueritis, præmia & dona, & honorem multum accipietis a me. Somnium igitur, & interpretationem eius indicate mihi. Responderunt secundo atque dixerunt, Rex somnium dicat seruis suis, & interpretationem illius indicabimus. Respondit rex, & ait, Certe noui quod tempus redimitis, scientes quod recesserit a me sermo. Si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem & deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciam quod interpretationem quoque eius veram loquamini. Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt, Non est homo

super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus & potens, verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni arione, & mago, & Chaldæo. Sermo enim quem tu quæris, rex, grauis est: nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis, exceptis diis, quorum non est cum hominibus conuersatio. Quo audito, rex in furore & in ira magna præcepit vt perirent omnes sapientes Babylonis.

Ex epistola Pauli. ij. ad Timo. L. ij.

T†Estificor coram Deo & Iesu Christo qui iudicaturus est viuos & mortuos per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, instas, opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni potentia & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor: & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauui. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.] Festina ad me venire cito. Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum, & abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerio. Tychicum autem misi Ephesum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime

c.4.a

B

autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi dominus secundum opera eius: quem & tu deuita, valde enim restitit verbis nostris. In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus sum de ore leonis. Liberauit me dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cœleste: cui gloria in secula seculorum. Amen. Saluta Priscillam & Aquilam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus & Pudens & Linus & Claudia, & fratres omnes. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

☞ *Feria. v. ex. Daniele. Lectio. j.*

ca. 2. **E**T egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel & socij eius, vt perirent. Tunc Daniel requisit de lege atque sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis. Et interrogauit eum qui a rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogauit regem vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. Et ingressus est domum suam: Ananiæque & Misaeli, & Azariæ sociis suis indicauit negocium, vt quærerent misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto, & non perirent Daniel & socij eius, cum cæteris sapientibus Babylonis. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est: &

benedixit Daniel Deum cœli, & loquutus ait, Sit nomen domini benedictum a seculo & vsque in seculum: quia sapientia & fortitudo eius sunt. Et ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse reuelat profunda & abscondita: & nouit in tenebris constituta: & lux cum eo est. Tibi Deus patrum meorum confiteor, teque laudo: qui sapientiam & fortitudinem dedisti mihi: & nunc ostendisti mihi quæ rogauimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch quem constituerat rex vt perderet sapientes Babylonis, sic ei loquutus est: Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inueni hominem de filiis transmigrationis Iudæ, qui solutionem regi annuntiet.

Epistola beati Pauli ad Titum. L. ij.

PAulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus ante tempora secularia: manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione quæ credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei: Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia & pax a Deo patre & Christo Iesu Salvatore nostro. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, vnus vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet

ca. 1.

enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem: amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & seductores, maxime qui de circumcissione sunt: quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestię, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium se a veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur se nosse Deum: factis autem negant, cum sint abominati & increduli, & ad omne opus bonum reprobi.

☞ **Feria. vj. ex. Daniele. Lectio. j.**

ca. 2. **R**espondit rex: & dixit Danieli cuius nomen erat Baltassar, Putasne vere, potes mihi indicare somnium quod vidi, & interpretationem eius? Et respondens Daniel coram rege, ait, Mysterium quod rex interrogat sapientes, magi, & arioli, & aruspices nequeunt indicare regi: sed est Deus in cœlo reuelans mysteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo, huiusmodi sunt: Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo quid esset

futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. Mihi quoque non in sapientia quæ est in me plus quam in cunctis viuentibus sacramentum hoc reuelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires. Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius statuæ caput ex auro optimo erat: pectus autem & brachia, de argento: porro venter & femora ex ære: tibiæ autem, ferreæ. Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ aræ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis: lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus: & impleuit vniuersam terram: hoc est somnium. Interpretationem quoque eius dicemus coram te, rex.

Ex epistola ad Titum. Lectio. ij.

TV autem loquere quæ decent sanam doctrinam. Senes, ut sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes: bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Iuuenes similiter hortare ut sobrij sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integri

tate, in grauitate: verbum sanum, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes: non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in

B omnibus. † Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

C Hæc loquere & exhortare:] & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

☩ Sabbato, ex. Daniele. Lectio. j.

ca. 2. **T**V rex regum es: & Deus cœli: regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi: & omnia in quibus habitant filij hominum & bestię agri. volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditone tua vniuersa constituit, tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ: & regnum quartum erit velut ferreum. Quomodo ferrum comminuit & domat omnia: sic comminuet & conteret omnia hæc. Porro quia vidisti pedum & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte con-

tritum. Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testæ. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi, quæ ventura sunt postea: & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius. Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Daniele adorauit: & hostias, & incensum præcepit vt sacrificarent ei. Loquens ergo rex, ait Danieli: Vere Deus vester, Deus deorum est, & dominus regum, & reuelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.

Ex epistola beati Pauli ad Tit. L. ij.

ADmone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos: omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Erasmus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruietes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem † benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salu-

c.3.a

B

atorem nostrum: vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.] Fidelis sermo est: & de his volo te confirmare: vt curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona & vtilia hominibus. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita. Sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. Cum misero ad te Arteman, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolin: ibi enim statui hyemare. Zenam legisperitum & Apollo solícite præmitte, vt nihil illis desit. Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios: vt non sint infructuosi. Salutant te, qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

☩ Dominica. xxij. post Pentecosten, Liber Tobiaë. Lectio prima.

ca. 1. **S**obias ex tribu & ciuitate Nephthalim, quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad occidentem in sinistro habens ciuitatem Sephet: cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, ita vt omnia quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impartiret. Cunque esset iunior omnibus ex tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium: & pergebat in Ierusalem ad templum domini, & ibi adorabat

dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens, ita vt in tertio anno proselitibus & aduenis ministraret omnem decimationem. Hæc & his similia secundum legem Dei puerulus obseruabat. Cum vero factus fuisset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Igitur dum per captiuitatem deuenisset cum vxore sua & filio in ciuitatem Niniuem, cum omni tribu sua. Et cum omnes ederent ex cibus Gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. Et quoniam memor fuit domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis: & dedit illi potestatem quocunque vellet ire, habens libertatem quæcunque facere voluisset. Pergebat ergo per omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis. Cum autem venisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti, & cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.

Epistola prima Petri apost. Lectio. ij.

Petrus † apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis Ponti, & Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, secundum præscientiam Dei patris, in sanctificationem spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi: gratia vobis, & pax multiplicetur. Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mor-

c.1.a

tuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem conseruatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem, in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo. In quo exultabis, modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus: vt probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam & honorem in reuelatione Iesu Christi.] quem cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum, de qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi: prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias: quibus reuelatum est, quod non sibimetipsis, nobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui euangelizauerunt vobis. Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

ca. 9. **I**N illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps vnus accessit & adorauit eum dicens: domine filia mea modo defuncta est.

Et rel. Hom. sancti Hiero. presby.

Octauum signum est, in quo princeps suscitari postulat filiam suam, nolens de mysterio veræ Resurrectionis excludi. Sed subintrauit mulier sanguine fluens, & octauo sanatur loco: vt principis filia de hoc exclusa numero veniat ad nonum: iuxta illud quod in psalmo dicitur, Æthiopia præueniet manus eius Deo. Et, Cum intrauerit

plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus erit. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. In euangelio secundum Lucam scribitur quod principis filia duodecim annos haberet ætatis. Nota ergo quod eo tempore hæc mulier, id est, gentium populus cœperit ægrotare, quo genus Iudæorum crediderit. Nisi enim ex comparatione virtutum, vitium non ostenditur. Hæc autem mulier sanguine fluens, non in domo, non in vrbe accedit ad dominum: quia in itinere ambulante domino. Vt dum pergit ad aliam: alia curaretur: vnde dicunt & apostoli, Vobis quidem prius oportebat prædicari verbum Dei: sed quoniam vos iudicastis indignos salute, transgredimur ad gentes. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. **Te deum. Oratio.**

ABsolue quæsumus domine tuorum delicta populorum: & a peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per.

¶ Feria. ij. ex. Tobia. Lectio. j.

ca. 1. **P**ost multum vero temporis mortuo Salmanasar rege cum regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israel exosos haberet in conspectu suo, Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatque vnique prout poterat de facultatibus suis. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. Denique cum reuersus esset rex Sennacherib fugiens a Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex filijs Israel, Tobias

sepeliebat corpora eorum. At vbi nuntiatum est regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius. Tobias vero cum filio suo, & cum vxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. Post dies vero quadragintaquinque occiderunt regem filij ipsius, & reuersus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.

ca. 2. Post hæc vero cum esset dies festus domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiaë, dixit filio suo, Vade & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, vt epulentur nobiscum. Cunque abiisset, reuersus nuntiauit ei vnum ex filijs Israel iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus: tollensque illud portauit ad domum suam occulte, vt dum sol occubisset, caute sepeliret eum. Cunque occultasset corpus, manducauit panem cum luctu & tremore, memorans illum sermonem, quem dixit dominus per Amos prophetam, Dies festi vestri conuertentur in lamentationem, & luctum. Cum vero sol occubisset, abiit & sepeliuit eum.

Ex epistola prima Petri apost. L. ij.

ca. 1. **P**ropter quod, succincti lumbos mentis vestraë, sobrij, perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam in reuelatione Iesu Christi quasi filij obedientiaë, non configurati prioribus ignorantiaë vestraë desiderijs: sed secundum eum qui vocauit vos, sanctum, vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis: quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et si patrem inuocatis eum qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus: in timore, incolatus vestri tempore conuersamini. Scientes quod non corruptibilibus auro

vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos qui per ipsum fideles estis in Deo qui suscitauit eum a mortuis, & dedit ei gloriam: vt fides vestra & spes esset in Deo. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentius: renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui & permanentis in æternum: quia omnis caro vt fœnum: & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum: & flos eius decidit. Verbum autem domini manet in æternum: hoc est autem verbum quod euangelizatum est in vobis.

☩ Feria. iij. ex. Tobia. Lectio. j.

ca. 2. **A**Rguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes, Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quam regem rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & medijs noctibus sepeliebat ea. Contigit autem, vt quadam die fatigatus a sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem: & obdormisset: & ex nido hirundinum dormienti illi, calida stercora inciderent super oculos eius, fieretque cæcus. Hanc autem tentationem ideo permisit dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiaë eius, sicut & sancti Iob. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatatis euenerit ei: sed immobilis in Dei timore permansit, agens

gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Nam sicut beato Iob insultabant reges: ita isti, parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes, vbi est spes tua pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas? Tobias vero increpabat eos, dicens, Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Anna vero vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie: & de labore manuum suarum victum, quem consequi potuisset deferebat. Vnde factum est, vt hœdum caprarum accipiens detulisset domum. Cuius cum vocem balantis vir eius audisset, dixit, Videte ne forte furtiuus sit: reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Ad hæc vxor eius irata, respondit: Manifeste vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modo apparuerunt. Atque his & aliis huiusmodi verbis exprobrabat ei.

Ex epistola prima Petri apost. L. ij.

c.2.a **D**Eponentes † igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles & sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis in salutem. Si tamen gustastis quoniam dulcis est dominus. Ad quem accedentes, lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viuī superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Propter quod continet scriptura. Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor cre-

dentibus: non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus Dei: nunc autem populus Dei, qui non consequuti misericordiam: nunc autem misericordiam consequuti.

☩ Feria. iiij. ex. Tobia. Lectio. j.

TVnc Tobias ingemuit & cœpit orare cum lachrymis, dicens: Iustus es domine, & omnia iudicia tua vera sunt: & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas, & iudicium. Et nunc domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Quoniam non obediimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus in quibus dispersisti nos. Et nunc domine magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua: & non ambulauimus synceriter coram te. Et nunc domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedi enim mihi mori magis quam viuere. Eadem itaque die contigit, vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipsa audiret improperium ab vna ex ancillis patris sui, quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox vt ingressi fuissent ad eam. Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens, Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, inter-

ca. 3.

fetrrix virorum tuorum. Nunquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducabit, neque bibit: sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improprio liberaret eum.

Ex epistola prima Petri apost. L. ij.

c.2.b **C**harissimi, † obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter gentes habentes bonam: vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter dominum: siue regi, quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei, vt beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Omnes honorate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate. Serui, subditi estote in omni timore dominis. non tantum bonis & modestis: sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet qui tristitias, patiens iniuste. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum.] In hoc enim vocati estis: quia & † Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non

maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanatis estis. Eratis enim sicut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.]

☩ Feria. v. ex. Tobia. Lectio. j.

FActum est autem die tertia dum compleret orationem, benedicens dominum, dixit, Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum: qui cum iratus fueris misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his qui inuocant te. Ad te domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo. Peto domine, vt de vinculo improprij huius absoluas me aut certe desuper terram eripias me. Tu scis, Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruauim animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alij conseruasti me. Non est enim in hominis potestate consilium tuum. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum, exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in secula. In illo tempore exauditæ

ca. 3.

sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: & missus est angelus domini sanctus Raphael, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu domini recitatæ.

Ex epistola. j. beati Petri apost. L. ij.

ca. 3. **S**imiliter & mulieres subditæ sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierem conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est, cordis homo in incorruptibilitate, quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subiectæ proprijs viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius estis filiæ, beneficientes, & non pertimentes vllam perturbationem. Viri similiter, cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediuntur orationes vestræ. In fine autem **B** omnes vnanimis compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed e contrario, benedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: quia oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem domini super facientes mala. Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueri-

tis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini: dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris,] parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, sed cum modestia & timore conscientiam habentes bonam: vt in eo quod detrahunt de vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. Melius est enim beneficientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes. Quia & † Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. In quo & his qui in carcere erant spiritibus, veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ saluos fecit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei,] deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus & virtutibus.

¶ Feria. vj. ex. Tobia. Lectio. j.

Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei, Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ, omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa

ca. 4.

sit propter te in vtero suo. Cum autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec a te auertatur facies domini. Quomodo potueris, ita esto misericos. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione: & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede: & de vestimentis tuis nudos tege. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus. Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.

Ex epistola. j. beati Petri apost. L. ij.

ca. 4. **C**Hristo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini:

quia qui passus est in carne, desiit a peccatis: vt iam non desiderijs hominum, sed voluntate Dei quod reliquum est in carne viuat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, comessionibus, potationibus, ebrietatibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes, qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est: vt iudicentur quidem secundum homines in carne, uiuant autem secundum Deum in spiritu. Omnium autem finis appropinquauit. † Estote itaque prudentes, **B** & vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem, sine murmuratione. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes: sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur: tanquam sermones Dei. Si quis ministrat: tanquam ex virtute, quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum:] cui **C** est gloria & imperium in secula seculorum, amen. Charissimi, nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus, gaudete vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiri-

tus: super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiat, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus: non erubescat. Glorificet autem Deum in isto nomine: quoniam tempus est vt incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum qui non credunt Dei euangelio? Et si iustus quidem vix saluabitur: impius & peccator vbi parebunt? Itaque & hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei: fidei creatori commendent animas suas in benefactis.

☞ **Sabbato, ex. Tobia. Lectio. j.**

ca. 4 **I**ndico etiam tibi fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo: & ideo perquire quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum. Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. Tunc respondit Tobias patri suo, & dixit, Omnia quaecunque præcepisti mihi, faciam pater. Quomodo autem pecuniam hanc requiram ignoro. Ille me nescit: & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui. Tunc pater suus respondit illi, & dixit, Chirographum quidem illius apud me habeo: quod dum illi ostenderis, statim restituet. Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua: dum adhuc viuo, recipias eam. Tunc egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem, præcinctum. & quasi paratum ad ambulan-

dum. Et ignorans quod angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit: Vnde te habemus bone iuuenis? At ille respondit, Ex filijs Israel. Et Tobias dixit ei, Nosti viam quæ ducit in regionem Medorum? Cui respondit, Noui, & omnia itinera eius frequenter ambulauit, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatani, cui Tobias ait, Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo.

Ex epistola prima Petri apost. L. ij.

Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum qui & eius quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator: Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate. Quia Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. † Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem vestram proicietes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos: ipse perficiet, confirmabit solidabitque. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.] Per Sylu-

ca. 5.

B

anum fidelem fratrem vobis, vt arbitrator, breuiter scripsi, obsecrans & contestans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis. Salutatur vos ecclesia, quæ est in Babylone, collecta, & Marcus filius meus. Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus qui estis in Christo Iesu. Amen.

☩ Dominica. xxiiij. post Penteco.

Notandum quod hæc dominica est quinta vag. tamen ideo ponitur hic & non cum aliis vagantibus: quia fere semper legitur post Pentec. in hoc loco & rarissime ante septuagesimam, vt supra dictum fuit.

Liber Iudith. Lectio. j.

ca. 1.

Arphaxad itaque rex Medorum subiugauerat multas gentes imperio suo, & ipse ædificauit ciuitatem potentissimam, quam appellauit Ecbatani. Ex lapidibus quadratis & sectis fecit muros eius, in altitudinem cubitorum septuaginta, & in latitudinem cubitorum triginta: turres vero eius posuit in altitudinem cubitorum centum. Per quadrum vero earum latus vtrunque vicenorum pedum spatium tendebatur: posuitque portas eius in altitudinem turrium. Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui & in gloria quadrigarum suarum. Anno igitur duodecimo regni sui, Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Niniue ciuitate magna pugnavit contra Arphaxad: & obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphraten, & Tigrin, & Iadason in campo Erioch regis Elicorum. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor eius eleuatum est: & misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano: & ad gentes quæ sunt in Carmelo, & Cedar,

& inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon: & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem vsque ad Ierusalem, & omnem terram Iesse, quousque perueniatur ad montes Æthiopiæ. Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui omnes vno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abiecerunt. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex ad omnem terram illam, iurauit per thronum & regnum suum quod defenderet se de omnibus regionibus his.

Epist. secunda Petri apost. Lectio. ij.

Simon Petrus, seruus & apostolus Iesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri & saluatoris Iesu Christi, gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu domini nostri: quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ quæ ad vitam & pietatem, donata sunt, per cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent: non vacuos, nec sine fructu vos constituent in domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc: cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter fratres magis

satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciat. hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum domini & saluatoris nostri Iesu Christi. Propter quod incipiam vos semper commonere de his: & quidem scientes & confirmatos vos in præsentī veritate. Iustum autem arbitror quādiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & dominus noster Iesus Christus significauit mihi.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 24. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta stantem in loco sancto: qui legit intelligat.

Et rel. hom. sancti Hierony. presby.

Quando ad intelligentiam prouocamur, mysticum monstratur esse quod dictum est. Legimus autem in Daniele hoc modo: Et in dimidio hebdomadis, auferetur sacrificium meum & libamina: & in templo abominatio desolationum erit vsque ad consummationem temporis: & consummatio dabitur super solitudinem. De hoc & Apostolus loquitur, quod homo iniquitatis & aduersarius eleuandus sit contra omne quod dicitur Deus & colitur: ita vt audeat stare in templo Dei, & ostendere quod ipse sit Deus: cuius aduentus secundum operationem Satanæ destruet eos & ad solitudinem rediget qui se susceperint. Potest autem simpliciter aut de antichristo accipi: aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo: aut de Adriani equestri statua, quæ in ipso sancto sanctorum loco vsque in præsentem diem stetit.

Abominatio quoque secundum veterem scripturam idolum nuncupatur. Et iccirco additur desolationis: quod in desolato templo atque destructo idolum positum sit. *Te deum. Oratio.*

EXcita quæsumus domine tuorum fidelium voluntates: vt diuini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant. Per.

¶ *Feria. ij. ex. Iudith. Lectio. j.*

ANno tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vicesima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, vt defenderet se. Vocauitque omnes maiores natu, omnesque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui. Dixitque cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio. Quod dictum cum placuisset omnibus, vocauit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ, & dixit ei: Egredere aduersus omne regnum occidentis: & contra eos præcipue qui contempserunt imperium meum. Non parcat oculus tuus vlli regno, omnemque urbem munitam subiugabis mihi. Tunc Holofernes vocauit duces, & magistratus virtutis Assyriorum: & dinumerauit viros in expeditione, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, & equitum sagittarios duodecim millia. Omnemque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus sufficerent copiose: boum quoque armenta, gregesque ouium, quorum non erat numerus. Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit. Aurum vero & argentum, de domo regis assumpsit multum nimis.

Ex epistola secunda Petri apost. L. ij.

ca. 1. **D**abo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. † Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi a magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris, hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.]
 c.2.a Fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Deum negant: superducentes sibi celere perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias. Per quos via veritatis blasphemabitur: & in auaritia fictis verbis de vobis negociabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat: & perditio eorum non dormitat. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni deductos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari: & originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in

cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens: & iustum Lot oppressum, a nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat: habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.

¶ Feria. iij. Lib. Esther. Lectio. j.

ca. 1. **I**N diebus Assueri qui regnauit ab India vsque Æthiopiam super centum vigintiseptem prouincias: quando sedit in solio regni sui, Susan ciuitas regni eius exordium fuit. Tertio igitur anno imperij sui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris suis fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram se, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiae suæ multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. Cunque impleantur dies conuiuij, inuitauit omnem populum qui inuentus est in Susan a maximo vsque ad minimum: & iussit septem diebus conuiuium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu consitum erat. Et pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & charbasini, ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei super pauimentum, smaragdino, & pario stratum lapide dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat. Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum, quoque, vt magnificentia regia dignum erat abundans, & præcipuum ponebatur, nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum: sed sicut rex statuerat, præponens

mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet. Vasthi quoque regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi rex Assuerus manere consueuerat.

Ex epistola secunda Petri apost. L. ij.

ca. 2. **N**ouit dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos: magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes: sectas non metuunt introducere, blasphemantes: vbi angeli fortitudine & virtute cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium. Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes, diei delicias, coinquinationes & maculæ: delictiis affluentes, in conuiujs suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij: derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem vero habuit suæ vesaniæ, subiugale mutum animal, in hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatae: quibus caligo tenebrarum reseruatur. Superba enim vanitatis loquentes, pellicunt in desideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur: libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionem. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Si enim refugientes coin-

quinationes mundi in cognitione domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitum, &, Sus lota in volutabro luti.

¶ Feria. iiij. ex Esther. Lectio. j.

ca. 1. **I**Taque die septimo, cum rex esset hilarior, & post nimiam potationem, incaluisset mero, præcepit Maumam & Bazatha, & Harbona & Bagatha & Abgatha & Zethar & Carchas septem eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis, & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. Quæ renuit, & ad regis imperium: quod per eunuchos mandauerat, venire contempsit. Vnde iratus rex, & nimio furore succensus, interrogauit sapientes: qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac iura maiorum (erant autem primi, & proximi, Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis, & Mares, & Marsana, & Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant) cui sententiæ Vasthi regina subiaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, facere noluisset. Responditque Mamuchan audiente rege, atque principibus, Non solum regem læsit regina Vasthi, sed & omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis prouincijs regis Assueri. Egredietur enim sermo

reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros suos, & dicant, Rex Assuerus iussit vt regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit. Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Persarum atque Medorum paruipendent imperia maritorum, vnde regis iusta est indignatio. Si ergo tibi placet egrediatur edictum a facie tua, & scribatur iuxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, vt nequaquam vltra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illa, accipiat. Et hoc in omne (quod latissimum est) prouinciarum tuarum diuulgetur imperium, & cunctæ vxores tam maiorum quam minorum deferant maritis suis honorem.

Ex epistola secunda Petri apo. L. ij.

ca. 3. **H**Anc ecce vobis charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione, synceram mentem: vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum a sanctis prophetis, & Apostolorum vestrorum præceptorum domini & saluatoris: hoc primum scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, Vbi est promissio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius, & terra, de aqua & per aquam consistens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periiit. Cœli autem qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij perditionis impiorum hominum. Vnum vero hoc non lateat vos charissimi, quod vnus dies apud dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus. Non tardat dominus promissionem suam, sicut quidam existimant,

sed patienter agit propter vos: nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies domini vt fur: in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Nouos vero cœlos & nouam terram, & promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Propter quod, charissimi, hæc expectantes satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace: & domini nostri longanimitatem, salutem arbitramini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres præscientes, custodite ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate: crescite vero in gratia & in cognitione domini nostri & saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis. Amen.

☞ *Feria. v. ex lib. Iob. Lectio. j.*

VIr erat in terra Hus, nomine Iob: ca. 1. & erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. Natique sunt ei septem filij & tres filiæ. Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes ori-

entales. Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis. Cunque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus. Quadam autem die, cum venissent filij Dei & assisterent coram domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit dominus, Vnde venis? Qui respondens ait, Circumiui terram, & perambulau i eam. Dixitque dominus ad eum, Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? Cui respondens Satan, ait, Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam eius per circumitum? operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo dominus ad Satan, Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie domini.

Apoc. beati Ioan. apost. Lectio. ij.

ca. 1. **A** Pocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus, palam facere A seruis suis † quæ oportet fieri cito: & significauit, mittens per angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcunque vidit. Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius: & seruat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. Ioannes septem

ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis, & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & a Iesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo,] & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo, ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Amen. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ etiam. Amen. Ego sum α & ω , principium, & finis, dicit dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.

¶ Feria sexta, ex Iob. Lectio. j.

CVM autem quadam die filij & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Iob, qui diceret, Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio: & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi. Cunque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit, Ignis Dei cecidit e cœlo, & tactas oues puerosque consumpsit: & effugi ego solus vt nuntiarem tibi. Sed & illo adhuc loquente venit alius, & dixit. Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & fugi ego solus, vt nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille: & ecce alius intrauit, & dixit, Filijs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos & mortui sunt: & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi. Tunc surrexit Iob, & scidit

B

ca. 1.

vestimenta sua. & tonso capite corrumpens in terram, adorauit, & dixit, Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Ex Apocalypsi. Lectio secunda.

ca. 1. **E**Go Ioannes frater vester & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu, fui in insula quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu. Fui in spiritu in dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis, Quod vides scribe in libro: & mitte septem ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, & Smirnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphię, & Laodiceæ. Et conuersus sum, vt viderem vocem quæ loquebatur mecum. Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præinctum ad mamillas zona aurea. Caput autem eius & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis: & pedes eius similes aurichalco velut in camino ardenti. Et vox illius tanquam vox aquarum multarum: & habebat in dextera sua stellas septem. Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exhibit, & facies eius sicut sol lucet in virtute sua. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me: dicens, Noli timere: Ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo clauas mortis & inferni. Scribe

ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum, & candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.

¶ Sabbato, ex Iob. Lectio. j.

FActum est autem, cum quadam die venissent filij Dei, & starent coram domino, venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu eius, vt diceret dominus ad Satan, Vnde venis? Qui respondens ait, Circumiui terram, & perambulaui eam. Et dixit dominus ad Satan, Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. Cui respondens Satan, ait, Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo dominus ad Satan, Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua. Egressus igitur Satan a facie domini, percussit Iob vlcere pessimo, a planta pedis vsque ad verticem eius, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi vxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & morere. Qui ait ad illam, Quasi vna de stultis locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccauit Iob labiis suis. Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo. Eliphaz themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamath-

ites. Condixerant enim vt pariter venientes visitarent eum & consolarentur. Cunque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum: & exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem.

**Ex Apocalypsi. beati Ioannis Apostoli.
Lectio secunda.**

ca. 2. **E**T angelo Ephesi ecclesiæ scribe, Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam: & quod non potes sustinere malos, & tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo aduersum

te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum: quæ & ego odi. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Et angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe, Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus & viuit. Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed diues es: & blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.



S A N C T O R V M H I S T O R I Æ,

Ex probatis authoribus summatim decerptæ.

IANVARIVS.

Circuncisio Christi duplex maius ad vespera. **Hymnus.** Christe redemptor. &c. **vt in die natiuitatis.** **An.** Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus, filium suum misit in similitudinem carnis peccati, Haleluiah, Haleluiah. **Oratio.**

DEus, qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti, tribue quæsumus: vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus authorem vitæ suscipere dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. &c. **Die. 1. A Et non fit commemoratio de alia octa. Ad matu. inui.** Christus natus est nobis, Venite adoremus. **Hymn.** A solis ortus cardine. &c. **vt in die Natiuitatis.** **Antiphona.** O admirabile commercium, creator generis humani animarum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine largitus est nobis suam deitatem.

Lectio tertia, ex cap. ij. Lucæ.

ca. 2. **E**T postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer: vocatum est nomen eius, Iesus: quod vocatum est ab angelo, prius quam in vtero conciperetur.

Ex sermone sancti Bernardi.

Magnum & mirabile sacramentum. Circunciditur puer, & vocatur Iesus. Quid sibi vult ista connexio? Circuncisio nempe magis saluandi, quam saluatoris esse videtur: & saluatorem circuncidere decet,

magis, quam circuncidi. Sed agnosce mediatorem Dei, & hominum, qui ab ipso natiuitatis suæ exordio diuinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere: sed cui fœcunditatis fructus sic accedat, vt non decidat flos virginitatis. Pannis inuoluitur, sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur. Absconditur in præsepio, sed proditur radiante stella de cœlo. Sic & circuncisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen quod est super omne nomen gloriam indicat maiestatis. Circunciditur tanquam verus Abrahamæ filius, Iesus vocatur tanquam filius Dei.

Ad laudes an. Mirabile mysterium declaratur, hodie innouantur naturæ, Deus homo factus est, id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit, non commisionem passus nec diuisionem. **Oratio.** Deus qui salutis. &c. **vt supra.** **Ad vespervas hymnus.** Christe redemptor. **vt sup.** **An.** Magnum hæreditatis mysterium, templum Dei factus est vterus nesciens virum, non est pollutus ex eo carnem assumens, omnes gentes venient dicentes. Gloria tibi domine. **Oratio.** Deus qui. **vt supra.** **Deinde pro commemoratio. octauaæ sancti Stephani antiphona.** Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo. **Oratio.**

OMnipotens sempiternus Deus, qui primitias martyrum in beati Leuitæ Stephani sanguine dedicasti:

tribue quæsumus, vt pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exorauit dominum nostrum Iesum Chri. &c. *Et non fit comme. de aliis octauis.*

Die. 2. B In octa. sancti Stephani dup. mi. Inuitato. hymni, an. & tertia lectio dicuntur sicut in die sancti Stephani.

Oratio. Omnipotens. vt sup. Et est notandum quod in laudibus post prædictam orationem dicuntur etiam orationes sancti Ioannis. Ecclesiam tuam Deus. & Innocentium. Deus cuius hodie.

Vesperæ dicuntur de sancto Stephano, & post eius orationem pro comme. octauæ sancti Ioannis dicitur an.

Iste est Ioannes qui supra pectus domini in cœna recubuit, beatus apostolus cui reuelata sunt secreta cœlestia.

Oratio. Ecclesiam tuam. vt supra in eius festo, & non fit commemoratio de Innocentibus.

Die. 3. C In octa. sancti Ioannis, du, mi. Inuit. Hymn. Antiphonæ, terita lectio, & oratio dicuntur sicut in eius festo, & in laudibus post orationem sancti Ioannis dicitur etiam oratio Innocentium.

Deus cuius hodie. Vesperæ dicuntur de sancto Ioan. & post eius orationem pro comme. octauæ Innocentium dicitur an.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit. Oratio. Deus cuius hodierna. &c. vt in eorum festo.

Die. 4. D In octaua Innocentium duplex minus Inuitato. Hymni, Antiphonæ, terita lectio, & oratio dicuntur sicut in eorum festo.

Die. 5. E In vigilia Epiphaniæ, Inuitatorium, Hymni, Antiphonæ, & Oratio, dicuntur sicut in die circuncisionis, siue incidat in dominica, siue, in alio

quocunque die.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

IN illo tempore, Defuncto Herode, ca. 2.
 ecce Angelus domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

Et rel. Hom. sancti Hiero. presby.

EX hoc loco intelligimus non solum Herodem, sed & sacerdotes & Scribas eodem tempore necem domini fuisse meditados. Qui surgens accepit puerum, & matrem eius. Non dixit, accepit filium suum & vxorem suam: sed puerum & matrem eius: quasi nutritius, non maritus. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa, pro Herode patre suo, timuit illo ire. Multi propter ignorantiam historiæ labuntur errore, putantes eundem esse Herodem a quo in passione sua dominus irridetur, & qui nunc mortuus esse refertur. Ergo Herodes ille qui cum Pilato postea amicitias fecit, huius Herodis filius est, frater Archelai. Quem & ipsum Tyberius Cæsar Lugdunum, quæ Galliarum est ciuitas, relegauit: fratremque eius Herodem successorem regni fecit. Lege Iosephi historiam. Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur. Si fixum de scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret quod dictum est per prophetas: sed simpliciter, quod dictum est per prophetam. Nunc autem, pluraliter prophetas vocans ostendit se non verba de scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaræus enim sanctus interpretatur. Sanctum autem dominum futurum omnis scriptura commemorat.

Epiphania domini, duplex maius. Ad

vesperas. Hymnus.

H Ostis Herodes impie, Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat coelestia.

Ibant Magi, quam viderant,
Stellam sequentes præuiam:
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.

Lauacra puri gurgitis,
Cœlestis agnus attigit:
Peccata, quæ non detulit,
Nos ablundo sustulit.

Nouum genus potentiæ,
Aquæ rubescunt hydriæ:
Vinumque iussa fundere,
Mutauit vnda originem.

Gloria tibi domine, Qui apparuisti hodie, Cum patre, & sancto spiritu In sempiterna secula. Amen. **Et sic terminantur hymni in omnibus horis per totam octauam.** An. Magi videntes stellam dixerunt adinuicem, Hoc signum magni regis est, eamus, & inquiramus eum, & offeramus ei munera, aurum, thus, & myrrham, Haleluiah, haleluiah.

Oratio.

D Deus, qui hodierna die vnigenitum tuum gentibus stella duce reuelasti: concede propitius, vt qui iam te ex fide cognouimus, vsque ad contemp-landam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eund. &c.

Die 6. F Ad matu. inui. Christus apparuit nobis, venite adoremus. ps. Venite. & Gloria patri. &c. Fo. j. inui. Christus apparuit. &c. Hym. Hostis hero. vt sup. An. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent, haleluiah, haleluiah.

Notandum quod hodie omittuntur. j. & ij. lectio occurrentes in dominicali. & loco earum leguntur infrascriptæ ex

Isaia. Lectio. j.

OMnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, prope-
rate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me, audite, & viuere anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current propter dominum Deum tuum, & sanctum Israel: quia glorificauit te. Quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Dere-
linquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. † Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis & afflues: & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Ephra, omnes de Saba venient, aurum, & thus defer-

c. 55.

c. 60.

a

entes, & laudem domino annuntiantes.]

Secundum Matthæum. Lectio. ij.

ca. 2.

CVm † natus esset Iesus in Bethle-
hem Iudæ in diebus Herodis regis,
ecce Magi ab oriente venerunt Ierosoly-
mam, dicentes, vbi est qui natus est
rex Iudæorum? vidimus enim stel-
lam eius in oriente, & venimus ado-
rare eum. Audiens autem Herodes rex,
turbatus est, & omnis Ierosolyma cum
illo. Et congregans omnes principes
sacerdotum, & Scribas populi, scisc-
itabatur ab eis vbi Christus nascere-
tur. At illi dixerunt ei, In Bethle-
hem Iudæ. Sic enim scriptum est
per prophetam, Et tu Bethlehem terra
Iuda, nequaquam minima es in prin-
cipibus Iuda: ex te enim exiet dux
qui regat populum meum Israel. Tunc
Herodes clam vocatis Magis, diligenter
didicit ab eis tempus stellæ quæ ap-
paruit eis, & mittens illos in Bethle-
hem, dixit, Ite, & interrogate diligenter
de puero: & cum inueneritis, renunti-
ate mihi, vt & ego veniens adorem eum.
Qui cum audissent regem, abierunt.
Et ecce stella quam viderant in ori-
ente, antecedebat eos, vsque dum ve-
niens staret supra vbi erat puer. Vi-
dentes autem stellam, gauisi sunt gau-
dio magno valde. Et intrantes domum,
inuenerunt puerum cum Maria matre
eius, & procidentes adorauerunt eum:
& apertis thesauris suis, obtulerunt ei
munera, aurum, thus, & myrrham. Et
responso accepto in somnis ne redirent
ad Herodem, per aliam viam reuersi
sunt in regionem suam.

Hom. sancti Grego. papæ. Lectio. iij.

SIcut ex lectione euangelica fratres
audistis, cœli rege nato rex terræ
turbatus est, quia nimirum terrena
altitudo confunditur, cum celsitudo
cœlestis aperitur. Sed quærendum no-

bis est: quidnam sit quod redemptore
nato pastoribus in Iudæa angelus ap-
paruit: atque ad adorandum hunc ab
oriente Magos non angelus, sed stella
perduxit? Quia videlicet Iudæis tan-
quam ratione vtentibus rationale an-
imal, id est, Angelus prædicare de-
buit. Gentiles vero quia vti ratione ne-
sciebant, ad cognoscendum dominum,
non per vocem, sed per signa perdu-
cuntur. Vnde & per Paulum dicitur,
Linguæ in signum sunt non fidelibus,
sed infidelibus: prophetiæ autem non
infidelibus, sed fidelibus. Quia & il-
lis prophetæ tanquam fidelibus non in-
fidelibus: & istis signa tanquam infi-
delibus non fidelibus data sunt. Et
notandum quod redemptorem nostrum
cum iam perfectæ esset ætatis, eisdem
gentibus apostoli prædicant: eumque
paruulum, & necdum per humani cor-
poris officium loquentem, stella gen-
tibus denuntiat: quia nimirum rati-
onis ordo poscebat, vt loquentem
dominum loquentes nobis prædicatores
innotescerent, & necdum loquentem el-
ementa muta prædicarent. Sed in om-
nibus signis quæ vel nascente domino
vel moriente monstrata sunt, con-
siderandum nobis est, quanta fuerit in
quorundam Iudæorum corde durtia,
qui hunc nec per prophetiæ donum,
nec per miracula agnouerunt. Om-
nia quippe elementa authorem suum
venisse testata sunt. Vt enim de eis
quodam vsu humano loquar, Deum
hunc cœli esse cognouerunt quia prot-
inus stellam miserunt. Mare cog-
nouit, quia sub plantis eius se calcabile
præbuit. Terra cognouit, quia eo mori-
ente contremuit. Sol cognouit quia lu-
cis suæ radios abscondit. Saxa & pari-
etes agnouerunt, quia tempore mortis

suæ scissa sunt. Infernus agnoui, quia hos, quos tenebat, mortuos reddidit, & tamen hunc quem Deum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum esse minime cognoscunt, & duriora saxis scindi ad pœnitentiam nolunt: eumque confiteri abnegant, quem elementa (vt diximus) aut signis aut scissionibus Deum clamant.

Ad laudes an. Ante luciferum genitus, & ante secula dominus saluator noster hodie mundo apparuit, Haleluiah, haleluiah. **Ad vespe. hym.** Hostis Herodes. **vt supra. An.** Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: Hodie stella Magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie a Ioanne in Iordane Christus bapitzari voluit, vt saluaret nos, Haleluiah. **Hæc an. dicitur ad ves. infra oct.**

Notandum quod cuilibet dici per totam octa. assignatur propria tertia lectio: tamen cum inciderit dominica infra octa. Epiph. omittitur tertia lectio de octa. & legitur de dominica infra oct. vt ibi inuenies.

Die. 7. G De octa. Epiphaniæ.

Ex Hom. sancti Greg. papæ, L. iij.

Qui etiam ad damnationis suæ cumulum eum quem natum despiciunt, nasciturum longe ante præscierunt. Et non solum quia nasceretur nouerant, sed etiam vbi nasceretur. Nam ab Herode requisiti, locum natiuitatis eius expriment, quem scripturæ autoritate didicerunt. Et testimonium proferunt quod Bethlehem honorari natiuitate noui ducis ostenditur: vt ipsa eorum scientia & illis fieret ad testimonium damnationis, & nobis ad adiutorium credulitatis. Quos profecto bene Isaac cum Iacob filium

suum benediceret designauit. Qui & caligantibus oculis & prophetans, in præsentem filium non vidit, cui tamen multa in posterum præuidit. Quia nimirum Iudaicus populus prophetiæ spiritu plenus & cæcus: eum, de quo multa in futuro prædixit, in præsentem positum non agnoui. Sed natiuitate regis nostri cognita, Herodes ad callida argumenta conuertitur, ne terreno regno priuaretur. Renuntiari sibi vbi puer inueniretur postulat: adorare se velle simulat: vt quasi hunc si inuenire possit extinguat. Sed quanta est humana malitia contra consilium diuinitatis? Scriptum quippe est, Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum.

Die. 8. A De octa. Epiphaniæ.

Sermo sancti August. episc. Lectio. iij.

AD partum virginis adorandum magi ab oriente venerunt. Hunc diem hodie celebramus: huic debitam solennitati sermonem persoluimus. Illis dies iste primus illuxit: anniuersaria nobis festiuitas redit. Illi erant primitiæ gentium: nos populi gentium. Nobis hoc lingua nuntiauit Apostolorum: stella illis tanquam lingua cœlorum. Et nobis ijdem Apostoli tanquam alij cœli enarrauerunt gloriam Dei. Cur enim non agnoscamus eos cœlos, qui facti sunt sedes Dei? Sicut scriptum est. Anima iusti sedes est sapientiæ. Per hos enim cœlos, ille cœlorum fabricator & habitator intonuit: quo tonitruo mundus tremuit, & ecce iam credit. Magnum sacramentum. In præsepe tunc iacebat & magos ab oriente adducebat. Abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in cœlo: vt agnitus in cœlo manifestaretur in stabulo. Et appellaretur Epiphania dies iste, quod Latine manifestatio dici potest, simul eius

celsitudinem humilitatemque commendans: vt qui in aperto cœlo sydereis signis monstrabatur, in angusto diuersorio quæsitus inueniretur. Inualidusque in infantilibus membris, inuolutus in pannis, adoraretur a Magis, timeretur a malis.

Die. 9. B De octa. Epiphaniæ.

Sermo sancti August. episc. Lectio. iij.

Nuper celebrauimus diem quo ex Iudæis dominus natus est: hodie celebramus quo a gentibus adoratus est. Quoniam salus ex Iudæis est. sed hæc salus vsque ad fines terræ. Nam in illo die pastores adorauerunt: hodie magi. Illis angeli: istis autem stella nuntiauit. Vtrique de cœlo didicerunt, cum regem cœli in terra viderunt: vt esset gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Iam hic infans natus atque annuntiatus ostenditur lapis ille angularis. Iam in ipso primordio natiuitatis apparuit, duos ex diuerso parietes in se copulare iam cœpit: pastores a Iudæa, Magos ab oriente perducens, vt duos conderet in se in vnum nouum hominem, faciens pacem. Pacem his qui longe, & pacem his qui prope. Ideoque illi ipso die de proximo venientes, de longinquo isti hodie peruenientes, duos dies celebrandos posteris signauerunt: vnam tamen lucem mundi vtrique viderunt. Sed hodie de istis loquendum est, quos de remotis terræ partibus fides duxit ad Christum.

Die. 10. C De octa. Epiphaniæ.

Sermo sancti Leonis papæ. L. iij.

Celebrato proximo die quo intermerata virginitas humani generis edidit saluatorem: Epiphaniæ nobis dilectissimi veneranda festiuitas dat perseuerantiam gaudiorum: vt inter

cognatarum solennitatum vicina sacramenta, exultationis vigor, & feruor fidei non tepescat. Ad omnium enim hominum spectat salutem, quod infantia Saluatoris, ac mediatoris Dei & hominum iam vniuerso declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quamuis enim Israeliticam gentem & ipsius gentis vnam familiam delegisset, de qua naturam humanitatis assumeret: noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia, sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est pro omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione orientis: stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris, pulchriorque syderibus, facile in se intuentium oculos animosque conuerteret: vt confestim aduerteretur non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur.

Die. 11. D De octa. Epiphaniæ.

Ex sermo. sancti Leonis papæ. L. iij.

Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus. Sequuntur tres viri superni luminis ductum: & præuij fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ splendore ducuntur, qui humano sensu signatum sibi regis ortum æstimauerunt in ciuitate regia esse quærendum. Sed qui serui susceperat formam, & non iudicare venerat, sed iudicari: Bethlehem præelegit natiuitati, Ierosolymam passioni. Herodes vero audiens Iudæorum principem natum, successorem suspicatus expauit. Et molitus necem salutis auctori, falsum sponndit obsequium. Quam felix foret, se Magorum imitaretur fidem: & conuerteret ad religionem, quod disponebat ad fraudem? O cæca

stultæ æmulationis impietas, quæ per-
turbandum putas diuinum tuo furore
consilium? Dominus mundi tempo-
rale non quærit regnum, qui præstat
æternum. Quid incommutabilem dis-
positorum rerum ordinem vertere, &
alienum facinus præoccupare conaris?
mors Christi non est temporis tui.
Ante condendum est Euangelium: ante
prædicandem est Dei regnum: ante
sanitates donandæ: ante sunt facienda
miracula.

**Aduertendum quod quando Epipha.
domini inciderit in dominica, tunc in
sabbato sequenti omittenda est sequens
tertia lectio, & loco eius legendum Eu-
angelium. Cum factus esset Iesus. cum
homilia vt inuenies in dominica tertia
post Aduentum.**

Die. 12. E De octa. Epiphaniæ.

Sermo sancti Leonis papæ. L. iij.

IVstum & rationabile, dilectissimi,
& veræ pietatis obsequium est in
diebus, qui diuinæ opera misericordiæ
protestantur, toto corde gaudere, &
honorifice ea quæ ad salutem nostram
gesta sunt, celebrare. Vocante nos
ad hanc deuotionem ipsa recurrentium
temporum lege, quæ nobis post diem in
quo coæternus patri filius Dei natus ex
virgine est, breui interuallo Epiphaniæ
intulit festum, ex apparitione domini
consecratum. In quo magnum fidei
nostræ præsidium prouidentia diuina
constituit: vt dum solenni venera-
tione recolitur, adorata in exordiis suis
Saluatoris infantia, per ipsa origina-
lia documenta probaretur, veri homi-
nis in Christo orta natura. Hoc est
enim quod iustificat impius: hoc est
quod ex peccatoribus facit sanctos, si
in vno eodemque domino Iesu Christo,
& vera deitas, & vera credatur humani-
tas. Deitas, qua ante omnia secula

in forma Dei æqualis est patri: hu-
manitas, qua in nouissimis diebus in
forma serui vnitus est homini. Ad rob-
orandam ergo hanc fidem, qua con-
tra omnes præmuniebamur errores, ex
magno factum est diuinæ pietatis con-
silio, vt gens in longinqua orientalis
plagæ regione consistens, quæ spectan-
dorum syderum arte pollebat, signum
nati pueri, qui super omnem Israel es-
set regnaturus, acciperet.

**Hodie in ves. dicitur an. assignata ad
primas vespe. Magi videntes.**

Die. 13. F Octa. Epipha. du. mi.

Secundum Ioannem. Lectio. iij.

IN illo tempore: Vidit Ioannes Iesum ca. 1.
venientem ad se, & ait, Ecce agnus
Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Et rel. Hom. sancti Augustini episc.

Nemo sibi arroget & dicat quia
ipse auferat peccata mundi. Iam
intendite contra quos superbos inten-
debat Ioannes digitum. Nondum er-
ant nati hæretici, & demonstraban-
tur: iam intendebat contra illos. Con-
tra illos clamabat tunc a fluuio, con-
tra quos modo clamat ex Euangelio.
Venit Iesus. Et quid dicit ille? Ecce
Agnus Dei. Si agnus, innocens, &
Ioannes agnus, an non & ipse innocens?
Sed quis innocens, aut quantum inno-
cens? omnes ex illa radice veniunt, &
ex illa propagine, de qua cantat gemens
Dauid, Ego in iniquitatibus conceptus
sum: & in peccatis mater mea in vtero
me aluit. Solus ergo ille agnus qui non
sic venit. Non enim in iniquitate con-
ceptus est, qui non de mortalitate con-
ceptus est, nec eum in peccatis mater
eius in vtero aluit, quem virgo concepit,
virgo peperit: quia fide concepit, fide
suscepit. Ergo ecce agnus Dei: Non ha-
bet iste traducem de Adam. Carnem
tantum assumpsit de Adam, peccatum

non assumpsit. Qui non assumpsit de massa nostra peccatum, ipse est qui tollit peccatum nostrum: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nostis quia quidam homines dicunt aliquando, Nos tollimus peccata hominibus quia sancti sumus. Si enim non fuerit sanctus qui baptizat: quomodo tollit peccatum alterius, cum sit ille homo plenus peccato? Contra istas disputationes verba nostra non dicamus: hunc legamus, Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.

Die. 14. G Basilius epis. confes. L. iij.

Basilius Cappadox genere, Cæsareæ primum in sua regione, deinde Athenis eruditus, in eam magnitudinem omnis generis doctrinarum euasit, cum egregia sanctitate: vt inde magni cognomen inuenerit. Reuersus igitur in patriam cum magna omnium expectatione Cæsaream vocatur: vt morum, ac pietatis institutor, moderatorque esset: præsulisque Eusebij adiutor: cui morienti in episcopatu successit. In quo sic Valentis Imperatoris Arriani sibi infesti tractauit animum sanctitate, & consequentibus signis, vt cum se vellet in exilium mittere, sententiam mutare coegerit: Sella enim qua gestandus erat Valens, subito confracta & dissoluta est. Cunque de more exilij multam scripturus esset, perficere non valuit, calamo nihil atramenti reddente. Cunque secundus, & tertius calamus hoc pertulisset, & adhuc legem impiam firmare contenderet, commota est eius dextera, eamque subitus tremor inuasit. Tunc eius animo terrore impleto, ambabus manibus chartam rupit. Et quæ nox data est Basilio ad deliberandum, eadem vxor imperatoris, velut tortoribus tradita, cruciatur. Filius vero, qui eis

erat vnicus, extinctus: paternæ impietatis creditur exoluisse supplicia. Erat autem Basilius in victum, & cultu abstinentissimus: vna tantum tunica se amiciebat, humi cubitabat, totis sæpe noctibus vigilabat, omnis expertus libidinis tota vita perseuerauit. Primus omnium cœnobita excogitauit: & ritum illum monachorum antiquum atque agrestem, ad formulam religioni propiorem reduxit. Scripsit multa sanctissime, & eloquentissime: nemo enim sacra volumina (vt testatur Gregorius Nazianzenus, qui vitam eius conscripsit) nec eloquentius eo, nec verius, nec vberius enarrauit. Obiit autem corpore iam per abstinentiam consumpto: cum ossibus ac pelle tantum superstes esset Calend. Ianuarij.

Die. 15. A Martina vir. mart. L. iij.

Martina virgo Romana ex nobili & patritia familia Christianæ pietatis egregia cultrix, & ab ineunte ætate sacris literis dedita, & erudita, dum sequitur Euangelicam doctrinam, suarum facultatum magnam partem pauperibus distribuit. Quam ob rem facta rea, quod relicto deorum cultu seruiret nouæ religioni, ab Alexandro Imperatore, Apollini, sacrificare iubetur, nisi mallet supplicia mortemque subire. Cum igitur in fide Christi perstaret, equuleo suspensa ferreis vngulis exaratur, & sic cruciata in carcerem coniiicitur, si forte sententiam mutaret. Sed postridie rursus diis immolare iussa, & perinde contempto principis impio iussu, sæuissime torquetur, mamillis ferro laniatis, rursusque in carcerem retruditur. Paucis vero diebus interiectis, desperata mutatione sententiæ, in publicis spectaculis obiecta est immanibus bestiis, quarum nulla virginem inuasit, aut

quoquo modo læsit. Tunc vero iussu Imperatoris extra urbem educta, & in Christiana confessione & pietate constantissime perseuerans, capite plectitur Calendis Ianuarij. Cuius corpus sepulturæ datum est a sancto Calisto papa.

Die. 16. B Marcellus pp mart. L. iij.

Marcellus patrea Romanus a Constantino & Galerio vsque ad Maxentium gessit pontificatum. Huius hortatu Priscilla, & Lucina matronæ Romanæ adductæ sunt: altera vt cœmeterium suis sumptibus via Salaria construeret, altera vt ecclesiam Dei hæredem suorum nomorum institueret. Titulos quinque & viginti in vrbe Roma idem disposuit, quasi dioceses ad commoditatem baptismi, & eorum qui ad fidem Christi ex gentibus quotidie veniebant, & ad martyrum sepulturas. Quibus rebus iratus Maxentius, Lucina relegata, ipsum minis impellere conatur, vt se pontificatu abdicaret, atque nomen Christianum deponeret. In quo cum se ab eo negligi animaduertet, ipsum in viuaria ad curam publicarum bestiarum damnauit. Ex quo loco nec orationes ille, nec ieiunia prætermittens parochias etiam epistolis, quando aliter non licebat, multos annos gubernauit. Demum ex foeda illa, atque incommoda habitatione, pædore & situ confectus, obiit, eiusque sanctissimum corpus in cœmeterio Priscillæ in via Salaria sepelitur. xvj. Calen. Febr. Sedit autem annos quinque, menses sex, dies vnum & viginti. **Te deum. Oratio.**

Preces populi tui quæsumus domine clementer exaudi, vt beati Marcelli martyris tui, atque pontificis meritis adiuuemur, cuius passione lætamur. Per do.

Die. 17. C Antonius abbas duplex minus. Lectio tertia.

Antonius in Ægypto nobili genere natus, Constantini magni tempore cum intrans ecclesiam vt solebat audisset illud Euangelij, Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: velut ea sibi tunc peculiariter dicta interpretatur, omnibus suis possessionibus distractis, pretium distribuit pauperibus: ipseque in vastam Ægypti solitudinem recessit. Vbi quamplurimos annos incredibili parsimonia & sanctitate vitam gessit, vix humanam, sæpe a dæmonibus ipsi sanctimoniam inuidentibus, variis imaginibus infestatus: quos ipse opere diuina fretus, tam constanter spernebat, vt conuitiis etiam & maledictis persequeretur, exprobrans illis imbecillitatem in eos, quos diuina gratia non destituisset. Itaque tanto iam terrori dæmonibus erat sæpe a se deuictis, vt multi per Ægyptum ab illis agitati, nomine Antonijs super ipsos inuocato liberarentur. Huic Constantinus Imperator se, & filios per literas commendauit, vt pro eis domino supplicaret. Ita miraculis clarus, annum agens vltra centesimum, a vita migravit decimosexto Calendas Februa.

Die. 18. D Fit de Cathedra Romana. s. Pet. du. ma. Ad ves. hymnus.

Quodcumque vinculis super terram strinxerit, Erit in astris religatum fortiter. Et quod resoluit in terris arbitrio, erit solutum super cœli radium: in fine mundi iudex erit seculi.

Gloria patri per immensa secula, Sit tibi nate decus, & imperium, Honor, potestas, sanctoque spiritui, Sit trinitati salus indiuidua, Per infinita seculorum secula. Amen.

An. Tu es pastor ouium, princeps apostolorum, tibi traditæ sunt clauēs regni cœlorum. **Oratio.**

DEus, qui beato Petro Apostolo tuo collatis clauibus regni cœlestis animas ligandi, atque soluendi pontificium munus tradidisti: concede, vt intercessionis eius auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur: Qui viuīs. **Ad matutinum inuitatorium.** Tu es pastor ouium, princeps apostolorum, tibi tradidit Deus clauēs regni cœlorum. **Hymn.**

IAm bone pastor Petre clemens accipe Vota precantum. & peccati vincula Resolue tibi potestate tradita, Qua cunctis cœlum verbo claudis, aperis.

Sit Trinitati sempiterna gloria, Honor, potestas, atque iubilatio, In vnitæte cui manet imperium, Ex tunc & modo per æterna secula. Amen. **An.** Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo ecclesiam meam. **Lectio. iij.**

CAthedra summi pontificatus, cuius hodie festum celebramus, promissa est Petro, cum Christus ei dixit, vt habetur Matthæi sextodecimo capite: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauēs regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. His igitur verbis Christus cathedram summi sacerdotij Petro pollicitus antequam pateretur, eandem tradidit post resurrectionem: cum ter ipsi suum gregem pascendum commendaret. De quo sic scripsit Ioannes, Dixit Simoni Petro Iesus, Simon Iona diligis me plus his? Dicit ei, Etiam domine, tu scis

quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Iona diligis me? Ait illi, Etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Iona amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio amas me. Et dixit ei, Pasce oues meas. Petrus igitur post ascensionem Christi ad patrem, cum Pontum, Galatiam, Bithyniam, & Capadociam peragrasset fidem Christi prædicando, & sermonem miraculis confirmando, Antiochiam reuersus est: ibique Cathedram, hoc est sedem apostolicam, fixit, tenuitque septem annos, donec iussu Dei (vt verbis vtar Marcelli papæ, & martyris) eam transtulit Romam, immobilemque locauit: vt ad commoditatem Christianorum & religionis augmentum sed etiam summi sacerdotij, & ecclesiæ caput esset, in ea potissimum vrbe, quæ principatum orbis obtinebat.

Ad laudes antiphona. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, dicit dominus Simoni Petro. **Ad vespe. hym.** Quodcunque vinclis. **&c. Antiphona.** Dum esset summus pontifex, terrena non meruit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.

Die. 19. E Telesphor. pp mart. L. iij.

TElesphorus natione Græcus Antonino imperatore pontifex factus, constituit vt proxime ante Pascha ieiunium Quadragesimæ obseruaretur: vtque in natali Christi tres missæ celebrarentur. Prima media nocte, cum Christus est natus in Bethlehem. Secunda in aurora, quando a pastoribus est cognitus. Postremo circa eam horam qua redemptionis humanæ mysterium agebatur. Item, vt ante sacrifi-

cium caneretur, Gloria in excelsis Deo. Ordinationibus quater mense Decembris habitis, presbyteros. xv. diaconos. xvij. episcopos. xij. creauit. Cum autem sedisset annos vndecim, menses tres, dies. xxij. martyrio coronatus est, ac in Vaticano sepultus Nonis Ianuarij.

Die. 20. F Fabianus papa, & Sebastianus marty. dup. mi. Oratio.

Snfirmitatem nostram respice omnipotens Deus, & quia pondus propriæ actionis grauat, beatorum martyrum tuorum Fabiani & Sebastiani intercessio gloriosa nos protegat. Per dominum no. **Lectio. iij.**

Fabianus patria Romanus a Gordiano & Philippo ad Decium imperatorem pontifex ecclesiæ præfuit. Hic septem diaconis regiones diuisit, qui a notariis res martyrum gestas scribentibus, colligerent. Statuitque, vt singulis annis in die cœnæ domini chrisma renouaretur, ac vetus combureretur in ecclesia. Huius tempore orta est hæresis Nouatij Romanæ ecclesiæ presbyteri, negantis apostatas etiam pœnitentes ab ecclesia recipi debere. Sed congregato Romæ concilio sexaginta episcoporum totidemque presbyterorum cum diaconis compluribus, hæc hæresis Nouatiana damnata fuit, & cum alijs error quoque Helchesatarum asserentium non esse criminis in tormentis Christum vocetenus ab eo negari, qui corde ipsum confiteretur. Fabianus denique. xij. Calend. Geb. martyrio coronatus in cœmetrio Calisti via Appia sepelitur. cum sedisset annos. xiiij. menses. xj. dies. xj. **Sebastianus** ciuis Mediolanensis, sed Narbonæ ortus, vel vt alij tradunt, oriundus, vir nobilis, & imperatori Diocletiano charus, primæque

cohortis ductor, multos Christianorum in tormentis deficientes tam fortiter, & sancte in fide confirmauit, vt martyrium constanter subierint. Quorum fuere Marcus, & Marcellianus fratres, qui Romæ in domo Nicostrati cincti asseruabantur, cuius Nicostrati vxor Zoe, exorante Deum Sebastiano, vocem ante sex annos per morbum amissam recepit. Quibus rebus cognitis Diocletianus Sebastianum ad se vocat, & grauissime increpatum, omni ratione a fide conatur auertere. Sed hoc frustra tentato, iubet eum stipite alligatum a sagittariis configi. Frequentibus igitur sagittis confixus, cum ab omnibus aut per necatus, aut protinus moriturus crederetur, tamen consequenti nocte, ab Hyrene sancta matrona sepeliendi gratia sublatus, viuus reperitur, & ope diuina breui est in domo illius in pristinam valetudinem restitutus. Itaque paulo post factus obuiam Diocletiano ad rei mirabulum attonito, libere cœpit impietatem, & sæuitiam in Christianos impropere. Tunc vero iussu eiusdem imperatoris tandiu virgis cæsus est, donec animam exhalauit. Eius vero corpus in cloacam deiectum Lucinæ opera, cui Sebastianus per somnium visus, & vbi suum corpus esset, & vbi condi velle, demonstrauit, ad Cathacumbas sepultum est: vbi templum extat eiusdem nomine dicatum. Passus est autem Romæ. xij. Calend. Februarij.

Die. 21. G Agnes virgi. marty. duplex minus. Oratio.

Ompotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortis quæque confundas: concede propitius, vt qui beatæ Agnetis virginis & martyris tuæ solennia colimus, eius apud te patrocina sentiamus. Per dominum

nostrum. **Lectio. iij.**

AGnes virgo Romana claris parentibus orta, cum ab vr̄bis præfecti filio amore flagrante in coniugem magnis pollicitis, & contentione peteretur, omnibus sp̄retis, in ea responsione perstitit, se ab amatore Christo fuisse occupatam, ipsique soli se datam fidem præstare oportere. Ita cum neque blanditiis, neque minis commoueretur a Symphronio præposito, nec iussa Deæ Vestæ sacrificare paruisset, vestibus spoliata, præeunte præcone in lupanar ducta est, vbi cœleste lumen sic eam circumfulsit, vt a nemine videri posset. Cunque præfecti filius virgini insultaturus intrasset, confestim exanimis iacuit: qui mox oratione virginis suscitatus, egressusque in publicum clamare cœpit, Temp̄la Deorum esse dæmonum domicilia, & solum Christianorum verum esse Deum. Quo miraculo templorum pontificibus commotis, ac virginem magam esse clamitantibus. Symphronius licet iam Agnetem libentur absolueret, timens tamen pontificum calumniam, causam virginis cognoscendam Aspasio vicario commisit. Hic autem in conspectu omnium rogum accendit, & in eum virginem protrudi iussit. Quo facto flammis diuisis ipsa in medio illæsa permansit, & ignis circumstantes exurebat, qui tamen ad orationem virginis statim extinctus est. Tunc Aspasius ira concitatus iussit eam decollari. Et sic martyrio coronata ad sponsum Christum emigrauit duodecimo Calend. Februarij. Parentes autem eius corpus abstulerunt, & via Numantina in prædiolo suo non longe ab vr̄be sepelierunt. Quibus in sepulchro cum fletu & lamentatione assidentibus, frequenti virginum cœtu circumsepta, candida, & refulgens, Agnes apparuit,

hortataque est illos, vt pijs lachrymis finem imponerent, quandoquidem ipsa in cœlum sublata, vberimum ferret sui martyrij præmium. Igitur fama sanctitatis eius vbique dispersa, quotquot credentes ad sepulchrum eius venisset, a quacunque infirmitate sanabantur.

Die. 22. A Vincentius, & Anastasius martyres. Lectio tertia.

Vincentius Oschæ natus quod opidum est Hispaniæ citerioris, ab ineunte ætate studio literarum deditus, & sacris literis eruditus, a Valerio Cæsaraugustano episcopo cui blæsa lingua erat, munus iniunctum prædicandi Euangelium pro ipso sanctissime, & constanter obibat. Quo cognito Decianus prouinciæ præses, in persecutione Diocletiani, & Maximiani capieum iubet Cæsaraugustæ cum Valeriano, & vinctum ad se Valentiam deduci, vbi propter fidei constantiam verberibus primum vsque ad tortorum lassitudinem cæsus est: deinde in equuleo ferreis vnguibus exaratus, postremo in craticula prunis subiectis impositus, & ferreis pectinibus alto impressis excarnificatus: quæ cum inuicto animo pertulisset, in carcerem retruditur, vbi paulo post spiritum ad martyrij coronam accipiendam emisit. xj. Calend. Febru. Quo die martyrium quoque celebratur Anastasij natione Persæ qui Heraclio imperatore cum Ierosolymam, & loca sancta visisset, extra castellum Bethsalem cum sexaginta Christianis, qui a Cæsarea Palæsthinæ ipsum fuerant secuti, iussu regis Cosdroæ fuit strangulatus. **Oratio.**

ADesto domine supplicationibus nostris, vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beatorum martyrum tuorum Vincentij & Anastasij intercessione liberemur. Per

do.

Die. 23. B Alfonsus archiepiscopus confessor. Lectio tertia.

Alfonsus, qui & Illelfonsus ab aliis dicitur, nobili genere Toleti natus, liberalium disciplinarum, sacrarumque literarum studio deditus, Eugenij Toletani, Isidorique Hispalensis præsulum, sanctorum doctissimorumque virorum monitis, atque præceptis morum sanctitatem egregiam, & singularem cum pietate doctrinam est adeptus. Itaque primum factus monachus in Agaliensi monasterio, breui, propter virtutum præstantiam abbas est a monachis delectus. Deinde mortuo Eugenio cleri populique Toletani magno consensu sufficitur in episcopatu, quod munus mira prudentia, & sanctitate administravit. Hæreticos quosdam qui in Hispania hæresim Heluidianam tollentem perpetuam Mariæ Dei genitricis virginitatem disseminabant, doctissime confutavit, ab Hispaniaque depulit. Quam disputationem explicavit libro quem inscripsit de Mariæ virginitate, rem miraculo confirmante. Cum enim Alfonsus ad preces matutinas in ecclesiam nocte descenderet, comites eius in ecclesiæ limine fulgore quodam repentino deterriti, retrocesserunt. Ille vero intrepidus ad aram progressus, virginem ipsam vidit & adoravit, ab eademque vestem, qua in sacrificiis vteretur, accepit. Obiit autem anno sui episcopatus sanctissime gesti circiter decimo, & sepultus fuit in basilica Leocadiæ.

Die. 24. C Timo. epis. mart. L. iij.

Timotheus Lystris oppido Lycaoniæ natus ex Iudæa matre, & patre Gentili, Christianæ religionis cultor erat, cum Paulus in ea loca peruenit.

Qui motus Timothei sanctitate, & optima fama qua idem inter Christianos illius tractus celebrabatur, ascivit ipsum socium & comitem suæ peregrinationis. Ac ne offenderentur qui ex Iudaismo conuersi fuerant ad Christum, Timotheumque nouerant filium patris esse Gentilis, ipsum circumcidit, quod licebat: adhuc nondum satis Euangelio promulgato. Cum autem peruenissent Ephesum, ibidem Timothæus a Paulo relictus est, vt ecclesiam doctrina, exemploque iuuaret. Ad hunc Paulus vt doctrina, qua præsentem instituerat, absentem quoque confirmaret, duas epistolas scripsit, alteram a Laodicea, alteram ab vrbe Roma. Postremo Timotheus cum in festo celeberrimo Dianæ, populum ab impio sacrificio conaretur auertere, lapidibus obrutus est a furente populo, vnde pene mortuus sublatus a Christianis, & ad montem vrbi vicinum eductus, spiritum emisit nono Calendas Februarij.

Conuersio Pauli duplex maius. Ad vespas. Hymnus.

Docto egregie Paule mores instrue, Et mente polum nos transfere satage: Donec perfectum largiatur plenius, Euacuato quod ex parte gerimus.

Sit trinitati sempiterna gloria, Honor, potestas, atque iubilatio: In vnitate, cui manet imperium, Ex tunc, & modo, per æterna secula. Amen. **Antipho.** Vade Anania, & quære Saulum, ecce orat: quia vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filis Israel. **Oratio.**

Deus qui vniuersum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis quæsumus, vt qui eius hodie conuersionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per do.

Die. 25. D Ad matutinum inuit. Laudemus Deum nostrum in conersione doctoris gentium. **Hym.** Doctor egregie. **vt supra. Antiphona.** Mihi viuere Christus est, & mori lucrum, gloriari me oportet in cruce domini nostri Iesu Christi. **L. iij.**

PAulus, qui antea Saulus, Giscalis oppido Iudææ ortus Beniamina tribu, patria a Romanis bello capta, cum parentibus Tarsum quæ Ciliciæ est, migravit. Mox Ierosolymis operam dedit Gamalieli Mosaicæ legis peritissimo, Stephani martyrio interfuit, acceptisque a Iudæorum pontifice lilteris, vt eos velut impios insectaretur, qui Christum Nazarenum Dei filium asserent: quum Damascum pergeret, subita lux ob iter in speciem fulguris eum occupavit, ad terramque pauore deiectus, vocem audiuit velut increpantis, Saule, Saule, quid me persequeris? Ille torpore, & metu pressus, Quis (inquit) es? Vbi vero Iesum esse Nazarenum audiuit, cuius ipse nomen insectaretur, subita religione tactus venerabundus petiit, quid iuberet se facere. Pergeret porro ire responsum est: fore, vt quum Damascum, venisset, ibi audiret, quid facto opus esset. Stabant eius comites miraculo rei attoniti, cæterum Saulum se ægre attollentem per manus in vrbum deducunt. Fuit ille triduum Damasci nihil videns. Occurrit illuc Ananias cœlesti oraculo iussus ad eum ire, (erat is vnus ex Christi discipulis) ad cuius accessum confestim lux Saulo restituta est. Doctusque ab illo, quod a Deo optimo maximo electus esset ad Christianum dogma propagandum, paucis diebus, quibus Damasci fuit cum discipulis humiliter versatus, Christumque Nazarenum Dei filium asserere exorsus, confestim in se om-

nium oculos vertit. Mirari subitam in homine mutationem Iudæi, mirari vim dicendi, extemporalemque facultatem, nec erat in synagoga, qui disputanti illi resisteret: acceperat enim spiritum sanctum. Mox Damasco profectus, Christi nomen longe lateque prædicatione propaguit.

Ad laudes an. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. **Ad vesp. hym.** Doctor egregie. **vt supra. An.** Sancte Paule apostole, prædicator veritatis, & doctor gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

Die. 26. E Polycarpus episcopus martyr. Lectio tertia.

POlycarpus Ioannis apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ episcopus præfectus: probatissimis fuit moribus & ingenti doctrina, cuius magistros habuerat nonnullos apostolorum. Hinc propter quasdam de die Paschæ contentiones, Romam venit tempore Anacleti papæ, vbi multos a Valentini & Marcionis hæresi ad rectam fidem reuocavit, rebusque cum Anacleto compositis Smyrnam rediit, ibique per aliquot annos ecclesia sanctissime administrata, Marci Aurelij persecutione in Christianos per totam Asiam sæuiente, accusatus, & comprehensus, cum ad tribunal Proconsulis se Christianum esse constanti animo profiteretur, nec posset minis deterreri, vniuersa multitudinem Gentilium. & Iudæorum id clamoribus efflagitante, a proconsule damnatur, vt viuus igne combureretur. Sed in rogum, vinctus post tergum manibus iniectus, permanebat illæsus. Flamma enim in modum cameræ curuata, quasi velum naus vento sinuante corpus martyris tegebat, potius quam adureret. Quo animaduerso sceleris

ministri, corpus, cui flammæ pepercerant: iubent gladio a carnifice transfodi. Quo facto beatissimi martyris spiritus vinculis corporis solutus ad Deum euolauit. Passus est autem annum agens. lxxxvj. septimo Calendas Februarij.

Die. 27. F Ioannes Chrysostomus episcopus confessor. Lectio. iij.

IOannes Chrysostomus Antiochiæ natus, cum esset liberalibus artibus eruditus, relictis forensibus, & secularibus studijs, quibus ab ineunte ætate vacauerat, totum se sacrarum literarum studio tradidit. Ergo a Meletio Antiochiæ episcopo lector & diaconus, & ab Euagrio illius successore sacerdos ordinatus, tum doctrinæ, tum sanctitatis nomine omnium voce celebrabatur. Qua fama motus Arcadius Imperator ipsum ex Antiochia accersiri iubet, vt Nectario Constantinopolitano episcopo mortuo succedat. Suscepto autem episcopatu, cum vitia clericorum partim exemplo, partim etiam verbis, & legitimis pœnis insectaretur, magnam ipsorum in se inuidiam concitauit. Eudoxiæ quoque Augustæ ob Seuerianum Gabaliensem episcopum, a se tanquam hæreticum vrbe pulsum, magnum odium incurrit, erat enim Seuerianus Eudoxiæ intimus & familiaris, quam ob rem eadem contra Ioannem quorundam episcoporum concilium cogendum curauit, ad quod velut hostile cum Ioannes vocatus ire recusasset, damnatus est, & in exilium missus: sed paulo post coorta in vrbe ob id magna seditione, ab exilio reuocatus est. Cui redeunti populus cum magna gratulatione frequentissimus occurrit. Deinde cum in diuæ Sophiæ foro ante Augustæ argenteam imaginem ludos agi vetuisset, rursus irata Eudoxia, quasi factum id fuisset in suam con-

tumeliam, dat operam, vt Ioannes ab inimicis episcopis vrbe pellatur. Ad quod synodo coacta, hoc modo prætentata causa, quod post priorem depositionem sine concilij decreto in sede resedisset, damnatus iterum mittitur in exilium. Aquo dum iubente papa Innocentio ex concilij, quod Romæ coegerat, decreto reuenteretur, mortuus est multis calamitatibus, propter ecclesiam, & morum corruptionem exhaustis: multisque libris mira doctrina, & eloquentia sanctitateque conscriptis. Obiit autem. xvij. Calend. Octob. Quo die vehemens grando Constantinopolis, suburbanis magnum detrimentum inuexit. Quod creditum est euenisse propter iniustam Ioannis damnationem. & eam opinionem confirmauit mors Augustæ post. xix. diem secuta. Itaque postea corpus eius Theodosius Archadij filius Constantinopolim transferendum, ac religiose sepeliendum curauit. vj. Calendas Februarij.

Die. 28. G Lucianus presb. m. L. iij.

Maximini imperatoris persecutione in Christianos per vniuersam propemodum Asiam, præsertim Antiochiæ sæuiente, Lucianus presbyter Antiochensis continentia, & eruditione singulari, vita & studiis semper martyr comprehensus est. Cunque ad tribunal fuisset constitutus, increpatus a iudice, quod vir prudens sequeretur sectam, cuius non posset reddere rationem: data sibi facultate dicendi, tam eloquenter, sapienterque de fide disseruit, vt iam inciperet asstantibus suam disciplinam persuadere. Quo iudex animaduerso, iubet eum in carcerem retrudi, & ibi absque populi tumultu necari. Sepultus est autem Helenopoli Bithyniæ: quam vrbem, cum prius Drepana vocaretur, in honorem

præfati martyris Constantinus Imperator instaurauit, & ex nomine Helenæ matris nuncupauit: Passus est autem septimo Idus Ianuarij.

Die. 29. A Paulus primus ere. L. iij.

PAulus, a quo primum eremus habitari cœpta est, ex Thebaide Ægypti vrbe orrundus, literis Græcis, & Ægyptiis apprime eruditus, parentibus amissis cum esset annorum. xvj. Decio Imperatore in Christianos sæuente, in solitudinem secessit. Vbi authore Hieronymo, qui vitam eius conscripsit, ad saxei montis radices, speluncam, quam vetus palma, & fons limpidissimus exornabat, ad vitam peragendam elegit, palma eidem obsonium, & indumentum tredecim annorum esset, a beato Antonio nonagenario in illa solitudine inuisitur. Quibus inter se iucundissime colloquentibus, coruus panem integrum ante ipsos de posuit. Tunc Paulus, Sexaginta (inquit) anni sunt, quibus dimidiatum semper panem accipio, nunc ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam, Tunc ad marginem nitidissimi fontis considentes, facta oratione, pane & aqua refectu, noctem peruigiles traduxerunt. Postridie Antonius cum Pauli mortem iustare ipso prædicente cognouisset, lachrymans ad monasterium suum reuertitur, relaturus pallium, quod ipsi dederat Athanasius ad Pauli corpus inuoluendum, vt ab ipso fuerat rogatus. Rediens autem vidit inter angelorum cateruas eius animam niueo candore refulgentem in sublimi conscendere, & statim cum gemitu & lachrymis exclamat, Cur me Paule deseris? cur insalutatus abis? & accurrens in speluncam cadauer inuenit genibus complicatus, erecta ceruice, extensis in altum manibus oranti sim-

ile. Quod cum moestissimus obuoluisset pallio, nec quo terram foderet haberet, ecce duo leones ex interiori parte solitudinis venientes, vnus hominis capacem locum effodere. Vbi humato corpore, ac tumulo composito, tunicam Pauli ex palmarum folijs contextam secum deferens, Antonius ad monasterium suum reuersus est.

Die. 30. B Iginus papa mart. L. iij.

IGinius papa natione Græcus, patria Atheniensis Antonino Pio imperatore pontifex factus, clericorum ordinem prudenter per gradus distribuit, instituitque, ne templa sine celebratione dedicarentur, neue augerentur numero, aut diminuerentur inconsulto metropolitano, vel episcopo. Item, ne tigna, reliquaue templorum materia in prophanos vsus conuerterentur. Præterea, vt vnus saltem patrimus, vnaque matrima infantibus adsint in baptismo. Postremo de ecclesia Dei optime meritus: cum mense Decembri ordinationes ter habuisset, creassetque presbyteros. xv. diaconos. v. episcopos sex, martyrio coronatus in Vaticano monte sepelitur. iij. Idus Ianuarij, cum sedisset annos. iij. menses tres dies. iij.

Die. 31. C Hilarius episc. conf. L. iij.

Hilarius natione Gallus propter ingentem eius doctrinæ ac sanctitatis opinionem magno totius populi consensu Pictauium, in regione Aquitanie episcopus creatur, quo munere sanctissime fungens Arrianam hæresim tum temporis vigentem insectatus est. Factione Saturnini Arelatensis episcopi de synodo Biterensi in Phrygiam relegatus, multos libros contra hæreticos confecit. Duodecim, aduersus Arrianos. Et item librum aduersus Valentem, & Vrsatium, historiam Arminen-

sis, & Seleuciensis synodi continentem, & alium contra Dioscorum, præter alia multa opera. Qui diu vexatus hæreticorum persecutione cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio Imperatori porrexisset, ipsius voluntate in Galliam rediit, quæ prouincia Hilario authore dolum Arrianæ perfidiæ damnauit. Claruit etiam multis miraculis: quorum illud in primis referitur, infantem sine baptismo mortuum vitæ ac matri ab ipso fuisse restitutum. Post varia igitur certamina ob fidem suscepta, sanctitate ac doctrina clarus, Idibus Ianuarij migrauit ad dominum.

FEBRVARIVS.

Die. 1. D Ignatij episc. mart. L. iij.

Ignatius Antiochiæ post Petrum tertius episcopatum sortitus Traiani tempore accusatus quod Christianus esset, ad bestias damnatur, Romam mittendus. Quo cum a Syria victus deportaretur, omnes Asiæ ciuitates, ad quas appulisset, euangelicis cohortationibus edocebat: remotiores etiam epistolis erudiens. In quarum vna, quam Smyrnæ, dum apud Polycarpum diuersaretur, ad Romanos scripsit: inter cætera hæc de sua damnatione refert, O salutare bestias, quæ præparantur mihi. Quando venient? quando emittentur? quando eis frui licebit carnibus meis? quas & ego opto acriores parari, ne forte (vt in nonnullis fecerunt) timeant contingere corpus meum. Nunc incipio discipulus esse Christi. Ignes, cruces, bestię, discerptiones membrorum, ac totius corporis pœnæ, & omnia in me vnum supplicia diaboli arte quæsita cumulentur, dummodo Iesum Christum merear adipisci. Romam igitur perductus, & bestiis expositus, cum iam a leonibus discerperetur, ardore mar-

tyrij moriens, in hæc verba prorupit: Frumentum ego sum Dei. Bestiarum dentibus molor, & fubigor, vt panis mundus efficiar Christo. Passus est autem Calend. Februarij. anno. xj. Traiani.

Purificatio Mariæ virginis duplex maius. Ad vespervas hym. Aue maris stella. &c. **An.** Senex puerum postabat, puer autem senex regebat, quem virgo peperit, & post partum virgo permansit, ipsum quem genuit adorauit.

Oratio.

Sempiternus Deus maiestatem tuam supplices exoramus: vt sicut vnigenitus tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eum.

Die. 2. E Ad matutinum inuita. Ecce venit ad templum sanctum suum dominator dominus: gaude, & lætare Sion occurrens Deo tuo. **Hym.** O gloriosa domina. **An.** Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

In illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem vt sisteret eum domino, sicut scriptum est in lege domini. ca. 2.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon: & homo iste iustus, & timoratus, expectans redemptionem Israel. Non solum ab angelis & prophetis, a pastoribus & parentibus, sed etiam a senioribus & iustis generatio domini accipit testimonium. Omnis ætas, & vterque sexus, euentorumque miracula fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth

prophetat, Magus adorat, vtero clausus exultat, vidua confitetur, iustus expectat. Et bene iustus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat: cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis absolui, sed expectans videre promissum, sciebat enim quia beati oculi qui eum viderent. Vide iustum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolui, vt incipiat esse cum Christo, dissolui enim, & cum Christo esse, multo melius. Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Hierusalem, expectet Christum domini, accipiat in manibus Verbum Dei, complectatur quibusdam suæ fidei brachiis. Tunc dimittetur, vt non videat mortem, qui viderit vitam. **Ad laudes ana.** Cum inducerent puerum Iesum parentes eius accepit eum Simeon in vlnas suas, & benedixit Deum dicens, Nunc dimittis seruum tuum in pace. **Ad ves. hym.** Ave maris stella. **Ana.** Hodie beata virgo Maria puerum Iesum præsentavit in templo, & Simeon repletus spiritu sancto accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum in æternum.

Die. 3. F Blasius epis. mar. L. iij.

Blasius cum Sebastæ, quæ ciuitas est Cappadociæ, sanctimonia polleret, electus est a Christianis eiusdem ciuitatis episcopus, Diocletiano imperatore. Sed persecutione in Christianos inualescente, in speluncam Argei vicini montis confugit, ibique tandiu latuit, donec ab Agricolæ præsidis militibus in eo monte venantibus est reperi- tus. Cuius præsidis iussus captus & in vincula coniectus est, atque inde multos ægrotantes, qui ad ipsum afferebantur, sanauit. Et in his puerum iam conclamatum, spina strangulante, quæ transuersa in gutture ipsius in- hæserat. Productus autem Blasius ad

præsidentem semel & iterum, cum diis sacrificare renuisset, primum virgis cæsus est, deinde ferreis pectinibus in eucleo laniatus, postremo capite plexus martyrio coronatus tertio nonas Februarij.

Die. 4. G Phileas episcopus, & Philoromus martyres. Lectio. iij.

Phileas nobili loco natus Thmuis vrbe Ægypti egregie liberalibus disciplinis eruditus, & magnus honoribus in republica Romana functus, cum se totum ad veram Christi philosophiam traduxisset, propter multa documenta, & ingentem sanctitatis eius opinionem, magno suorum ciuium consensu episcopus efficitur. Quo munere per annos aliquot sanctissime functus, demem sub Diocletiano imperatore in vincula coniectus est: vbi gregium librum de laudibus martyrum conscripsit. Qui flentibus propinquis ac miserabiliter deprecantibus ne se liberosque suos, & familiam perditum iret, nullos se propinquos habere respondit, nisi Apostolos & martyres Dei. Ita cum neque horum, neque præsidis monitis a pio instituto reuocari potuisset, capitali sententia damnatur cum Philoromo centurione. Qui conantibus & iudice, & propinquis a vera pietate Phileam summouere, exclamauerat, Quid frustra constantiam fortissimi viri tentatis? Cur eum cogitis negare Deum, vt hominibus obsequatur? Quomodo potest terrenis lachrymis flecti, cuius oculi cœlestem iam gloriam contuentur? Itaque a turba furente comprehensus, iussu præsidis martyrio, vna cum Philea coronatur, pridie Nonas Februarij.

Die. 5. A Agatha virg. mar. L. iij.

Decio imperatore, Quintianus Sili- ciæ præses captus amore nobiliss atque egregia forma virginis Agathæ

in vrbe Catana cum ipsam Christianam esse, & sanctæ pudicitiae cognouisset, capi eam iubet prætenta superstitionis causa. Ipsamque Aphrodisiæ cuidam septem filiarum meretricum matri & lenæ turpi consuetudine deprauandam tradit. Sed post diem trigesimum, cum Agatha meretriciam turpitudinem multo magis exosa sanctior ac in virtute constantior persistere nuntiaretur, produci eandem ad se Quintianus, optareque iubet, diisne sacrificare mallet, an supplicia ingentia subire? Quæ cum nullis suppliciis a fide Christi se posse summoueri respondisset, alapis vehementer cæsa in carcerem truditur. Ac postridie cum eodem animo perseueraret, in eculeo cruciatur, torta primum, ac deinde abscissa mamilla. Quo patientissime tolerato, post diem quartum acutis testulis, & substratis carbonibus imponitur, & volutatur. Hoc dum fieret, magnus terræmotus urbem concussit, quo paries corruens Siluinum & Falconium præsidis domesticos oppressit. Itaque ciues timore perculsi magno clamore in Quintianum, damnata eius in virginem sæuitia, concitantur. Tunc vero Agatha in carcerem retrudi iubetur, quo cum esset semimortua reducta, Deum vt suam animam reciperet precata, ex hac vita migravit Nonis Februarij. *Oratio.*

DEus, qui inter cætera potentiae tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti: concede propitius: vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per do.

Die. 6. B Dorotheæ virg. & mar.

Die. 7. C Adauctus & soc. mar. L. iij.

TEmpore Diocletiani, & Maximiani Imperatorum sæuiente in Chris-

tianos persecutione, ciuitas quædam Phrygiæ, quæ publice & magno ciuium omnium consensu Christi fidem profitebatur, cum nulla ratione adduci posset, vt Deos alienos adoraret, obesssa ab impiorum exercitu, vniuersa sine vllo sexus, aut ætatis discrimine incendiatur, tanta impiorum crudelitate, vt nullus omnino ciuis huic vrbis calamitati superfuerit. Cuius beati numerosique martyrij simul ab vniuersa ciuitate suscepti, author & dux extitit vir pietate, & religione, magnitudineque animi clarus Adauctus Italus natione. Qui multis honoribus reipublicæ functus, tum quoque publicum munus in illa vrbe administrabat. Huius enim in confessione Christi constantiam omnis populus sequutus est, eoque duce clarissimi martyrij palmam adeptus. vij. Idus Februa.

Die. 8. D Cointha vir. mar. L. iij.

Alexandriæ Decio Imperatore tanta in Christianos persecutio exorta est, vt nullum fidelibus iter nec die: nec nocte pateret. Nam quicumque a furente populo comprehensus esset, indicta causa vel pedibus trahebatur ad mortem, vel igni succendebatur. Cum igiru dæmonum stimulis exagitatum vulgus nihil aliud, quam piorum sanguinem sitiret, Cointham virginem nobliem correptam, & Deos adorare recusantem, imo potius excrantem, vinctis pedibus per omnes vrbis plateas trahunt, fœdoque & horrido supplicij genere discernunt. vj. Idus Februarij.

Die. 9. E Apollo. virgo mar. L. iij.

APollonia virgo in vrbe Alexandrina sæuiente in Christianos tempore Decij imperatoris persecutione, cum iam in senili ætate a furente populo correpta, & ad idola perducta adorare re-

cusasset, dentes ei primum effossi sunt omnes, deinde congestis lignis, incensoque rogo combusturos se minantur carnifices viuam, nisi Christum detestata, Deos alienos adoraret. At illa in fide Christi constantissime perseuerans, crudelissimam mortem subire maluit, quam a vera pietate discedere. Itaque corpore sæuissimis flammis absumpto, inuictus spiritus in cœlum ad martyrij coronam euolauit. v. Idus Februa.

Die. 10. F Scholastica virgo.

Die. 11. G Prisca virgo marty. quæ fuit. 18. die Ianua. Lectio. iij.

PRisca nobilis Romana decimotertio ætatis suæ anno, quod Christianæ fidei esset accusata, iussu Claudij imperatoris ad templum Apollinis ducitur, vt dijs immolaret: quod cum facere recusaret, alapis cæsa, in carcere truditur. Educta postridie cum in Christi confessione nihilominus persisteret, flagellis verberata, feruenti adipe toto corpore perungitur, ac rursus in carcerem retruditur. Die tertia in amphitheatrum perducta, exponitur immanissimo leoni, qui ad pedes eius mansuetus se proiecit. Tunc in ergastulo virgo reclusa, triduo inedia maceratur. Deinde eculo suspensa, & vngulis ferreis exarata, in rogam mittitur: a quo tamen diuina ope incolumis euasit. Tandem extra vrbem educta capitis absensione martyrio coronatur. Cuius corpus, a Christianis sublatum, via Ostiensi, miliario ab vrbe. x. sepelitur. xv. Calendas Februarij.

Die. 12. A Eulalia virg. marty.

Die. 13. B Propter quod. 600.

Die. 14. C Valentinus marty.

Die. 15. D Faustinus & Iouita mar.

Die. 16. E Iuliana virgo mart.

Die. 17. F Deponentes. 601.

Die. 18. G Charissimi obse. 602.

Die. 19. A Gabinus marty.

Die. 20. B Similiter & mul. 603.

Die. 21. C Christo igitur. 604.

Die. 22. D Fit de Cathedra Antiochena Petri apostoli, du. ma. vt supra in mense Ianua. fo. 623.

Die. 23. E Seniores ergo. 605.

Mathias apostolus dup. maius. Notandum quod in anno bissextili hoc festum celebratur die vicesima quinta Febr. vt sup. dictum est in regulis generalibus quod fit quarto quoque anno, & fuit. 1564. Oratio.

DEus, qui beatum Mathiam apostolorum tuorum collegio sociasti, tribue quæsumus, vt eius interuentione tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus. Per. *Lectio tertia.*

Mathias de numero septuaginta discipulorum ascitus est in Apostolatum in locum Iudæ proditoris. Nam post Christi ad patrem ascensum Petrus apostolus in medio discipulorum Christi circiter. cxx. consistens, Oportet (inquit) viri fratres impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum: qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem: ita vt appellaretur ager ille, lingua eorum Haceldema, hoc est ager sanguinis. Scriptum est enim in libro psalorum, Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit &

exiuit inter nos dominus Iesus, incipiens a baptisate Ioannis vsque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, & cognominatus est Iustus: & Mathiam. Atque orantes dixerunt, Tu domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis: & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim apostolis. Mathias igitur (vt quidam tradunt) cum in Macedonia primum, deinde in Iudæa verbum Dei latissime disseminasset, multosque prædicatione, & consequentibus signis ad Christi fidem conuertisset, a Iudæis id ægre ferentibus, comprehensus, lapidibus pene obrutus est, ac postremo securi percussus sexto Calendas Martij.

Die. 25. G Paulus & Thim. 547.

Die. 26. A Mihi enim. 548.

Die. 27. B **Iulianus & Eunus martyres.**
Lectio tertia.

INeunte principatum Decio Imperatore tam vehementer in Christianos sæuitum est, vt iuxta verbum domini scandalizarentur propemodum etiam iusti. Cum igitur Alexandriae suppliciorum immanitate quidam perterriti fidem negassent, plerique tamen spiritu domini confirmati, admiranda martyrij sui spectacula præbuerunt. In primisque Iulianus venerabilis senex podagra laborans, vt neque incedere posset, neque stare, qui cum duobus ministris Christianis, a quibus sella portabatur ad iudicem constitutus, nullis minis potuit nec ipse nec alter ministro- rum Eunus nomine a vera pietate &

Christi confessione deterreri. Perseuerantes ergo, iubentur camelis impositi per totam urbem circumduci, & flagris hincinde populo spectante vsque ad mortem laniari. Et sic martyrio coronati sunt tertio calendas Martij.

Die. 28. C Itaque charissi. 549.

MARTIVS.

Die. 1. D De cætero fratres. 551.

Die. 2. E Itaque fratres mei. 552.

Die. 3. F **Emetherius, Celedonius & Asterius marty.** **Lectio. iij.**

EMetherius & Celedonius apud regionem Hispaniæ ciuitatem exurgente persecutionis procella, ob Christi fidem plurimis tormentis afflictis, Calagurium inde perducti sunt, atque ibi capitis abscissione martyrij palmam sunt consecuti. Asterius patria Romanus ordinis senatorij, illustris familia gloriaque rerum gestarum fuit: sed Christiana pietate & magnis in virtute Christi miraculis editis clarior. Quorum illud in primis memoratur. Apud Cæsaream Philippi in radice montis Panij vbi oritur Iordanis fluuius veteri gentis illius instituto immolabatur solenni quodam die victima, quæ dæmonis præstigiis repente sublata, in cælum efferri credebatur. cui spectaculo cum forte Asterius interesset, & omnes videret attonitos specie miraculi, publicum errorem miseratus, Deum fuis lachrymis exorauit, vt præstigias diabolicas detegeret. Itaque protinus victima flumine deferri cunctis astantibus conspecta est, ac mentes ipsorum errore pernicioso liberatæ. Hic cum in vrbe Cæsarea Palæstinæ martyrio interfuisset beati militis Martini, corpusque illius humeris ad sepulturam efferret, abstractus ab infideli populo, in fide constans glorioso martyrio coronatur. v. Non. Martij, Valeriano &

Galieno imperatoribus.

Die. 4. G Lucius papa mar. L. iij.

Lucius patria Romanus Gallo, Volusiano, Galieno, & Valeriano Imperatoribus pontificatum gessit. Quorum temporibus tanta in Christianos sæuitia exorta est, vt paucae ipsorum domus, nedum ciuitates aut prouinciæ fuerint eius calamitatis expertes. Hic igitur Romam mortuo Volusiano, a quo relegatus fuerat, reuersus, constituit vt bini presbyteri ac terni diaconi episcopum vbique comitarentur, testes videlicet eius vitæ, actionumque futuri. Ordinationibus sacris ter mense Decembri habitis, presbyteros. iij. diaconos. iij. episcopos septem creauit. demum iubente Valeriano acerrimo Christiani nominis hoste, martyrium passus, in cœmeterio Calisti sepultus est quarto Non. Martij, cum sedisset annos tres, menses tres. Qui Valerianus meritas suæ impietatis pœnas mox dedit: nam paulo post Christianum nomen ab ipso vexari cœptum, in bello Persico victus est, viuusque venit in hostium potestatem. Apud quo tam miserabiliter in turpissima seruitute vixit, vt quoties Pacorus Persarum rex equum ascenderet, velut scabello dorso eius vteretur.

Die. 5. A Paulus apostolus. 585.

Die. 6. B Et vos cum. 586.

Die. 7. C Thomas confes. L. iij.

Thomas vir doctrina & sanctitate clarus, Aquini natus loco illustri ex comitum familia, patria vastata a Conrado imperatore, relictus est a profugis parentibus in cœnobia Casinensi monachis commendatus. Vbi aliquandiu literis studuit, ac religioni. Deinde monachus prædicatorum ordinis factus Alberto Magno præceptori operam dedit in conuentu

Coloniensi. Eoque processit eruditio- nis indefessa cura, & ingenij magnitudine, vt facile principatum obtinuerit in Gymnasio Parisiensi, vbi philosophiam, theologiam quam docuit cum maxima sua laude. tot libros de philosophia ac theologia doctissime conscripsit, vt lognum sit enumerare. Quorum summam theologicam quatuor libris, adhibita etiam quadam lima senex complexus est. Romam vero accersitus ab vrbano Papa spretis dignitatibus, quæ vltro ipsi a pontifice offerebantur, nulli rei præterquam lectioni, & scriptioni vacabat. Qui etiam viuens miraculis claruit. Sed iussus a pontifice Gregorio. x. Lugdunum ad concilium, quod ibi cogebatur, contendere, dum profectionem pararet febri correptus ad monasterium Fossam nouam appellatum, emigravit ad dominum anno Christi nati M.cclxxiiij. Non. Martij, suæ vero ætatis quinquagesimo. Quem postmodum Ioannes Papa vigesimuscundus sanctorum confessorum numero aggregauit.

Die. 8. D Videte ne quis. 587.

Die. 9. E Quadraginta milites martyres. Lectio tertia.

Apu'd Sebastem Armeniae minoris urbem tempore Licinij Imperatoris præside Agricola quadraginta milites christiani comprehensi post vincula & cruciatus custodibus impositis, in stagnum missi sunt, instante bruma, vt aqua nocturno frigore concretescente, constricta ipsorum corpora dirumperentur, apposito tamen balneo, quo pateret effugium, si quis eorum a confessione Christi discessisset. Itaque vnus frigoris vehementiam non ferens, negato Christo ad balneum confugit. Sed cum primum attigit calorem, expirauit. Quo perspecto, cæteri gra-

tia Christi recreati, in Dei laudes eruperunt. Circa horam vero tertiam noctis resplenduit velut sol lumen super eos, & glacies dissoluta est. Custodibus autem somno grauatis, solus custodiæ præfectus vigilabat, qui audiens orantes, miratusque lucem, ac glaciem resolutam: vidit super eos coronas descendentes numero triginta nouem. Tunc vero miraculo commotus expergefatis sociis, proiecit vestimenta in facies eorum, & exiliuit in stagnum, clamore se Christianum esse professus. Cum autem illuxisset, & extracti fere omnes essent exanimes, igne combusti sunt, ac cineres in fluuium proiecti, vt per omnem creaturam eorum transiret certamen, vt vere possint vocem illam vsurpare, Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Passi sunt autem septimo Idus Martij. **Oratio.**

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui gloriosos martyres fortes in tua confessione cognouimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per do.

Die. 10. D Die. 11. G De feria.

Die. 12. A Gregorius papa confessor du. mi. an. O doctor. Oratio.

DEus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contulisti: concede propitius, vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur, eius apud te precibus subleuemur. Per.

Lectio tertia.

Gregorius patria Romanus ex ordine senatorio, magno omnium consensu inuitus etiam cum monachus esset atque leuita, pontifex creatur anno Domini Dc. xix. Qui sic vixit, vt clarissimum exemplum reliquerit successoribus suis, vel morum sanctitatis,

vel diligentiae in rebus agendis, vel doctrinæ, quam variis scriptis ostendit, quæ multa & præclara posteritati reliquit. Hic instituit vt Kyrie eleison nouies in ecclesia caneretur. Item vt cantaretur Haleluiah, præterquam a Septuagesima vsque ad Pascha. Idem in canone redegit illud, Diesque nostros in tua pace disponas. Necnon supplicationes maiores, quas Græci litanias vocant: & Stationum magnam partem instituit. Ab hoc probis doctisque viris ad prædicandum euangelium missis, Angli fidem Christi integre publico consensu, acceperunt. Eiusdem potissimum opera Gotthi ad catholicam fidem ex Arriana secta rediere. Hic paternam domum in monasterium conuertit, vbi pauperes peregrinos alebat. Obiit anno sui pontificatus. xij. mense. vj. quarto Idus Martias, sepultusque est in basilica beati Petri.

Die. 13. 14. 15. 16. 17. 18. de feria.

Die. 19. Ioseph confes. du. mi. oratio.

Soncede quæsumus omnipotens Deus, vt beati Ioseph vnigeniti filij tui matris sponsi intercessione, ab omnibus aduersitatibus liberemur. Per eun.

Ex homilia sancti Bernardi super Misus est. Lectio tertia.

Missus est angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galileæ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph: Virum nominat, non quia maritus, sed quia homo virtutis erat, vel potius quia iuxta alium euangelistam non vir simpliciter, sed eius dictus est. Merito enim appellatur, quod necessario putatur. Debit igitur vir eius appellari, quia necesse fuit & putari, sicut & pater saluatoris non quidem esse, sed dici

meruit vt putaretur esse, dicente hoc ipso Euangelista. Et ipse Iesus erat incipiens quam si annorum triginta vt putabatur filius Ioseph. Nec vir ergo matris, nec filij pater extitit, quauis certa (vt dictum est) & necessaria dispensatione vtrumque ad tempus & appellatus sit & putatus: coniiice tamen ex hac appellatione, qua licet dispensatorie meruit honarari a Deo vt pater Dei & dictus & creditus fit. Coniiice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari, quis & qualis fuerit homo iste Ioseph: simul & memento magni illius quondam patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istem non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptem, innocentiam assecutum & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfigurauit. Iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiens, Christum in Ægyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans, dominæ noluit commiseri. Iste dominam suam domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit.

Die. 20. B De feria.

Die. 21. C Benedicti abba. duplex minus. Lectio tertia.

Benedictus ex Nursia ciuitate claris parentibus ortus, & Romæ liberalibus disciplinis eruditus, ab ipsa infantia Christum egregia pietate coluit, & miraculis claruit. Quod vt faceret expeditius, in solitudinem & specum quandam profundam, ad locum qui dicitur Sublacus, secessit. Vbi triennio latuit cunctis hominibus incognitus præter Romanum monachum, qui ei necessaria subministrabat. In qua solitudine cum die quodam diabolica tentatione ardore libidinis vrere-

tur, se in spinis & vepribus nudum volutauit, donec cruentus & laceratus tentationem superaret. Deinde vocatus a quibusdam monachis, vt ipsorum monasterio præset, quidam ipsorum dissoluti cum paulo seuerius ab eo tractarentur, ipsum venanato vino necare constituerunt. Quod cum ei in poculo vitreo porrigerent, ille rem diuinitus agnoscens, solo signo crucis manufacto, vas intactum mirabiliter confregit. Et dimisso monasterio ad solitudinem remeauit. Quo cum multi discipuli conuenissent, duodecim monasteria construxit, quæ optimis institutis, exemplo sanctitatis, multis etiam sequentibus signis & miraculis fundauit, monachorumque regulam prudentissime ac luculenter scripsit. Obiit autem diem suum, quem multo antea præcognouit. 12. Calend. Aprilis.

Die. 22. 23. 24. De Feria.

Die. 25. G Annuntiatio Mariæ virginis dup. ma. Ad ves. hym. Aue maris stella. Antiphona.

AIssus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Ioseph. Oratio. Deus qui de beatæ Mariæ virginis vtero. vt in sabbatis aduentus. Ad matu. inui. Aue maria gratia plena, Dominus tecum. Hymnus. Quem terra. Antiphona. Spiritus sanctus in te descendet Maria, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Lectio. iij Missus est Angelus Gabriel. Ad laudes antiphona. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud dominum: ecce concipies, & paries filium, Haleluiah. Ad vespe. hym. Aue maris stella. Antiphona. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Supradicta inuenies in officio eiusdem

virginis pro sabbatis Aduentus assignato.

Die. 26. 27. 28. 29. de feria.

Die. 30. E Igitur si consur. 588.

Die. 31. F Domini quod. 589.

APRILIS.

Die. 1. G Paulus & Silua. 180.

Die. 2. A Ideo & vos. 182.

Die. 3. B Pancratius martyr.

Die. 4. C Isidorus episc. confes. L. iij.

Isidorus natione Hispanus ex noua Carthagine, cui pater ipsius Seuarianus dominabatur, a sanctis viris Leandro archiepiscopo Hispalensi, & Fulgentio episcopo Astigitano fratribus suis sancte & liberaliter in studio literarum educatus est, & ingentem doctrinam Latine, Græce, atque Hebraice cum magna nominis claritate consequutus. Hic adolescens adhuc hæresim Arrianam, quæ gentem Gotthorum Hispaniæ latissime dominantem penitus iam pridem inuaserat, tam constanter palam arguebat, vt prope fuerit vt ab Arrianis necaretur. Sed cohibitus a Leandro hunc sibi successorem fore præsagiente, & vt se commodiori tempori reseruaret admonitus, indignationem temperauit. Igitur Leandro vita functo, Isidorus magno regis & populi consensu in Hispalensi archiepiscopatu sufficitur. Quam electionem sanctus Gregorius Papa confirmauit, eique pallium misit in Hispaniam. Fuit autem Isidori tanta doctrinæ ac sanctitatis opinio, vt coacto concilio generali, vltro fuerit a pontifice maximo vocatus, vbi mirum est, quantum ponderis & authoritatis habuerit in singulis rebus Isidori sententia apud pontificem, & omnes prælatos. Reuersus autem in Hispaniam, cum suam mortem & Hispaniæ vastationem a Saracenis publice prædixisset, migravit e vita pri-

die nonas Aprilis, anno Christi nato sexcentesimo vigesimo secundo, sepultusque fuit Hispali. Vnde postea translatus est in vrbem Legionem a Fernando rege Legionem qui hoc ab Eneto Saraceno Hispali regnante magnis precibus & præmiis impertrauit. Cuius nomine templum ædificatum est Legionem, vbi sepultus, miraculis clarus, colitur magna populi religione.

Die. 5. D Vincentius confes.

Die. 6. E Xystus papa mart. L. iij.

Xystus papa, qui patria Romanus fuit, ecclesiæ præfuit ab Adriani Imperatoris tempore vsque ad Verum & Anniculum consules. Qui curam præcipuam (vt par erat) rei diuinæ gerens, constituit ne quis præter ministros sacrorum, mysteria & vasa sacra contingeret, præsertim fœmina. Item vetuit lege, Ne, quod sacerdotes corporale vocant, ex alio, quam ex lineo panno, eoque purissimo fieret. Huius fuit institutem, ne episcopus, qui ad sedem apostolicam fuisset ob aliquam causam, siue controuersiam vocatus, ad ecclesiam suam prius reuertetur, quam literis apostolicis, vel formatis plene fuisset instructus, atque purgatus, vt postquam fuisset domi reuersus, cognoscerent vicini, quemadmodum Romæ ipsius, aliorumque causa discussa fuisset. Vtque in missa cantaretur, Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus sabaoth. Xystus denique vbi ordinationes ter mense Decembri habuisset, martyrio coronatus in Vaticano. viij. Idus Aprilis sepelitur, cum sedisset annos. x. menses tres, dies. xxj.

Die. 7. F De cætero ergo fr. 183.

Die. 8. G De Dionysius epis. confes.

Die. 9. A De temporibus. 184.

Die. 10. B Paulus & Silua. 186.

Die. 11. C Leo primus papa confessor. Lectio tertia.

Leo papa natione Thuscus patre Quintiano, eo tempore pontificatum gessit, quo Attila rex Hunnorum flagellum Dei appellatus, Aquileiam primo in Italiæ limite positam, post longam trennij obsessionem captam diripuit, atque incendit. Vnde Romam infestis signis progredienti, & copias, qua Mincius Padum influit, traicere paranti, Leo pontifex vir sanctissimus occurrit, & ne vltra progrediretur ope diuina mirabiliter persuasit. Attila enim non tam Leonis oratione se ab instituto reuocatum esse incusantibus amicis testatus est, quam duorum virorum autoritate, qui loquente Leone, sibi visi essent, strictis gladiis necem, nisi paruisset, intentates. Hi autem Petrus & Paulus apostoli fuisse crediti sunt: Ita factum est, vt Attila in Pannoniam exercitum reduceret, Leo Romam cum magno triumpho rediet. Vbi totus ad confirmandam, tuendamque catholicam fidem conuertitur: quæ tum potissimum a multis hæreticis impugnabatur, præcipue a Nestorianis, & Eutyichianis, qui in concilio Chalcedonensi tunc celebrato damnati sunt. Vbi & Manichæorum libri fuerunt incensi. Interim vero cum Vandali Romam diripuissent, ac templa spoliassent: vrbis ac templorum reparationi mirum in modum intentus, multis præclarissimisque rebus gestis moritur, & in Petri Basilica: sepelitur. iij. Idus Aprilis, cum sedisset annos vnum & viginti, mensem vnum, dies. xiiij. **Die. 12. D Rogamus autem. 186.**

Die. 13. E Iustinus Philosophus martyr. Lectio tertia.

Iustinus Neapolitanus in Palæsthina philosophus fuit Platonicus. Qui

factus Christianus plurima studiorum suorum monumenta pro fide Christiana posteritati reliquit. Et in his apologeticum librum pro Christianis ad Antoninum Pium, & alterum ad successorem huius Antoninum Verum. Item duos libros contra paganos. Hic cum in vrbe Roma frequenter pro fide Christi disputasset, & Crescentem quendam Cynicum (moribus & professione vere canem) multa in Christianos conuitia iactantem sæpe redarguisset, ab eodem accusatus, quod Christianus esset, capiteque samnatus martyrio coronatur. Quod ita futurum martyr ipse prædixerat in defensione secunda, quam pro Christianis ediderat. Passus est autem imperantibus Marco Aurelio Vero & Antonino eius filio Idibus Aprilis.

Die. 14. F Valerianus, Tyburtius, & cæteri marty. Lectio. iij.

Valerianus genere Romanus, & idem nobilissimus tempore Marci Aurelij Antonini imperatoris Ceciliam sibi æque nobilissimam accepit vxorem, cuius impulsu atque precibus (erat enim ab ineunte ætate fidem edocta) ad Christianam religionem reiectis idolis conuersus est, & a sancto Vrbanò Papa baptizatus. Quem Tyburtius eius germanus imitatus, ab eodem Pontifice baptizatur. Almachius igitur præfectus, & Christianorum sæuissimus hostis, cum hos esse Christianos, & patrimonium iam omne pauperibus erogasse cognuisset, eosdem ad se vocat & acriter increpat. Et post longam de fide Christi, deque culut idolorum disputationem inter ipsos vltro citroque habitam, ad Iouis simulachrum eosdem deduci iubet aut sacrificaturos, aut aliquo mortis genere quam immanissime interituros. Illi vero in confes-

sione Christi perstantes, & paratam sibi & fidelibus floriam prædicantes, mortem impietati prætulerunt. Itaque extra urbem educti ad quartum lapidem. xvij. Calend. Maij cum summa fidei constantia trucidantur. Quam demiratus Maximus vir nobilis, qui horum decollationi præfuit, cum nonnullis satellitum conuersus est, & propter Christi confessionem omnes vsque ad necem plumbatis cæsi, eoque supplicij genere martyrio coronati sunt, & ad dominum inuictissimi commigrarunt.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui sanctorum martyrum tuorum Tyburtij, Valeriani & Maximi solennia colimus, eorum etiam virtutes imitemur. Per do.

Die. 15. G De cætero. 188.

Die. 16. A Paulus apostolus. 171.

Die. 17. B **Anicetus papa mart.**

Die. 18. C **Apollonius Senator martyr.**

Lectio tertia.

APollonius Romanæ urbis Senator non solum opibus, sed liberalibus etiam disciplinis, ac morum integritate clarus, ad Christum conuersus Lucio Aurelio Commodo Imperatore, Christianæ pietatis egregius cultor fuit, cum iam persecutio sublata esse videretur, lege promulgata, Ne Christiani quærentur ad pœnam, sed oblati duntaxat punirentur, pœna etiam mortis delatoribus proposita. In ea igitur Christianorum tranquillitate, Apollonius a seruo proditus, & apud Perennium iudicem accusatus, fidei suæ rationem reddere iubetur, sumpta pœna legitima de seruo delatore. Cum ergo in signe volumen in defensionem Christianæ fidei a se compositum in senatu publice legisset, senatusconsulto damnatus est: & pro Christi constanti

confessione capite truncatus. xiiij. Calend. Maij. Lex enim erat, Ne Christiani facti rei absque Christiani facti rei absque Christi abnegatione dimitterentur.

Die. 19. D Et vos cum esset. 173.

Die. 20. E Huius rei gratia. 174.

Die. 21. F Obsecro itaque. 175.

Die. 22. G **Caius papa mar. L. iij.**

CAius papa natione Dalmata ordines distinxit, quibus gradatim ad episcopatum ascenderetur. Quorum primum tenet Ostiarius, alterum Lector, tum Exorcista, sequitur Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, presbyter, Episcopus. Idem constituit, ne cui prophano sacris initiatum, nec pagano vel hæretico liceret Christianum hominem in iudicium vocare. Item vt nemo episcopum, aut clericum apud seculares iudices accusaret. Postremo orta in Christianos tempore Diocletiani persecutione maxima, cum in subterraneis locis diu vitans impiorum furorum latuisset, captus a persecutoribus vna cum Gabinio fratre, eiusque filia Susanna martyrio coronatur. x. Calend. Maij, & in cœmeterio Calisti via Appia sepelitur, cum sedisset annos. xj. menses. iij. dies. xij.

Die. 23. A **Georgius martyr.**

Die. 24. B Renouamini. 177.

Die. 25. C **Marcus euangelista dup. ma. Ad Vesperas & Matu. Hymni, Antiphonæ, & Inuit. dicuntur de communi Apostolorum. Oro.**

DEus, qui beatum Marcum Euangelistam tuum euangelicæ prædicationis gratia sublimasti, tribue quæsumus, eius nos semper & eruditione proficere, & oratione defendi. Per. **Lectio. iij.**

MArcus discipulus & interpres Petri, quemadmodum Petrum

referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus breue scripsit euangelium. Quod cum Petrus audisset probauit: & ecclesiæ legendum suam auctoritate tradidit, vt testatur Clemens presbyter ecclesiæ Alexandrinæ. Marcus igitur assumpto, quod scripserat, euangelio, perrexit in Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuntians, constituit ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Tandem cum ecclesiam a se optime constitutam octo annos sanctissime rexisset, ibidem mortuus est, & sepultus. vj. Calend. Maij, octauo Neronis anno. Corpus autem eius post aliquot ætates, Venetias translatum est.

Die. 26. D Cletus & Marcellinus papæ martyres. Lectio. iij.

Cletus patria Romanus tempore Vespasiani adhortante Clemente pontificatum suscepit inuitus. Qui cum nihil, quod ad ecclesiam Dei augendam pertinere arbitraretur prætermisisset, creatis (vt præceperat Petrus.) xxv. presbyteris ab ecclesia optime constituta, Domitiano Imperatore martyrio coronatur, & in Vaticano sepelitur. vj. Calend. Maij. cum sedisset annos. xij. mensem. j. dies. xj. Marcellinus pontifex patria Romanus in persecutione Diocletiani & Maximiani sæuissima, minis perterritus simulachra deorum adoruit. Sed non multo post magna pœnitentia ductus, Sinuesam (vbi concilium. clxxx. episcoporum coactum erat) squalidus & cilicio indutus peruenit: seque ab eis petit pro inconstantia & scelere commisso pœnis meritis puniri. Cæterum a nemine damnatus est, cunctis acclamantibus, eadem animi infirmitate Petrum deliquisse, qui veniam a Deo similibus

lachrymis fuisset assecutus. Tunc Romam reuersus Diocletianum adit, & quod se scelestissime ad tantum nefas impulsisset increpat, eius damnans impietatem. Quibus ille iratus, iubet ipsum cum aliis Christi fidelibus abstrahi ad supplicium. vj. Calend. Maij. Quorum occisorum corpora. xxxvj. dies iussu eiusdem iacuerunt insepulta, donec Marcellus admonitus in somnis a beato Petro, eadem condidit in cœmeterio Priscillæ. Sedit autem Marcellinus annos nouem menses duos, dies sexdecim.

Die. 27. E Anastasius papa confes.

Die. 28. F Vitalis martyr.

Die. 29. G Petrus martyr ordinis Prædicatorum. Lectio. iij.

Petrus martyr patria Veronensis ordinis Prædicatorum, doctor eximius & catholicæ fidei acerrimus defensor, tanquam rosa de spinis ortus est, parentibus hæreticis, hæreticorum mirabilis insectator. Itaque & in adolescentia sua mundum, parentesque relinquens, ordinem prædicatorum ingressus est, in quo triginta annis laudabilem vitam perduxit. Cum igitur a Cumis profectus Mediolanum contenderet, missus a pontifice contra Manichæos anno Christi M. cclij. tertio Calend. Maij ab hæreticis interceptus, & occisus martyrij coronam adeptus est. Quo multa post mortem edente miracula plurimi hæreticorum ad gremium ecclesiæ rediere. Quam ob rem ab Innocentio Papa quarto catalogo sanctorum martyrum consecuto anno adscriptus est.

Die. 30. A Videte itaque. 178.

MAIUS.

Festum sanctorum apostolorum Philippi & Iacobi du. ma. Ad vesper. an. Domine ostende nobis patrem: &

sufficit nobis, Haleluiah. **Oro.**

Deus, qui nos annua apostolorum tuorum Philippi & Iacobi solennitate lætificas, præsta quæsumus, vt quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per dominum.

Die. 1. B Ad matutinum antiphona.

Tanto tempore vobiscum sum: & non cognouistis me, Philippe, qui videt me: videt & patrem meam, Haleluiah.

Lectio. iij.

Iacobus apostolus cognomento Iustus, frater domini voactus, Mariæ Cleophæ filius, sanctus fuit ab ineunte ætate, victu & cultu frugalissimus. Qui statim post Christi Ascensionem Ierosolymorum episcopus ab apostolis constitutus, eam ecclesiam annis triginta summa cum laude rexit. Rogatus autem a Iudæis vt in die Paschæ: quum plurima turba conuenire solebat, ex loco sublimi ad populum concionaretur, & a cultu Iesu, quem per errorem multi sequerentur, oratione & autoritate sua populares auerteret, pinnam templi conscendit. Vbi magna Iudæorum Gentiliumque astante multitudine, a Scribis & Pharisæis quid ipsi de Christo videretur alta voce rogatus, respondit, Quid me interrogatis de filio hominis? Ecce ipse sedet in cælo a dextris summæ virtutis. Et ipse venturus est in nubibus cæli. Quo sermone audito, Scribæ & Pharisæi conclamant, Proh, iustus etiam errauit. Ascenderuntque, & præcipitauerunt eum, & lapidibus obruere cœperunt. Ille vero conuersus, & super genua procumbens, quæ illi ob assiduum orandi vsum in camelorum speciem occalluerant, pro ipsis orabat: donec vecte fullonis capite comminuto, spiritum emisit Calendis Maij. Quo in loco prope templum est

sepultus. Philippus apostolus quum annos circiter viginti euangelium in Scythia prædicasset, omnemque, fere gentem illam ad veræ pietatis cultum traduxisset, ab infidelibus tractus ad Martis statuam, vt sacrificaret: draco inde repente exijt, qui pontificis filium certo impetu adortus, letaliter percussit, & mox duos tribunos, ac multi præterea ab eo afflati, confestim in pestiferum languorem inciderunt. Philippus autem percussam multitudinem affatus, Si quæ vobis dixero (inquit) sedulo curabitis, polliceor futurum, male affecti ad pristinam valetudinem, & qui mortui sunt diuina virtute ad vitam reuocentur: pestiferque serpens statim abigatur. Et rogantibus quid opus esset facto, Ite (inquit) & dæmonis huius, quem colitis simulachrum deiicite, locumque vnde illud demoliti fueritis, signo crucis insignite: idque in Christi Nazareni memoriam mecum supplices adorate. Facessunt Scythæ pium opus, quo rite procurato, & qui defuncti fuerant reuixere, & per nicioza pestis illa procul discussa est, neque vquam postea visus draco. His Philippus, multisque aliis rebus diuinitus gestis, quum Hieropolim Phrygiæ ciuitatem venisset, ab Hebionitis cruci affixus & lapidibus obrutus est Calendis Maij. **Ad laudes antiphona.** Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrem nisi per me, Haleluiah. **Ad vesper. an.** Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque petieritis, fiet vobis. Haleluiah, haleluiah, haleluiah.

Die. 2. C Athanasius epis. conf. L. iij.

Athanasius episcopus vir omni virtutum genere & doctrina clarissimus, veræque religionis propugnator egregius, fuit natione Ægyptius,

Alexandriæ ortus. Qui ab Alexandro episcopo Alexandrino presbyter factus, ipsum secutus est ad concilium Nicenum. Vbi cum Arrium vehementer repressisset, maximum in se odium Arrianorum concitauit. A quibus postquam eidem Alexandro in episcopatu successit, difficile dictu est, quot insidias, quotque incommoda passus fuerit. Quorum nonnulla recensebimus. Coacto apud Tyrum concilio episcoporum magna ex parte Arrianorum, muliercula quædam ab eis subornata est, quæ Athanasius accusaret, quod a se hospitio susceptus, illata vi, pudicitiam eius violasset. Introduci ad hæc iubetur Athanasius, cum quo ingressus est Timotheus presbyter suus. Cumque mulier ea quæ edocta fuerat perorasset. Timotheus Athanasium se esse simulans: Egone (inquit) mulier apud te aliquando sum diuersatus, aut vim tibi, vt asseris, intuli? Tunc illa procaciter Timotheum obiurgans, Tu, inquit, mihi vim fecisti. Tu commaculasti castitatem meam, & ad iudices conuersa quæ diceret vera esse iurare cœpit, ignorans videlicet, eum a quo vim se perpressam mentitura subiciebatur. Et sic cum risu simul & indignatione muliercula reiecta est a iudicibus, & Athansius liberatus.

Aliud deinde intentatum est crimen. Arsenius Athanasij lector timens eisdem Athanasij, quem offenderat, castigationem, apud Arianum quendam latitabat. Qua occasione vtentes aduersarij, humanum brachium loculo delatum ostentabant, quod ex Arsenij corpore ab Athanasio abscissum est in magicæ artis vsum criminabantur. Arsenius autem dolis cognitis, siue eum humanitatis contemplatio, siue diuina

perpulis prouidentia, clam per noctis silentia euandens, Tyrum ad Athanasium se contulit. Quo in concilium præter spem omium producto, & vtunque brachium illæsum ostendente, inimicorum scelus perspicue detectum est. At non propterea Arriani quieuerunt, sed multo maiore odio Athanasium prosequerentur, cuncta ab eo magicis artibus facta esse calumniantes. Itaque horum insidias fugiens, & Constantij imperatoris, qui fauebat Arrianis, iram per tienscens, magna parte orbis peragrata, sex continuos annos in sicca cisterna sine Solis aspectu latuit, amico ei quodam necessaria clam suppeditante. Postremo inde egressus, ad Constantis partes profugus accessit, quo adnitente sedem suam recepit. Cæterum postea Constante mortuo, rursus in Galliam aufugiens exulauit apud Treuiros. Vnde Alexandriam reuersus, cum postea imperatoris Iuliani apostatæ iussu ad necem quæretur, per fluuium nauicula fugiens, ex industria in occursum se insequentium recurrit. A quibus interrogati qui cum eo erant, quid de Athansio accepissent? non longe ipsum euntem se vidisse responderunt. Atque ita illis in diuersum festinantibus Athanasius euasit. Qui non multo post Alexandriam rediens, alia suborta tempestate, quatuor mensibus in paterno sepulchro delituit. Tandem his permultique aliis periculis diuina ope liberatus, Alexandriæ mortuus est miraculis clarus, cum eam sedem sex & quadraginta annos per varia certamina rexisset, multaque opera doctissime composuisset.

Die. 3. D Inuentio sanctæ crucis, duplex ma. Ad vespe hym.



Vstris sex, qui iam peractis,
Tempus implens corporis: Se
volente natus ad hoc passioni
deditus, Agnus in cruce leu-
atur, Immolandus stipite.

Hic acetum, fel arundo, Sputa, clauis,
lancea: Mite corpus perforatur: San-
guis, vnda profluit. Terra, pontus, as-
tra, mundus, Quo lauantur flumine.

Crux fidelis inter omnes Arbor vna no-
bilis: Nulla sylua tale profert Fronde,
flore, germine: Dulce lignum, dulces
clauos Dulce pondus sustinet.

Flecte ramos arbor alta, Tensa laxa vis-
cera: Et rigor lentescat ille, Quem dedit
natiuitas: Vt superni membra regis,
Miti tendas stipite.

Sola digna tu fuisti, Ferre secli
pretium: Atque portum præparare,
Nauta mundo naufrago. Quem sacer
crucor perunxit Fusus agni corpore.

Gloria & honor Deo, Vsque quo al-
tissimo: Vna patri, Filioque, Inclyto
paraceto: Cui laus est, & potes-
tas, Per immensa secula. Amen.

An. O crux splendidior cunctis astris,
quæ sola fuisti digna portare talentum
mundi, dulce lignum, dulces clauos,
dulcia ferens pondera, salua præsen-
tem cateruam, in tuis hodie laudibus
congregatam, Haleluiah, haleluiah,
haleluiah, haleluiah. **Oratio.**

DEus, qui in præclara salutiferæ
crucis inuentione passionis tuæ
miracula suscitasti: concede, vt vitalis
ligni pretio, æternæ vitæ suffragia con-
sequamur. Qui viuus & regnas.

Die. 3. Ad matutinum inuita. Chris-
tum regem crucifixum, venite adore-
mus. Haleluiah. **Hymnus.** Lustris
sex. vt sup. **An.** Inuentæ Crucis
festa recolimus, cuius præconium per
vniuersum orbem micanti lumine ful-
get, Haleluiah. **L. iij.**

HELena Constantini mater mulier
religione & pietate insigni,
diuinarum rerum studio, nocturnoque
visu impulsa Ierosolymam petiit, vt
Dominicam quæreret crucem, vnde hu-
mana salue pependisset. Vbi autem
hæc defossa erat, ibi ex industria
fuerat Veneris simulchrum constitu-
tum ab impiis fidei persecutoribus, vt
omne dominicæ passionis monumen-
tum aboleretur. Et si quis Christianus
eo loco Christum adoraret, Venerem
videtur adorare. Cæterum simulachro
inde deiecto, locoque ruderibus pur-
gato. Crux reperta est: & cum ea duæ
aliæ quibus affixi fuerant duo latrones.
Sed obturbabat reperti muneris læti-
tiam vnius cuiusque crucis indiscreta
proprietas. Aderat quidem & titu-
lus ille, qui Hebraice, Græce & latine
a Pilato fuerat conscriptus, sed nec
ipse satis euidenter dominici prodebat
signa patibuli. Diuino autem miraculo
mox consecuto, omnis prorsus ambi-
guitas sublata est. Cum enim Macar-
ius Ierosolymitanus episcopus fuis ad
Deum precibus vt id reuelaret, frus-
tra duas nobili cuidam fœminæ longa
ægritudine confectæ & iam prope de-
functæ admouisset: ad mota tertia,
repente adapertis oculis mulier con-
surrexit, & stabilitate virium recepta,
alacrior multo, quam cum sana fuerat,
tota domo discurrere, & magnificare
Dei potentiam cœpit. Helena igitur eu-
identi indicio voti compos facta, tem-
plum, vbi crucem repererat, magnifice
construxit. Ibique partem Crucis reli-
quit thecis argenteis conclusam: partem
filio detulit. Cuius pars postea reposita
fuit Romæ in æde sessoriana, quæ
sanctæ Crucis in Ierusalem nuncuoata
est. Attulit etiam clauos tres, quibus

Christi corpus fuerat affixum: Quorum vno Constantinus pro amuleto in cono galeæ vsus est. Alterum deiecit in mare ad foedam tempestatem compescendam. Reliquum inseruit bellatoris equi fræno, veterem prophetiam adimplens, Olim enim sic Zacharias propheta clamauerat, Erit quod super frænum equi est sanctum domino. Qui Constantinus legem tulit, ne quis deinceps supplicio Crucis afficeretur. Ita res quæ antea mortalibus probro fuerat, venerationi esse cœpit.

Ad laudes antiphona. Hæc est arbor dignissima, in qua salutis author propria morte mortem omnium superauit, Haleluiah. **Ad vesper. Hymni, Antiphonæ, & oratio vt supra in primis Vesperis.**

Die. 4. E **Monica vidua.**

Die. 5. F **Alexander papæ m. L. iij.**

Alexander patria Romanus, qui Adriani imperatoris tempore pontificatum gessit, in memoriam passionis Christi in sacrificio addidit: Qui pridie quam pateretur, vsque ad illum locum: Hoc est corpus meum. Idem instituit, vt aqua benedicta admisto sale in templis & cubiculis ad fugandos dæmones retineretur, Vtque in consecratione sanguinis & corporis Christi vnum aqua miscetur, ad significandam Christi & ecclesiæ coniunctionem. Panisque azymus non fermentatus consecraretur. Cum autem ordinationibus ter mense Decembri habitis, presbyteros. v. diaconos. iij. episcopos quinque per diuersa loca creasset, martyrio coronatus cum Euentio & Theodoro diacono via Nomentana vbi interfectus fuit. vij. ab vrbe milliario sepelitur. v. Nonis Maij. Sdit autem annos. x. menses. vij. dies duos.

Die. 6. G **Ioannes ante portam Lati-**

nam dup. mi. Ad vesper. & matuti. hym. antiphonæ, & inuita. de comuni apostolorum. Oratio.

DEus, qui conspicias, quia nos vndique mala nostra perturbant: præsta quæsumus, vt beati Ioannis apostoli tui & euangelistæ intercessio gloriosa nos protegat. Per domi.

Lectio iij.

Ioannes apostolus dilectissimus Christo, post ipsius ascensionem maximo studio, magnisque miraculis Christianam pietatem propagauit. Huius enim & Petri prædicatione post claudum sanatum ad portam templi speciosam appellatam, quinque milia hominum vno die conuersa sunt ad fidem. Idemque duo post Stephani martyrium in Samariam, quæ Philippo prædicante baptismum acceperat, peruenerunt, eandemque in fide confirmarunt, & per ipsorum manus impositionem Spiritus sanctus in baptizatorum corda descendit. In diuisione autem orbis terræ Ioanni obtigit Asia prouincia. Cuius ecclesias cum sapientissime a se fundatas sanctissime moderaretur, captus fuit in persecutione Domitiani in vrbe Epheso. Vnde Romam adductus, cum a Christi fide auerti non poseet, in eadem vrbe Roma (vt Tertullianus est author) in dolium feruentis olei demersus est. Sed cum incolumis inde euasisset, relegatus est in Patmum insulam, vbi Apocalypsim conscripsit. Post mortem vero Domitiani, cuius acta omnia fuerunt a senatu rescissa, Ephesum reuersus, Drusianam magnæ in Christum pietatis foeminam paulo ante defunctam, spectante populo ad vitam diuina ope reuocauit. Quo miraculo multi sunt ad Christi fidem conuersi.

Die. 7. A Filij obedite. 129.

Die. 8. B **Apparitio sancti Michaelis duplex mi. In hoc festo Hym. Antiphonæ, Inuita. tertia lectio, & oratio dicuntur sicut in alio festo eius in mense Septembri.**

Die. 9. C **Gregorius Nazianzenus episcopus confessor. Lectio. iij.**

Gregorius qui ex singulari rerum diuinarum doctrina Theologi cognomen inuenit, natus est in Cappadocia, sed Athenis educatus, ac eruditus omni philosophia, vnde in patriam reuersus factus est episcopus primum Sasimorum: deinde Nazianzenus, vt regert Hieronymus, qui hoc præceptore se profitetur sacras scripturas explanante didicisse. Tum Constantinopolim translatus, vbi populum erudiendo infectum hæreticorum veneno, tantum profecit, vt tunc primum sibi populares Christiani esse viderentur auctore Gregorio, qui multo etiam magis exemplo quam sermone mores hominum instituebat. Sed cum cœptum esset a nonnulli virtuti eius inuideri seditiose molientibus, vt eiecto Gregorio episcopus alter sufficeretur, ille re cognita, absit (inquit) vt sim ego causa seditionis: si propter me exorta est tempestas, tollite me, & proiicite in mare, vt vos iactari desinatis. Ruertitur igitur in Nazianzenam ecclesiam: quam eum diu sanctissime guberasset, iam affecta ætate, ipse sibi successorem elegit, & se virtutum, diuinarumque rerum contemplationi, sacratumque literarum studio dedit. Quo in genere Græce multa scitu dignissima partim carmine, partim prosa oratione sancte & elegantissime conscripsit, ruri vitam monachi agens. In quibus studiis ab hac vita migravit Theodosio imperatore.

Die. 10. D **Gordia. & Epim. mart.**

Die. 11. E Iacobus Dei &. 262.

Die. 12. F **Nereus Arch. & Panc. m.**

Die. 13. G Estote autem fact. 264.

Die. 14. A **Victor & Corona martyres. Lectio tertia.**

Victor miles Antonino imperatore in Syria passus est. Productus enim ad tribunal iudicis Sebastiani, cum diis immolare contemneret, immaniter cruciatur. Nam primum digitis malleo confractis in fornacem ardentem missus est, nec tamen a flamma læsus. Deinde veneno sumpto, nihilo magis ab eo læditur. Quo miraculo victus artifex, qui venenum porregerat, relictis idolis ad Christum conuersus est. Tum Victor feruenti oleo perfunditur, atque oculis priuatur. Postremo capitis obtruncatione martyrium consummauit. Cuius exemplo mota fœmina quædam Corona nomine, cum ingenti voce Christum conclamaret, & se Christianam esse fateretur, ab eodem iudice comprehensa, duabus proximis palmis vi magna hincinde curuatis, manus & pedes dstringitur, laxatisque & in diuersum reductis discerpitur: & sic palmis dissecta, martyrij palmam est consecuta pridie Idus Maij.

Die. 15. B Quicumque autem. 266.

Die. 16. C Nolite plures. 267.

Die. 17. D Vnde bella. 269.

Die. 18. E Agite nunc. 271.

Die. 19. F **Potentiana virg. L. iij.**

Potentia virgo, Pudentis Romani cuius filia, cum miro amore coleret Christianam religionem, orbata parentibus, cum sorore sua Praxede assidue ieiuniis, & orationibus vacans, omne patrimonium sibi ex hæreditate relictum vendidit, & pauperibus distribuit. Huius opera a Pio Romano pontifice tota ipsius familia ad Christum conuersa est: baptizatique sunt

vtriusque sexus numero. xcvi. Et cum Antoninus Pius imperator edicto publico sanxisset, vt Christiani priuatis sacrificiis contenti a publicis abstinerent: Pius pontifex vna cum Christianis in domo Potentianæ sacra faciebat. Quos omnes virgo mira religione & comitate recipiebat, & necessaria eis subministrabat. His igitur virgo, ac talibus, virtutis, & pietatis operibus diu functa, migravit ad dominum, & iuxta patrem suum sepulta est via salaria in cœmeterio Priscillæ. xiiij. Calendas Iunii.

Die. 20. G **Bernardinus conf. L. iij.**

Bernardinus natione Italus Senis in Hetruria nobilibus parentibus, & diuitibus ortus, tam venerabilis erat, a puero innata quadam honestate & vitiorum odio, vt adolescentibus eius æqualibus si forte in eos lasciuum aliquem sermonem conferentes incidisset, sola præsentia silentium imponeret, his verbis inter se commonentibus, Bernardinus adest. Tanta erat huius in pauperes Christi benignitas, vt sæpe illis prandium sibi paratum distribuerit. Cum autem magna peste, quæ totam Italiam inuasit, Senis vehementissime sæuiret, & relicto xenodochio illo celebri a cunctis ministris, ægrotantes miserabiliter conflictarentur, Bernardinus ægrotorum curam in flore iuuentutis cum omnium admiratione simul & miseratione propter ingens periculum, suscepit. Deinde omni substantia pauperibus distributa, beati Francisci religionem suscepit, & totam ferme Italiam prædicans Euangelium Christi lustravit, multaque in nomine Iesu signa, & miracula fecit. Tres episcopatus sibi oblatos recusauit. Tandem vita per omnem ætatem sactissime gesta, migravit ad dominum in

vrbe Aquila, vbi sepultus est honorifice. Postea vero a Nicolao quinto catalogo sanctorum ascriptus est. xiiij. Calendas Iunii.

Die. 21. A **Iuo confessor.**

Die. 22. B Paulus & Tim. 547.

Die. 23. C Mihi enim. 548.

Die. 24. D Itaque charissi. 549.

Die. 25. E **Vrbanus papa m. L. iij.**

VRbanus patria Romanus Aurelio Antonino imperatore pontificatum adeptus, multos sanctitatis exemplo, & doctrina singulari ad fidem traduxit. Et in his Valerianum beatæ Cecilie sponsum, & Tyburtium eiusdem Valeriani fratrem, qui postea martyrium constanti animo pertrulerunt. Hic probato consilio superioris temporis episcoporum, & fidelium quibus commodius visum erat, vt possessiones attribuerentur ecclesiis, quam vt venderentur, quem admodum fiebat initio nascentis ecclesie, sic scripsit: de bonis ipsis ecclesiasticis, quorum decet dispensatores esse episcopos, & clericos. Non ergo debent, inquit, in aliis vsibus quam ecclesiasticis, & prædicatorum Christianorum fratrum, id est, clericorum, vel indigenitium conuerti, quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum domino traditæ. Demum cum sedisset annos. iij. menses. x. dies. xij. martyrio coronatus est, & in cœmeterio Prætextati, via Tyburtina sepultus. xiiij. Calendas Iunii. **Oratio.**

DA quæsumus omnipotens Deus, vt qui beati Urbani martyris tui atque pontificis solennia colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per do.

Die. 26. F **Eleuterius papa mart.**

Die. 27. G **Ioannes papa mart.**

Die. 28. A **Germani epis. confes.**

Die. 29. B De cætero fratres. 551.

Die. 30. C **Felix papa mar. L. iij.**

Felix patria Romanus Aureliano imperatore pontificatum adeptus est. Hic instituit vt martyrum memoria singulis annis sacrificiis celebraretur. Nec nisi in loco sacro Missa peragretur, præterquam cogente necessitate. Templumque iussit, si de consecratione ipsius dubitaretur, denuo consecrari. Neque enim iteratum videri debere dictabat quod factum esse nesciretur. Postremo cum mense Decembri presbyteros nouem, diaconos. v. episcopos quinque creasset, martyrio coronatus via Aurelia sepelitur. iij. Calend. Iunij in basilica quam ipse condiderat, atque dicauerat. Sedit autem annos quatuor, menses tres, dies quindecim.

Die. 31. D **Petronilla vir. mar.**

IVNIVS.

Die. 1. **Pamphilus presby. m. L. iij.**

Pamphilus presbyter Cæsariensis tanto diuinorum voluminum amore flagrauit, vt celeberrimam bibliothecam vndique summo studio conquisitis libris Cæsareæ construxerit, magnamque partem Origenis operum sua manu descripserit. Quæ Hieronymus se vidisse, ac habuisse, ingentique cupiditate quasi thesaurum aliquem seruasse, testatur. Scripsit nonnulla, quibus insignem doctrinam & magnam vitæ sanctimoniam posteris manifestam, ac testatam reliquit. Demum post beata studia, & multos pro ecclesia Dei, ac gloria nominis Christiani exhaustos labores, apud Cæsaream Palæstinæ pro fide Christi in persecutione Maximini Imperatoris Calendas Iunij martyrio coronatus est.

Die. 2. **Marcellinus & Petrus martyres.**

Lectio tertia

Temporibus Diocletiani Imperatoris Romæ Petrus exorcista iussu Sereni iudicis pro Christi nomine in carcerem coniectus, Paulinam Artemij carceris custodis filiam ab immundo spiritu liberauit, ipsumque Artemium cum coniuge & filia ac tota domo & plerisque vicinis, qui ad miraculum conuenerant, ad Christum conuertit, & hos omnes Marcellinus presbyter baptizauit. Quo nuntiato Serenus Marcellinum & Petrum ad se productos, multis minis ab incepto deterrere tentauit. Cui cum Marcellinus Christiana libertate ad omnia responderet: pugnis eum contusum separat a Petro, nudumque in carcerem testis vitreis perstratum trudi iubet sine cibo, & sine lumine. Petrus itidem alio in loco arctissimis vinculis constringitur: Sed diu cruciati cum fortiores in dies, atque in Christi confessione constantiores inuenirentur, extra vrbem educti, quarto Nonam Iunij capite plexi martyrio coronantur. Lucilla vero matron Christiana ipsorum corpora vehiculo delata noctu in via Labicana tertio ab vrbe miliario sepeliuit.

Die. 3. G Itaque fratres mei. 552.

Die. 4. A Quod fuit ab ini. 250.

Die. 5. B Filioli mei hæc. 251.

Die. 6. C Filioli nouis. 253.

Die. 7. D Videte qualem. 254.

Die. 8. E Charissimi. 256.

Die. 9. F **Primus & Felicianus m.**

Die. 10. G Omnis qui cre. 257.

Die. 11. A **Barnabas apostolus duplex maius. Oratio.**

DEus, qui nos beati Barnabæ apostoli tui meritis & intercessione lætificas: concede propitius, vt qui eius beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. per. **Lectio tertia.**

Iosephus, qui cognominatus est Barnabas, natione Cyprius ad Christianum dogma gentibus cum Paulo prædicandum in apostolatam extra duodecim assumptus est. Hic agrum quem habebat, vendidit, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum: Qui cum missus a Ierosolymitana ecclesia euangelizandi gratia Antiochiam peruenisset, vbi Græcorum aliquot crediderant, vidissetque gartiam Dei, gauisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in domino, quia erat vir bonus, & Spiritu sancto ac fide plenus: & apposita est multa turba in domino. Profectus inde Tarsum, vt quæreret Saulum, perduxit ipsum Antiochiam, & annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. Qui discipuli, prout quisque habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli. Qui expleto ministerio reuersi sunt a Ierosolymis assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus. Erant autem in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas & Saulus. Ministrantibus autem illis domino & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipse quidem missi a Spiritu sancto, abierunt Seleuciam, & inde Cyprum: multasque præterea vrbes ac regiones cum magno prædicationis profectu peragrarunt. Postremo Barnabas a Paulo discedens,

ad Cyprum nauigauit assumpto Marco, vbi circa septimum Neronis annum martyrij coronam est adeptus, tertio Idus Iunij.

Die. 12. B **Basilides Ciri. &c. m.**

Die. 13. C **Antonius confes. L iij.**

ANtonius natione Hispanus Vlyssiponæ natus, cum adolescens adhuc esset, canonicus regularis, audito martyrio quorundam monachorum ex ordine sancti Francisci ad Marochium Mauritaniæ vrbem occisorum, eundem ordinem sancti Francisci professus, & a prælatis obtentata copia, martyrij cupidus, Saracenis prædicaturus nauim ascendit, sed Deo aliter ordinante, vt tempestatis prohibitus est. Cæterum vt consanguineorum & amicorum impedimenta vitaret, in Italiam venit. Qui cum aliquando iussu pontificis Romæ, peregrinis multarum nationum prædicaret, variis linguis locutus, & ab omnibus intellectus esse traditur. Itaque sermonem ipsius domino signis confirmante, quasdam hæreses in Italia confutauit, factiones diremit, & inimicos reconciliauit. Tandem plenus sanctitate & miraculis clarus, Patauij moritur Idus Iunij: & in ecclesia nomine ipsius fabricata, egregio tumulo sepultus est: & a Gregorio nono statim in sanctorum confessorum consortium relatus. Die. 14. D Senior electe. 259.

Die. 15. E **Vitus Modestus Cres. m.**

Die. 16. F Senior Caio. 261.

Die. 17. G Paulus apostolus. 585.

Die. 18. **Marcus & Marcellianus martyres. Lectio tertia.**

MArcus & Marcellianus fratres Romæ Diocletiano imperatore pro Christi fide in vincula coniecti sunt ab vrbis præfecto Chromantio, ad mortemque damnati, nisi ante diem tri-

gesimum ad cultum deorum rediissent. Ad quos cum Tranquillinus pater, & mater Martia, & plerique cognatorem ventitarent, vt ipsos ab incepto seducerent, a beato Sebastiano confirmati in fide perstiterunt. Qui Sebastianus, non solum horum sanctorum parentes, sed Chromantium quoque ad Christi fidem conuertit. Quam ob rem Chromantius magistratu ab imperatore priuatus, in exilium missus est. Cui succedens Fabianus, Marcum & Marcellianum deorum cultum aspernantes: post diuinam carceris afflictionem, ad stipitem alligari, pedesque clauis configi iussit. Sed hunc cruciatum cum die ac nocte magno animo Christum laudantes pertulissent, latera transfixi lanceis, martyrij palmam sunt adepti. Quorum corpora a Christianis ablata noctu, in via Ardeatina ad decimum quartum Calend. Iulij sepeliuntur. **Oratio.**

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui sanctorum martyrum tuorum Marci & Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, eorum intercessionibus liberemur. Per do.

Die. 18. B **Geruasius & Protasius martyres.** **Lectio tertia.**

Geruasius & Protasius fratres patrem habuerunt Vitalem, qui Rauennæ, & matrem Valeriam quæ Mediolani pro Christi fide martyrium tulerunt. Parentum igitur pietatem & fidem æmulantes, post ipsorum mortem, iuxta consilium euangelicum, omnes suas facultates pauperibus distribuerunt, & seruos quos habebant liberate donarunt. Quibus rebus, & singulari vitæ sanctitate commoti, Gentilium sacerdotes Christianæ religioni infesti, magnum in ipsos odium atque inuidiam conceperunt. Cum ergo per

id tempus Astasius comes in bellum proficisceretur, hanc nefariam rationem pios fratres e medio tollendi sacerdotes inierunt, vt Astasio, velut diuinitus admoniti, persuaderent, negatam ipsi esse decreto deorum victoriam, nisi Geruasium & Protasium a Christi fide desistere, ipsisque diis sacrificare compelleret. Quod cum Astasius ab ipsis, nec precibus impetrare, nec minis extorquere potuisset, eodem iubente, Geruasius plumbatis tandiu cæsus est, donec spiritum emisit: Protasius vero fustibus primum sæuissime verberatus, postremo capite truncatus est. Quorum corpora Philippus quidam vir religiosus ac pius clam sustulit, & in sua domo sepeliuit. Vbi cum diu latuissent, ab Ambrosio episcopo Mediolanensi diuinitus admonito inuenta sunt, & cum magna populi veneratione in honestissimo & sacro loco reposita. Passi sunt autem Mediolani decimotertio Calend. Iunij.

Die. 20. C **Siluerius papa mar.**

Die. 21. D Et vos cum. 586.

Die. 22. E **Paulimus epis. confes.**

Die. 23. F Videte ne quis. 587.

Aduertendum est singulis annis in indice supraposito. fol. 408. an in die sancti Ioannis vel infra eius octauam interponenda sit aliqu ex dominicis vagentibus. Natiuitas Ioannis Baptistæ duplex maius. Ad vesper. hym.

T queant laxis resonare fibris,
Mira gestorum famuli tuorum,
Solue polluti labij reatum,
Sancte Ioannes.

Nuntius celso veniens olympto, Te patri magnum fore nasciturum Nomen & vitæ seriem gerendæ, Ordine promit.

Ille promissi dubius superni, Perdidit promptæ modulos loquelæ, Sed reformasti genitus peremptæ, Organa vocis.

Ventris obstruso recubans cubili,
 Senses regem thalamo manentem,
 Hinc parens nati meritis vterque, Ab-
 dita pandit.

Gloria patri, genitæque proli, Et tibi
 compar vtriusque semper, Spiritus
 alme Deus vnus omni, Tempore secli.
 Amen.

Antiphona. Ioannes est nomen eius,
 vinum & siceram non bibit, & multi in
 natiuitate eius gaudebunt. **Oratio.**

DEus qui præsentem diem honor-
 abilem nobis in beati Ioannis
 natiuitate fecisti, da populis tuis spir-
 itualium gratiam gaudiorum: & om-
 nium fidelium mentes, dirige in viam
 salutis æternæ. Per dominum.

Die. 24. G **Ad matutinum inuita.**
 Regem præcursoris dominum venite
 adoremus. **Hymnus.**

ANtra deserti tenoris sub annis,
 Ciuium turmas fugiens petisti,
 Ne leui saltem maculare vitam, Famine
 posses.

Præbuit hirtum tegimen camelus, Ar-
 tubus sacris strophium bidentes, Cui
 latex haustum, sociata pastum, Mella
 locustis.

Cæteri tantum cecinere vatam, Corde
 præsago iubar affuturum Tu quidem
 mundi scelus auferentem, Indice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis, Sanc-
 tior quisquam genitus Ioanne, Qui ne-
 fas secli meruit lauandem, Tingere lym-
 phis. **Gloria. An.** Priusquam te for-
 mare in vtero noui te: & antequam
 prægrederetis, sanctificaui te. **L. iij.**

ZAcharias sacerdos vir iustus, &
 egregia in Deum pietate, vcorem
 habuit Elisabeth parem sibi, &
 moribus, & sanctitate, sterilem tamen.
 Itaque iam ambo senes in orbitate
 cum magno filiorum desiderio dege-
 bant. Sed cum Zacharias tempore

Herodis Iudææ regis templum ingres-
 sus ad sacrificandum incensum ap-
 poneret, apparuit ei angelus ad dex-
 teram altaris, turbatoque, & timenti
 ait, Ne timeas Zacharia, quoniam ex-
 audita est deprecatio tua: vxor tua
 Elisabeth pariet tibi filium: & vocabis
 nomen eius Ioannem. Nec solum vos,
 sed multi præterea ob ipsius ortum
 gaudebunt. Erit enim magnus coram
 domino, vinum & siceram non bibit, &
 Spiritu sancto replebitur in vtero ipso
 matris suæ, & multos filiorum Israel ad
 dominum conuertet. & ipse præcedet
 illum. Respondit Zacharias, Vnde hoc
 sciam, qui senex sum, & vxorem habeo
 senem? Et angelus, Ego (inquit) sum
 Gabriel, missus, vt hæc tibi nuntiarem:
 & quia mihi non credidisti, mutus eris,
 donec quæ nuntiaui, fiant. Egres-
 sus igitur Zacharias ad plebem extra
 templum expectantem, & moram eius
 admirantem, loqui non poterat: quo
 cognitum fuit ipsum visionem vidisse.
 Cum igitur peractis officij diebus in
 domum suam rediisset, concepit Elis-
 abeth, quod sexto post mense idem
 angelus nuntiauit Mariæ dicens, Ecce
 Elisabeth cognata tua concepit filium
 in senectute. Itaque Elisabeth videns
 Mariam salutandi se, visendique gratia
 domum ipsius ingressam, exclamauit,
 Benedictus fructus ventris tui. Et illud,
 Exultauit gaudio infans in vtero meo.
 Cum autem peperisset, & octauo die de
 nomine nati consultaretur: Zacharias
 interrogatus, cum loqui non posset,
 scripsit: Ioannes est nomen eius. Et
 post hæc vocem recepit, qua domino
 quotidie gratias agebat.

Ad laudes an. Dominus ab vtero
 vocauit me, de ventre matris meæ
 recordatus est nominis mei. **Ad ves-**

peras hymnus. Vt queant laxis.
Antiphona. Puer natus est nobis
 plusquam propheta est. Hic est enim de
 quo saluator ait, Inter natos mulierum
 non surrexit maior Ioanne Baptista.
 Die. 25. A **De octa. s. Ioan. L. iij.**
Sermo sancti August. episcopi.

Post illum sacrosanctum domini natalis diem nullius hominis natiuitatem legimus celebrari nisi solam beati Ioannis Baptistæ. In aliis sanctis & electis Dei nouimus illum diem coli: quo illos post consummationem laborum, & deuictum triumphatumque mundum, in perpetuas æternitates præsens hæc vita parturiit. In aliis consummata vltimi diei merita celebrantur: in hoc etiam prima die ipsa Ioannis initia consecrantur. Pro hac absque dubio causa, quia per hunc dominus aduentum suum ne subito insperatum homines non agnoscerent, voluit esse testatum. Ioannes autem figura fuit veteris testamenti, & in se prætulit formam legis, & ideo prænuntiauit saluatorem venturum: sicut lex gratiam præcurrit. Quod autem nondum natus de secreto materni vteri prophetauit, & expers lucis iam testis est veritatis: hoc est intelligendum quod latens sub velamine literæ & carne, & redemptorem mundo spiritu prædicauit, & nobis dominum Deum nostrum quasi de quodam legis vtero proclamauit. Ergo quia Iudæi errauerunt a ventre, id est, a lege quæ Christo grauida erat, errauerunt a ventre, loquuti sunt falsa, ideo hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.

Die. 26. B **Ioannes & Paulus martyres duplex minus.** **Oratio.**

QVæsumus omnipotens Deus, vt nos geminata lætitia hodiernæ

festiuitatis excipiat, quæ de beatorum Ioannis & Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides, & passio vere fecit esse germanos. Per. **Lectio. iij.**

IOannes & Paulus fratres Christianæ religionis colentissimi, domestici fuerunt Constantiæ filiæ Constantini magni. Sed cum Iulianus apostata imperium exceperisset, factus certior hos ex magnis facultatibus, quas illis Constantia reliquerat, pauperes alere, occasionem captabat eisdem spoliandi. Iubet igitur eos suis domesticis adscribi, non dubitans illos conditionem religionis gratia recusaturos. Negantibus igitur illis eius se fore domesticos, aut comites, qui a Christiana pietate defecisset, spatium decem dierum præscribit, quo vel imperata facerent, & Ioui sacrificarent, vel se certæ morti pararent. Ipsi vero accepta conditione, bonam partem suarum facultatum pauperibus præscripto tempore distribuerunt. Decima die, Terentianus præfectus prætoriæ cohortis missus, eos inuenit orantes, a quo quid statuissent rogati, cum se pro vera religione morti paratos esse responderent: ille post tertiam noctis horam in domo ipsorum, ne fieret tumultus, capite truncauit, ac secreto sepeliuit, rumorque per vrbem ab interfecto sparsus increbuit, Ioannem & Paulum in exilium fuisse missos: sed res enuntiata est a dæmonibus, qui corpora quorundam obsidebant. A quibus dæmonibus cum Terentiani filius vexaretur, ductus ad martyrum sepulchrum liberatus est: eoque miraculo, idem, & pater ad fidem Christi conuersi sunt, & res tota patefacta. Passi sunt autem Romæ sexto Calend. Iulij.

Die. 27. C **De octa. sancti Ioannis Baptistæ.** **Lectio tertia.**

Ex sermone sancti August. episc.

Quod autem Ioannes in carcere constitutus ad Christum discipulos suos destinavit: lex ad euangelia transmisit. Quæ lex iuxta typum Ioannis quasi ignorantiae clauso carcere, in obscuro & in occulto iacebat: Iudaicæ cæcitatæ sensus intra literam tenebatur inclusus. De hoc beatus euangelista proloquitur, ille erat lucerna ardens & lucens, adeo quod spiritus sancti igne succensa, mundo ignorantiae nocte possesso, lumen salutis ostenderet: & quasi inter densissimas delictorum tenebras, splendidissimum iustitiæ solem lucis suæ radio præmonstraret, de seipso dicens, Ego vox clamantis in deserto. Videamus in quo deserto, id est, in gentium populo. Vacua enim timore Dei pectora, & spiritu sancto arentia, deserto squallentis eremi comparantur. Desertus enim hic mundus ab omni cultura fidei, & timoris Dei, & peccatorum spinis obsitus squalebat, tanquam ager incultus, & penitus nullam bonorum operum fecunditatem obtulerat, nullum imbrem gratiæ spiritualis exceperat.

Die. 28. D De octa. sancti Ioannis Baptistæ. Lectio tertia.

Ex sermone sancti Augustini.

Mittitur beatus Ioannes qui cum prophetica atque apostolica prædicatione annuntiando poenitentiam, quasi rudem campum proscinderet, fecundaret, & excoleret, diuini verbi seminibus impleret, & ad maturam frugem, id est, ad generationis gratiam præpararet. Nam illud quantæ gloriæ est, quod Zachariæ sacerdoti seni, & Elisabeth sterili a Gabriele, id est, ab Angelo illo prænuntiatur, a quo Mariæ domini natiuitas nuntiatur, & quasi ex aliquo sim-

ilis domino præmittitur filius sterilis ante filium virginis, nescio quod maius miraculum ipsa nouitate declarans. Inesperata prole sterilitas muneratur: quia nouo partu erat ditanda virginitas. Præmittitur ante Iesum Christum Ioannes quasi testamentum vetus ante nouum, vt dies diei eructet verbum, & sacramentorum obscura profunditas, euidentioribus nouæ doctrinæ mysterijs reueletur.

Petrus & Paulus apostolus duplex maius. Ad vespas. Hym.

N Vrea luce, & decore roseo, Lex lucis omnes perfudisti seculum, Decorans cœlos inclyto martyrio, Hac sacra die, quæ dat reis veniam.

Ianitor cœli doctor orbis pariter, Iudices secli, vera mundi lumina, Per crucem alter, alter ense triumphans, Vitæ senatum laureati possident.

Sit Trinitati sempiterna gloria, Honor, potestas, atque iubilatio, in vnitæte cui manet imperium, Ex tunc & modo per æterna secula. Amen. Antipho. Tu es pastor ouium princeps apostolorum, tibi traditæ sunt clauæ regni cœlorum.

Oratio.

DEus qui hodiernam diem apostolorum tuorum Petri & Pauli martyrio consecrasti: da ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per domi.

Et non fit commemoratio de sancto Ioanne vsque ad vesper. commemoratiõnis sancti Pauli.

Die. 29. E At matuti. inuita. & hym. de communi apostolorum an. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Lectio iij.

PEtrus princeps apostolorum, cui Christus ascensurus ad patrem, suum gregem pascendum, id est, suam ecclesiam guberandam ter commendauit: cum multa post Christi ascensum cum apostolis confecisset, quæ ad constituendam & propagandam fidem pertinerent, cæteris per orbem dispersis ad prædicandum, ipse sibi sedem Antiochiam elegit. Sed post episcopatum Antiochensis ecclesiæ & prædicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant in Ponto, Galacia, Cappadocia, Asia, & Bithynia secundo Claudij anno admonitus a Spiritu sancto Romam migravit ad conuincendum Simonem magum, & veram fidem enuntiandum, in eaque vrbe, quæ caput orbis erat, ecclesiam moderandum. Simonis ergo disiectis tenebris, fraudibusque conuictis a Petro, lumen verbi Dei Romam & Italiam eodem authore multum illustrauerat, cum Paulus vinctus Romam deportaretur secundo Neronis anno, postquam euangelium cum in Syria, Asia, tum præcipue in Græcia & finitimis regionibus vsque ad illyriam prædicasset. Cuius aduentu, & opera, magna veræ pietatis & fidei accessio facta est in vrbe Roma, & Italia, occiduisque regionibus. Sed vltimo Neronis anno sæuiente in Christianos persectione, Petrus & Paulus capti, morti traduntur eodem die, id est, tertio Calend. Iulij. Petrus enim cruci affixus est capite ad terram verso: quod sic fieri impetrauit, asserens se indignum esse, qui eodem modo, quo suus dominus, crucifigetur: Paulus vero capite truncatus, cuius corpus in via Ostiensi sepultum est, Petri vero in Vaticano.

Ad laudes an. Quodcunque ligaueris

super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. **Ad vespertas hym.** Aurea luce. **vt sup. Antiphona.** Hodie Simon Petrus ascendit crucis patibulum: Haleluiah. Hodie clauicularius regni gaudens migravit ad Christum. Hodie Paulus apostolus lumen orbis terræ, inclinato capite, pro Christi nomine, martyrio coronatus est. **Et non fit commemoratio de festo sequenti, quia vesper. hodiernæ sunt communes vtrique apostolorum.**

Commemoratio Pauli dup. mi.

Die. 30. **F At matuti. inuita. & Hym. de communi apostolorum. antiphona.** Qui operatus est Petro in apostolatu, operatus est & mihi inter gentes: & cognouerunt gratiam, quæ data est mihi a Christo domino. **Lectio. tertia.**

PAulus extra numerum duodecim, apostolus non ab hominibus nec per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem, quum esset in ecclesia Antiochiæ, vbi aderant prophetæ & doctores, & in his Barnabas & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis & Manahem, qui erat Herodis Tetrarchæ collectaneus, ministrantibus illis domino, & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum, & quum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio. Et quum perambulassent vniuersam insulam vsque ad Paphum, inuenerunt quendam virum

magum pseudo prophetam Iudæum, cui nomen erat Barieu, cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic accersitis Barnaba & Paulo desiderabat audire verbum Dei. Resistebat autem illis Elymas magus, quærens auertere proconsulem a fide. Saulus autem qui & Paulus, repletus Spiritus sancto intuens in eum, dixit, O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ non desinis subuertere vias domini rectas? Et nunc ecce manus domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumiens quærebat qui sibi manum daret. Quo viso proconsul credidit, & conuersus est. Profectus vero Paulus a Papho, iuncto sibi Barnaba, multisque vrbibus peragratis, cum Ierosolymam venisset, Petrus, Iacobusque, & Ioannes, videntes gratiam Dei, quæ data erat ei, dexteris societatis dederunt ipsi & Barnabæ, vt hi gentibus, ipsi vero circumcisis prædicarent euangelium. Vnde digressus, postquam innumeros labores hausisset, multaue pericula euasisset, per varias mundi plagas Christianum dogma longe lateque propagando, anno a Christi passione. xxxvij. qui fuit imperij Neronis. xiiij. eodem die quo Petrus Romæ martyrio coronatus est: sepultusque in via Ostiensi, vbi postea fuit illi magnificum templum erectum. Scripsit autem nouem ad septem ecclesias epistolas, præterea ad discipulos suos Timotheum, Titum, & Philemonem iiij. ad Hebræos vnam. omnes simul nermero. xiiij.

Ad laudes an. Bonum certamen certauit, cursum consummaui, fidem seruauit: ideo reposita est mihi corona iusti-

tiæ. **Oratio.**

DEus, qui multitudinem gentium beati Pauli apostoli prædicatione docuisti: da nobis quæsumus, vt cuius natalitia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per. **Ad vesper. hym.**

DOctor egregie Paule mores instrue: Et mente polum nos transferre satage: Donec perfectum largiatur plenius, Euacuato quod ex parte gerimus. **Sit trinitati sempiterna gloria, Honor potestas, atque iubiliatio, In vnitate cui manet imperium, Ex tunc & modo per æterna secula. Amen.**

An. Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. **Oratio.** Deus qui hodiernam diem. &c. vt sup. **Deinde pro comme. octa. sancti Ioannis baptistæ an.** Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit Ioannem Baptistam præcursorem domini. **Oratio.** Deus, qui præsentem diem. fo. 652. vt sup. **in eius festo.**

IVLIVS.

Die. 1. **G Oct. natui. s. Ioan. bap. dup. mi. Ad matu. inui. & hym. vt in eius festo an.** Ipse præibit ante illum in spiritu, & virtute Eliæ parare domino plebem perfectam.

Secundum Lucam. Lectio. iiij.

ELisabeth impletum est tempus pariendi: & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa: & congratulabantur ei.

Et rel. Hom. sancti Ambrosij episc.

Peperit ergo filium Elisabeth, & congratulabantur ei vicini. Habet sanctorum editio lætitiā plurimorum, quia commune est bonum. Iustitia enim communis est virtus. Et ideo in ortu iusti futuræ vitæ insigne præmittitur:

& gratia sequituræ virtutis exultatione vicinorum præfigurata signatur. Pulchre autem tempus quo fuit in vtero propheta memoratur, ne Mariæ præsentia taceatur. Sed tempus siletur infantiae, eo quod præsentia domini matris in vtero roboratur, qui infantiae impedimenta nesciuit. Et ideo in euangelio nihil super eo legimus, nisi ortum eius & oraculum, exultationem in vtero, & vocem in deserto. Neque enim ullam infantiae sensit ætatem. qui supra naturam, supra ætatem, in vtero situs matris, a mensura perfectæ cœpit ætatis plenitudinis Christi. Et respondit mater eius, & dixit: Non, sed vocabitur Ioannes. Et responderunt ad illam: Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant ergo patri eius quem vellet vocari eum, & accepit pugillarem & scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt omnes. Continuo autem soluta est lingua eius, & apertum est os eius, & loquebatur benedicens Deum. Mire sanctus euangelista præmittendum putauit, quod plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandum putauere, vt aduertat matri non nomen alicuius displicuisse degeneris: sed id sancto infusum spiritu, quod ab Angelo ante Zachariæ fuerat prænuntiatum.

Ad laudes an. Innuebant patris eius quem vellet vocari eum: & scripsit dicens: Ioannes est nomen eius.

Notandum quod hodie in laudibus post oratione sancti Ioann. dicitur Oratio. Deus qui hodiernum diem. &c. **pro commemoratione apostolorum. & similiter faciendum est infra octa. visitatio. virg. in laudibus & vesperis vsque ad octa. ipsorum apostolorum, tamen hodie in vesperis & die crastina**

per totum diem non fit comme. de apostolis.

Visitatio Mariæ virgi. ad Elisabeth dup. ma. Ad vesper. hym. Aue maris stel. &c. **An.** Hodie Ioannes spiritu sancto repletus dominum quem verbis laudare non potuit, corporis obsequio recognouit: beata Elisabeth, quam mater domini visitauit, vt Ioannes in vtero suo spiritum sanctificationis accipiens, præcursoris officium inchoaret.

Oratio.

D Mnipotens sempiternæ Deus, qui ex abundantia charitatis beatam Mariam tuo filio fecundatam ad salutationem Elisabeth inspirasti: præsta quæsumus, vt per eius visitationem donios celestibus repleamur, & ab omnibus aduersitatibus eruamur. Per eundem Christum.

Die. 2. **A Ad matutinum inuita.** Visitacionem virginis Mariæ celebramus: Christum eius filium adoremus dominum. **Hymnus.** O gloriosa domina. **Antiphona.** Repletus Spiritu sancto Ioannes nondum seipsum sentiens, virginis matris præsensit aduentum.

Ex capi. j. Lucæ. Lectio tertia.

EXurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio in-

fans in vtero meo: & beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a domino.

Ad laudes antiphona. Adueniente quæ Christum gestabat in vtero, Ioannes exiliens in occursum eius gestiuit erumpere. **Ad vespervas hymnus.** Aue maris stella. **An.** Beata sterilis quæ præcursorem domini senio ingrauescente concepit: beator virgo, quæ Deum atque hominem genuit. vtraque miraculum sentit & mysterium recognoscit. Sed Elisabeth suum vertit in præconia visitantis: Maria vtrunque refert in gloriam conditoris.

Die. 3. B **De octa. Visitationis.**

Ex hom. sancti Ambro. episc. L. iij.

Contuendum est enim quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur. Maria ad Elisabeth, Christus ad Ioannem. Denique etiam postea vt sanctificaret baptismum Ioannis: Dominus venit ad baptismum. Cito quoque aduentus Mariæ, & præsententiæ dominicæ beneficia declarantur. Simul autem vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit ad Mariam, Benedicta tu inter mulieres: & benedictus fructus ventris tui. Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietates: vocem prior audiuit Elisabeth: sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa Mariæ, iste domini sensit aduentum: fœmina mulieris, & pignus pignoris. Istæ gratiam loquuntur: illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adorantur profectibus: duplicique miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Exultauit infans in vtero: mater repleta est. Non prius mater repleta quam filius, sed cum filius esset re-

pletus Spiritu sancto, repleuit & matrem. Exultauit Ioannes: exultauit & Mariæ spiritus: exultante Ioanne repletur Elisabeth. Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum eius exultare cognouimus.

Die. 4. C **De octa. Visitationis.**

Ex eadem homilia. Lectio. iij.

Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in matre: & illa post conceptum repletur: ista ante conceptum. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Nouit sermonem suum Spiritus sanctus, nec vnquam obliuiscitur: & prophetiæ non solum rerum complentur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo dictum est: Ecce hæreditas domini filij merces fructus ventris? Hæc hæreditas domini filij sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit. Ipse fructus ventris est flos radicis: de quo bene prophetauit Isaias dicens, Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Radix enim est familia Iudæorum: virga, Maria: flos Mariæ Christus: qui veluti bonæ arboris fructus, nostræ virtutis processu nunc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediuiua corporis resurrectione reparatur. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Non quasi ignorans dicit. Scit enim esse Spiritus sancti gratiam & operationem, vt mater prophetæ, a matre domini, ad profectum sui pignoris salutetur, sed quasi hoc non humani meriti, sed diuinæ gratie munus esse cognoscat.

Die. 5. D **De octaua Visitatio.**

Ex eadem homilia. Lectio. iij.

Non vſitata hæc officia foeminarum ſunt, vt veniat mater domini mei ad me. Miraculum ſentio, cognoſco myſterium: mater domini Verbo foeta, Deo plena eſt. Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: & beata quæ credidiſti. Vides non dubitaſſe Mariam, ſed credidiſſe: & ideo fructum fidei conſecutam. Beata (inquit) quæ credidiſti. Sed & vos beati qui audiſtis & credidiſtis: quæcunque enim crediderit anima, & concipit, & generat Dei verbum, & opera eius agnoſcit. Sit in ſingulis Mariæ anima, vt magnificet dominum. Sit in ſingulis Mariæ ſpiritus, vt exultet in domino. Si ſecundum carnem vna mater eſt Chriſti: ſecundum fidem tamen omnium fructus eſt Chriſtus Ieſus. Omnis enim anima accepit Dei verbum, ſi tamen immaculata & immunis a vitiis, & intemerato pudore eius caſtimoniam cuſtodiuit.

Hodie ves. dicuntur de octa. apoſtolorum. Et non fit commemo. de Viſitatio. in his veſperis, nec die cras-tina. Hym. Exultet cœlum laudibus. de communi apoſtolorum an. Petrus apoſtolus, & Paulus doctor gentium, ipſi nos docuerunt legem tuam domine. Oratio.

Deus cuius dextera beatum Petrum apoſtolum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, & coapoſtolum eius Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberauit: exaudi nos propitius & concede, vt amborum meritis, æternitatis gloriam conſequamur. Qui viuus. &c.

Die. 6. E *Octaua apoſtolorum Petri, & Pauli dup. Hodie omnia dicuntur de communi apoſtolorum præter tertiam lectionem, & orationem.*

Sermo ſancti Leonis papæ. Lectio. iij.

Omnia quidem ſanctorum ſolennitatum, dilectiſſimi, totus mundus eſt particeps, & vnus fidei pietas exigit: vt quicquid pro ſalute vniuerſorum geſtum recolitur, communibus vtique gaudiis celebretur. Veruntamen hodierna feſtiuitas præter illam reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, ſpeciali & propria noſtræ vrbiſ exultatione veneranda eſt: vt vbi præcipuorum apoſtolorum glorificatus eſt exitus, ibi in die martyrij eorum fit lætitiæ principatus. Iſti enim ſunt viri, per quod tibi euangelium Chriſti, Roma, reſplenduit: & quæ eras magiſtra erroris, diſcipula facta eſ veritatis. Iſti ſunt ſancti patres tui verique paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam, multo melius, multoque feliciter condiderunt, quam illi quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt: e quibus is qui tibi nomen dedit, fraternam te cæde foedauit. Iſti ſunt enim qui te in hanc gloriam prouexerunt, vt ſis gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis & regia: per ſacram beati Petri ſedem caput totius orbis effecta, latius præſidens religione diuina, quam dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis ius imperij tui terra marique diſtendatur, minus tamen eſt quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubiecit. *Oratio.* Deus cuius dexte. &c. vt ſupra.

Die. 7. F *De octa. Viſitationis.*

Ex ſermo. ſancti Ambro. Lectio. iij.

Beatiffima virgo Dei genitrix Maria a ſuis primordiis domino conſecrata, propter beneficia eius inaudita, exhibita populo inuocanti, omnes in neceſſitate conſtituti ad eam confugiunt, tanquam ad ſingulare remedium, vbi

humanum subsidium non sufficit requisitum. Disponit nanque omnia inferiora sua sapientia, prouidentia & industria propulsata. Ipsa enim ex abundantia gratiæ sibi datæ est cura curarum, cum sit visitatrix, nutrix, genitrixque bonorum. gaudet autem Deus & lætatur per secula quando Reginæ cœli cuncta debite sunt subiecta. Vbi enim est gubernatrix prouida cœlicæ & terrenæ potestatis? In Maria. Vbi mater misericordiæ, & impetratrix veniæ? In Maria. Vbi mediatrix ad Deum pro crimine? In Maria. Vbi reparatrix sperandæ gratiæ? In Maria. Vbi mater militantis ecclesiæ? In Maria. Ipsa siquidem est aduocata mundi, patrona peculij, visitatio periculi, spes salutis populi Christiani. Ipsa miserorum miseratio, afflictorum relectio, desolatorum consolatio, peccatorum visitatio, discordantium redintegratio cum triumpho.

Die. 8. G *De octa. Visitationis.*

Sermo venera. Bedæ presby. L. iij.

BEata Dei genitrix virgo semper Maria templum domini, sacrarium spiritus sancti: cum ab Angelo salutata fuisset, seque prole grauidam cognosceret, confestim in montana perrexit, portans a quo portabatur. Et aperte post visionem angeli, beata Dei genitrix in montana subiit: quæ gustata suauitate supernorum ciuium, humilitatis se gressibus ad alta virtutum transtulit. Intrat ergo domum Zachariæ, atque Elisabeth, quam seruam ac præcursores domini parituram nouerat, salutatur: non quasi dubia de oraculo quod acceperat: sed vt gratulatura de dono, quod conseruam accepisse didicerat. Non vt verbum angeli mulieris attestacione probaret, sed vt mulieri prouectæ ætatis virgo

iuuencula ministerium sedula impenderet. Vt autem audiuit salutationem Mariæ, Elisabeth, Exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth. Aperiente os suum ad salutandum beata Maria, repleta est mox Spiritu sancto Elisabeth. repletus est & Ioannes, atque vno eodemque spiritu ambo edocti. Illa salutantem quæ esset agnouit: & vt matrem domini sui debita cum benedictione venerata est. iste ipsum esse dominum, qui vtero virginis portaretur, intellexit.

Hodie in ves. dicitur an. assignata ad primas ves. Hodie Ioannis.

Die. 9. A *Oct. Visitatio. du. mi.*

Ex eodem sermone. Lectio. iij.

REpleta est ergo Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna. Recte voce magna exclamauit, quia magna Dei cognouit dona. Et recte voce magna, quia illum, quem vbique præsentem nouerat, etiam adesse sentiebat. Magna etenim voce, non tam clamosa, quam deuota intelligendum est. Neque enim modicæ vocis deuotionis Deum laudare volebat, quæ Spiritu sancto plena flagrabat: quæ & illum in vtero gestabat, quo in natis mulierum nemo maior est. Eum etenim aduenisse gaudebat, qui conceptus ex carne virginis filius altissimi vocaretur & esset. Exclamauit autem & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Non solum benedicta inter mulieres: sed inter mulieres benedictas maiori benedictione specialiter insignis. Benedictus fructus ventris: tui. nec ipse generali more benedictus sanctorum: sed sicut apostolus ait, Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem: qui est super omnia Deus benedictus in secula.

Die. 10. B *Septem fratres mar. L. iij.*

Crescente rabie persecutionis in Christianos, septem fratres Romæ sub Antonino Pio martyrio coronati sunt. Cum enim delatum fuisset ad Cæsarem ab his deos blasphemari, Christi fidem palam confitentibus, datum est negocium Publio præfecto, vt eorum causam iudicaret. Qui primo blandis verbis, deinde terroribus ac minis instat, vt abnegato Christo diis sacrificarent. Felicitas autem eorum mater constantia plusquam virili, si Christum, inquit, o iudex nosces, eiusque magnitudinem intelligeres, ac diuinitatem, desisteres haud dubie pios homines a religione ipsius oratione impia subducere. Qui enim Christianis maledicit, Deo maledicit in cordibus eorum habitanti. Et ad filios conuersa, ipsos vt neque cruciatus perhorrescant, neque mortem propter fidem in Christum recusent adhoratur. Igitur iratus iudex, ad filiosque conuersus cum videret eos in fide immobiles permanere, nec promissis, nec minis a sententia reuocari, in carcerem eos trudit, & Cæsari rei ordinem exponit. Ille vero iubet omnes morti tradi. Primus igitur eorum Ianuarius plumbatis cæsus expirauit. Felix deinde, & Philippus fustibus necantur. Siluanus præcipitio. Alexander cum alijs duobus capite truncatur. vj. Idus Iulij. Mater item quarto post mense gladio percussa martyrij palmam adeptæ est. Quam Gregorius octies martyrem appellat. Passa est enim septies in septem filijs, & demum in corpore proprio.

Die. 11. C **Pius papa confes. L. iij.**

Pius natione Italus, patria Aquileiensis, Imperatore Marco Antonino Vero pontifex factus est. Hic pœnam statuit iis, qui negligenter Christi corpus aut sanguinem at-

trectarent: Pœnitentiam (inquiens) agant. xl. diebus, quorum negligentia in terram aliquid deciderit, si super altare tribus diebus, si super linteum, quatuor, si in aliud linteum, nouem diebus. Vbicunque ceciderit, si recipi potest, lambatur: sin aliter, aut lauetur, aut radatur: lotum & rasum aut comburatur, aut in sacrarium reponatur. Demum vbi ex ordinationibus quinque mense Decembri habitis, presbyteros. xix. diaconos. xxj. episcopos. x. creasset, moritur & in Vaticano sepelitur. v. Idus Iulij, cum sedisset annos. xj. menses. iij. dies tres.

Die. 12. D **Nabor & Felix mar.**

Die. 13. E **Anacletus papæ mar. L. iij.**

Anacletus Papa natione Græcus patria Atheniensis. Traiani temporibus Clementi suffectus, vt honestis institutis homines ecclesiasticos formaret, lege vetuit, ne episcopus a paucioribus quam a tribus episcopis initiaretur. Ac vt clerici publice, non priuatim ad sacros ordines adsciscerentur. Omnibus quoque fidelibus præcepit, vt peracta consecratione communicarent, recusantes autem ab ecclesijs eiicerentur. Hic etiam loca, vbi seorsum martyres sepelirentur, designauit. Per id tempus mirum in modum auegescente re Christiania, Traianus metuens, ne quid detrimenti imperium Romanum inde caperet, tertiam persecutionem in Christianos concessit. Qua cum per multi alij, tum in primis ipse Anacletus martyrio coronatur tertio Idus Iulij. Sedit autem annos nouem, menses duos, dies decem.

Die. 14. F **Processus, & Martinianus. Lectio tertia.**

Quo tempore Romæ Petrus & Paulus in vinculis in Tarpeio monte tenebantur, duo ex custodibus

Processus & Martinianus apostolorum verbis & miraculis cum aliis quadrantanouem ad fidem Christi conuersi sunt, & fonte diuinitus ex quodam saxo in ipso carcere manante bapizati. A quibus apostoli relaxati, abire si velent ex carcere permisi sunt. Quod vbi nuntiatum est Paulino militum præfecto. Processum & Martinianum ad se accersitos verbis grauissimis ob acceptam religionem castigat, & ab ea cunctis rationibus reuocare conatur. Sed cum nihil proficeret, indignatus se ab iisdem contemni, iubet ipsorum ora saxo vehementer contundi, dentesque comminui. Deinde cum Iouem adorare iussi constanter renuissent, in equuleo suspensi, fustibus sæuissime cæduntur, & admotis flammis aduruntur, vnam vocem emittentes, Sit nomen domini benedictum. Vehementer igitur cruciati, & in Christi fide persistentes, in eundem carcerem detruduntur, & paucis post diebus extra urbem ducti, in via Aurelia capite truncantur. Quorum corpora Lucina in prædio suo sexto Nonas Iulij sepeliuit.

Die. 15. G **Bonauentura Cardinalis confessor. Lectio tertia.**

Sanctus Bonauentura natione Thuscus, in oppido Balneo regio nobili genere natus, anno suæ ætatis circiter vigesimosecundo, religionem beati Francisci suscepit. Et studio literarum deditus, Alexandro de Ales præceptore, tantum profecit, vt septimo susceptæ religionis anno in Gymnasio Parisiensi publice librum sententiarum inter pretaretur, vir summæ maansuetudinis, ac sanctitatis. Anno vero. xij. quam susceperat religionem, creatus est totius ordinis minister generalis. Quod munus sapienter administrando, summam est laudem conse-

cutus, non solum doctrinæ, & sanctimoninæ, sed etiam ingenij & dexteritatis. Qua fama ductus Gregorius papa. xj. Cardinalem ipsum & episcopum Albanensem creauit. Multa hic opera doctissime conscripsit, quæ longum esset recensere, in primisque eruditissima commentaria in. iij. lib. sententiarum. Obiit autem Lugd. tertio Ideus Iulij, claruitque miraculis. Quam ob rem a Xisto papa quarto, anno domini, millesimo quadringentesimo octogesimo secundo, inter sanctos est relatus.

Die. 16. A **Eustachius episcopus conf.**

Die. 17. B **Alexius confessor.**

Die. 18. C **Symphorosa cum septem filijs marty. Lectio tertia.**

Tybure Symphorosa matrona sanctissima, vxor fuit Getulij martyris, ex quo septem filios ad martyrium videlicet procreauit, Crescentium, Iulianum, Nemesium, Primitium, Iustinum, Stacteam, Eugenium: cum quibus in persecutione Adriani capta est, propter Christianæ fidei professionem, omnesque multis affecti supplicii, vt a vera pietate discederent. In qua cum immobile permansissent, Symphorosa in præterfluentem fluuium saxo ad collum appenso, præcipitate est, & interempta: eiusque corpus ab Eugenio ipsius fratre sepulturæ datum. Postridie vero quæ fuit. xv. Calend. Augusti, septem fratres singulis stipitibus alligati sunt. Et Crescentius per guttur ferro transfixus, Iulianus per pectus, Nemesius per cor, Primitius per vmbilicum, Iustinus membratim dissectus est, Stacteus multis lanceis confixus, Eugenius a pectore in partes inferiores scissus. Ipsorum autem corpora in fossam quandam præaltam deiecta sunt in via Tyburtina milliario nono.

Die. 19. D *Iusta & Rufina.*

Die. 20. E *Margarita vir. mar.*

Die. 21. F *Praxedis virgo.* L. iij.

PRaxedis virgo venerabilis Prudentis Romani filia, amissis parentibus, tanta cura & constantia Christianorum commoditatibus inseruiebat, vt multos sanctorum pauperum suis opibus aleret, aliorum necessitatibus quoad poterat prouideret. Exorta vero Christianorum sub Marco Antonino Imperatore persecutione, exestuans virgo beata, non destitit fideles omni ratione fouere. Itaque alios domi occultabat, aliis necessaria submittebat, alios ad fidei constantiam hortabatur. Martyrum corpora mira solitudine collecta, sepeliebat. Tantam igitur Christianorum stragem, cum sine summo dolore ferre non posset, precata Deum vt se tantis e malis eriperet, exaudita est. Et egregie suæ pietatis atque laborum præmia perceptura, migravit ad dominum. xij. Calend. Augusti. Cuius corpus Pastor Presbyter iuxta patrem & sororem Potentianam, in cœmeterio Priscillæ via Salaria sepeliuit.

Maria Magdalena duplex minus. Ad vesperas hymnus.

Mardi Maria pistici Sumpsit libram mox optimi, Vnixit beatos domini Pedes regiendo lachrymis.

Honor, decus, imperium, sit trinitati vnicae, Patri, nato, paracleto, per infinita secula. Amen.

Antiphona. Maria vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis: & domus impleta est ex odore vnguenti. *Oratio.*

Beatæ Mariæ Magdalenaë quæsumus domine suffragiis adiuuemur: cuius precibus exoratus, quadriduanum fratrem viuum ab inferis resus-

citasti. Qui vi.

Die. 22. G *Ad matutinum inuit.*

Laudemus Deum nostrum in confessione beatæ Mariæ Magdalenaë. *Hym.* Nardi. *vt sup. An.* Ornatum mundi contempsi propter amorem domini mei Iesu Christi. L. iij.

EX mulieribus quæ Christum egregia pietate coluisse in historia euangelica referuntur, Maria Magdalena in primis celebratur, de qua tamen non parua est doctissimorum & grauissimorum virorum controuersia, quibusdam res aliquas gestas, de quibus est in euangelio, ad vnam mulierem referentibus, aliis ad plures. Vt cunque sit, traditum est a maioribus Mariam Magdalenam Lazari, Marthæque sororem cum ipsis, & Maximino aliisque sanctis hominibus post Christi Ascensionem, naui in qua sine velis & remis fuerant a Iudæis, vt naufragio perirent, impositi, ope diuina Massiliam tandem applicuisse, eandemque potissimum Massiliensibus, & vicinis populis euangelium prædicasse, & plerisque ad fidem Christi conuersis, in præaltum montem secessisse, ibique solitariam vitam multos anos transegisse, in frequenti tamen angelorum consuetudine, a quibus iam moritura in ecclesiam vrbis Aquensis, cuius erat episcopus sanctus Maximinus, deportata fuerit, vbi accepta eucharistia migravit ad dominum vndecimo Calend. Augusti, multis editis miraculis, quæ longum esset recensere.

Ad laudes antiphona. Ista est speciosa inter filias Ierusalem. *Ad vesperas hymnus.* Nardi. *vt sup. An.* Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Die. 23. A *Apollinaris episc. mar.*

Die. 24. B *Christina virg. mart.*

Die. 25. C **Iacobus Apostolus duplex maius. Oratio.**

Sto domine plebi tuæ sanctificator & custos, vt apostoli tui Iacobi munita præfidiis, & conuersatione tibi placeat, & secunda mente deseruiat. Per dominum nostrum. **Lectio. iij.**

Iacobus apostolus Zebedæi filius, natione Galilæus, inter primos Apostolos a Christo vocatus fuit cum Ioanne fratre. Qui relictis retibus, quæ tunc forte reficiebat, & patre Zebedæo ipsum Iesum secuti sunt. Hic est vnus ex tribus apostolis dilectissimis, quos Christus testes esse voluit suæ transfigurationis. Et quos solos sequi se permisit domum ingressurus Iairi Archisynagogi, ad filiam ipsius a morte reuocandam. Hunc, & Ioannem fratrem tam dilectos esse Christo eorum mater intelligebat: vt non dubitauerit ab ipso petere, vt cum esset in suo regno, alterum a dextris collocaret, alterum a sinistris. Hic igitur Iacobus post Christi ascensum quum fidem ipsius per Iudæam & Samariam mirabiliter prædicando propagasset, plurimosque in his Herogenem hæreticum ad verum Dei cultum conuertisset, Hispaniam adiiisse, & ibi euangelium prædicasse auctor est Isidorus. Vnde Ierosolymam reuersus, ab Herode gladio percussus, primus apostolorum martyrio coronatus est. Qui dum ad supplicium duceretur, oblatum paralyticum in via sanauit, eoque miraculo Iosiam, qui se vincitum ad Herodem traxerat conuertit, & martyrij participem effecit. Postea vero ipsius apostoli corpus Compostellam translatum est.

Die. 26. D **Anna mater virginis duplex minus. Oratio.**

DEus, qui beatæ Annæ tantam gratiam donare dignatus es, vt beatissimam matrem tuam in glorioso vtero portare meretur: da nobis quæsumus, per intercessionem matris & filiæ, tuæ propitiationis abundantiam: vt quarum memoriam pio amore complectimur, earum precibus ad cœlestem Ierusalem peruenire valeamus: qui viuus & reg. &c. **Inuitato. Hym. & An. dicuntur de communi vnus sanctæ, nec virginis, nec martyris. Lectio. iij.**

ANna virginis Dei genitricis mater, Gaziri filia, ex tribu Iudæ, in Bethlehem oppido Iudææ nata, Ioachimi fuit vxor, qui & ipse ex eadem tribu Galilæus erat ex Nazareth, ambo ex stirpe regio sanctorumque patrum, ipsi sancti atque iusti, vt decebat parentes futuros virginis, quæ Christum erat progenitura. Sed quam in charitate maritali sanctissime degerent, diu tamen optatissima prole caruerunt. Donec post annum vigesimum, conceptu & ortu sacratissimæ virginis Mariæ felicissimo, sterilitatis macula deleta, compotes facti sunt longissimi desiderij. Migravit autem ad dominum. vij. Calendas Augusti, cuius corpus conditum est in Bethlehem in paterna sepultura.

Die. 27. E **Pantaleo martyr.**

Die. 28. F **Nazarius & Socij mar.**

Die. 29. G **Martha virgo. L. iij.**

MArtha Christi hospita, Mariæ & Lazari soror, post Christi ascensum ad patrem a Iudæis in persecutione Christianorum cum fratre & sorore, & Marcilla pedissequa, & item Maximino, a quo tota domus fuerat baptizata, comprehenditur. Et hi omnes cum aliis compluribus. Christianis in nauis quadam imponuntur. Quæ nauis, velis, remis, clauoque spoliata, mari

committitur, vt omnes facto naufragio perirent. Cæterum Deo gubernante Massiliam incolumis applicuit. Quo miraculo & dictorum sanctorum prædicatione Massilienses primum, deinde vicini populi ad fidem Christi conuersi sunt. Martha igitur cum Massiliæ omnium in se animos propter eximiam sanctitatem conuertisset, cum multis honestissimis mulieribus in monasterio, quod ipsa curauit ædificandum sanctissime vixit, mortemque obiit multo ante a se præcognitam, & miraculis illustratam. iij. Calendas Augusti. **Oratio.**

OMnipotens clementissime Deus, cuius filius in æde beatæ Marthæ hospitari dignatus est: da quæsumus, vt eius meritis, quæ illum placide suscepit, in æde polorum misericorditer hospitari valeamus. Per eundem.

Die. 30. A **Abdon & Sennen mar.**

Die. 31. B **Nemesius & Lucilla martyres. Lectio tertia.**

Valeriano, & Gallieno Imperatoribus Nemesius tribunus militum, & Lucilla eius filia Romæ a sancto Stephano papa ad fidem Christi conuersi, & baptizati sunt. Nemesius vero paulo post ab eodem diaconus ordinatus, mira pietate Christum eiusque fidem colebat. Is cum aliquando Maximus, & Valerianus consules via Appia, qua ipse transibat in templo Martis sacrificarent, sacrificium abominatus, Deum orare cœpit, vt vanitatem superstitionis illorum aliquo signo declararet, statimque Maximus a dæmone correptus exclamare cœpit, se vehementer a Nemesio torqueri. Egressi vero ministri, cum eum orante offendissent, variis contemeliis affectum in templum pertraxere, ad cuius præsentiam statim Maximus expirauit. Tunc Valerianus, qui rem magicis artibus

patratam putabat, ira percitus, Nemesium innumeris suppliciis tortum cum Lucilla filia in carcerem trudit. Post tertium vero diem educti, Lucilla primum via Appia ante templum Martis vbi Maximus interierat, spectante patre decollatur. Deinde Nemesius inter viam Appiam, & Latinam itidem capite plexus, martyrio coronatur. viij. Calend. Augusti. Quorum corpora idem sanctus Stephanus papa via Latina non longe ab vrbe sepeliuit.

AVGVSTVS.

Vincula sancti Petri duplex minus. Ad vesperas hymnus.

PEtrus beatus catenarum laqueos Christo iubente rupit mirabiliter: Custos ouilis, & doctor ecclesiæ, Pastorque gregis, conseruator ouium Arcet luporum truculentam rabiem.

Gloria Deo per immensa secula: Sit tibi nate decus & imperium, Honor postestas, sanctoque spiritui, Sit trinitati salus indiuidua, Per infinita seculorum secula. Amen.

Antiphona. Herodes rex apposuit vt apprehenderet Petrum, quem misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo. **Oratio.**

DEus qui beatum Petrum apostolum a vinculis absolutum illæsum abire fecisti, nostrorum quæsumus absolute vincula peccatorum, & omnia mala a nobis propitiatus exclude. Per dominum nostrum.

Die. 1. C **Ad matutinu inuita.** Regem apostolorum. &c. **Hym.** Petrus beatus. **vt sup. in ves. an.** Petrus quidem seruabatur in carcere: & oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. **Lectio tertia.**

CVm Herodes occidisset Iacobum fratrem Ioannis, animaduertens

id esse gratum Iudæis, apprehendit quoque Petrum. Erant autem, vt est in Actis apostolorum, dies Azimorum, tradiditque quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce, Angelus domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitauit eum, dicens. Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Et dixit angelus ad eum, Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic, & dicit illi, Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum. & nesciebat quia verum est, quod fiebat per angelum, sed existimabat se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam Ferream quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit, Nunc scio vere quod misit dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Consideransque, venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes.

Ad laudes antiphona. Misit dominus angelum suum, & liberauit me de manu Herodis, Haleluiah. **Ad vespas hym.** Petrus beatus. **vt sup. Antipho.** Solue iubente Deo terrarum Petre catenas, Qui facis vt pateant cœlestia regna

beatiss.

Die. 2. D **Stepha. papa m. L. iij.**

Stephanus patria Romanus Valeriani & Galieni Imperatorum tempore summo pontificatui præfectus, instituit vt sacerdotes & Leuitæ nusquam sacris vestibus vterentur, nisi in ecclesia & sacris peragendis. Quæ (inquit) nec ab alio debent contingi, aut ferri, nisi a sacratis hominibus, ne vltio quæ Baldasarem percussit, super hæc transgredientibus, & talia præsummentibus veniat diuina. Sed cum multos sermone & exemplo ad fidem conuertisset, ad templum Martis vt sacrificaret ab infidelibus abstractus, constanti animo recusauit. Quam ob rem capite truncatus est, ac sepultus via Appia in cœmeterio Calisti quarto Nonas Augusti, cum sedisset annos septimum, menses quinque, dies duos.

Die. 3. E **Inuentio sancti Stepha. protomar. In hoc festo omnia dicuntur de communi vnus martyris, præter tertiam lectionem, & orationem.**

Lectio. iij.

Stephani protomartyris, Gamalielis Pauli præceptoris Nicodemi, & Abibonis corpora quæ diu in obscuro, ac despecto loco sepulta iacuerant inuenta sunt huad procul Ierosolymis Honorio Imperatore per reuelationem factam presbytero cuidam Luciano. Cui Gamaliel veneranda senis specie in somnis apparuit, & locum vbi indecenter iacebant monstrauit, præcepitque vt Ioannem Ierosolymitanum antistitem adiret, daretque operam, vt eorum corpora honestiore conderentur loco. Qua visione exterritus Lucianus, Ioanni antistiti reuelationem exponit. Adhibitis igitur aliis finitimarum vrbium episcopis, & presbyteris ad locum monstratum pergunt. Tunc effossa

humo, loculos distinctos inueniunt, ex quibus mira fragrantia, & suauissimus odor diffundebatur. Cum igitur ingens hominum multitudo vndique miraculo commota, eo concurrisset, multi, qui variis languoribus conflictati venerant, sani & incolumes discesserunt. Tandem sanctorum corpora cum summa celebritate in sanctam ecclesiam Sion illata, honesto ibi loco condita fuerunt.

Oratio.

DA nobis quæsumus domine imitari quod colimus, vt discamus & inimicos diligere: quia eius inuentionem celebramus, qui nouit etiam pro persecutoribus exorare dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. Qui tecum.

Die. 4. F **Dominicus confes. dup. mi.**

DEus, qui ecclesiam tuam beati Dominici confessoris tui illuminare dignatus es meritis & doctrinis: concede, vt eius intercessione, temporalibus non destituatur auxiliis, & spiritualibus semper proficiat incrementis. Per. **Lectio. iij.**

DOminicus natione Hispanus, vir sanctitate & doctrina clarus, ordinis prædicatorum author Calagura Oxomensis diocesis oppido natus est, patre Felice, matre vero Ioanna. Quæ facta grauida, in somnis visa sibi est vtero se gestare catulum cum facula ori inserta, qua egressus ex vtero, totum mundum incenderet. Qua videlicet re portendebatur puerum esse conceptum, qui splendore suæ doctrinæ totum modum illustraret, & prædicationibus ad recte viuendum inflammaret, vt res ipsa declarauit. Hoc enim præstitit tum per se, tum etiam per ordinem prædicatorum, quem ipse condidit, cum prius in ecclesia Oxomensi fuisset canonicus regularis. Huius viri

sanctitas & doctrina plurimum enituit in extirpandis hæresibus perniciosis, quæ ad Tolosam pullularant septennio consumpto in eo labore. Quibus rebus ductus Innocentius tertius papa, institutum ab eo ordinem autoritate apostolica approbavit, & paulo post itidem Honorius tertius confirmauit. Dominicus igitur cum multa monasteria per orbem erigendi author fuisset, miraculisque clauisset, & multas regiones docendo & prædicando lustrasset, anno Christi nati M. ccxxiij. Bononiæ (quæ vrbs est Italiæ celebris) nonis Augusti a vita migravit. Quem postea Gregorius nonus retulit in numerum sanctorum ob edita miracula, & vitam sanctissime gestam.

Sanctæ Mariæ ad niues duplex inus. Ad vespervas hymnus. Aue maris stella. **Antiphona.** Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue debiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam festiuitatem. **Oratio.**

DEus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ virginis, in qua habitares, eligere dignatus es, da quæsumus, vt sua nos defensione munitos, iucundos suæ facias interesse commemorationi. Qui vi.

Die. 5. G **Ad matutinum inuita.**

Sancta Maria Dei genitrix virgo intercede pro nobis. **Hym.** O gloriosa domina. &c. **Antiphona.** Beata es Maria, quæ credidisti: perficientur in te quæ dicta sunt tibi a domino. Haleluiah.

Lectio. iij.

ROmæ liberio pontifice antequam vllum in vrbe templum virginis matris nomine dicatum esset, Ioannes patritius Romanus morum honestate &

generis nobilitate, atque opibus præstans, cui vxor erat moribus & conditione par, cum orbitatem filiorum dolenter ferret, nec diu cogitanti idoneus quisquam occurreret, quem suarum opum hæredem relinqueret, eademque sollicitudo vxorem fatigaret, ambo assiduis precibus a beata virgine Maria contendebant, vt vel se prolis compotes efficeret, vel quem potissimum hæredem instituere commodissimum & honestissimum esset, indicaret. Exorata igitur piis precibus mitissima virgine, nocte nonarum Augusti, quo tempore solent vrbem æstiuæ calores infestare, pars eius montis vrbis, qui dicitur Esquilæ, plurima niue conspersa est, Deo voluntati matris annuente. Eademque nocte Ioanni eiusque vxori seorsum virgo mater visa est niuem demissam referre, ipsosque iubere vt in eo loco, quem nix occupasset, templum suis sumptibus ædificarent, quod nomine Mariæ virginis dicaretur, quæ ad hunc modum vellet hæres ab ipsis relinquere. Hanc visionem cum Ioannes ad Liberium pontificem retulisset, idem sibi visum contigisse pontifex asseueravit, eademque nuntiata & imperata, proinde monita diuina non esse negligenda. Cum magna igitur & solenni pompa ad locum niuis pontifex cum frequenti populo processit, & locum templo designauit, quod illorum, quos diximus, impensis magnifice constructum sanctæ Mariæ maioris nuncupatur.

Ad laudes an. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. **Vesperæ dicuntur de transfiguratione, & fit commemoratio de virgine per orationem tantum.**

Transfiguratio domini duplex maius. Ad vespas hymnus.

SAUDE mater pietatis in vallegementium, Pro ducatu dignitatis Christi regis omnium: quo dilecta prædotoris in culmine montium.

Vbi patres præcellentes in mortali corpore Admirantur assistentes de tam grandi munere: Diuinum numen cernentes in creato lumine.

Genitori genitoque laus, & iubilatio: Salus, honor, virtus quoque sit, & benedictio: Procedenti ab vtroque compar sit laudatio. Amen. **Antiphona.** Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. **Oratio.**

DEUS qui fidei sacramenta in vni geniti tui gloriosa transfiguratione patrum testimonio roborasti: & adoptionem filiorum perfectam, voce delapsa in nube lucida mirabiliter præsignasti: concede propitius, vt ipsius regis gloriæ nos cohæredes efficias, & eiusdem gloriæ tribuas esse consortes. Per eundem.

Die. 6. **A Ad matutinum inuita.** Summum regem gloriæ Christum adoremus. **Hymnus.**

EXULTET laudibus sacrata concio, Cœli agminibus iuncta tripudio Pro verbi gloria, qua splendent omnia, Terra, pontus, & æthera.

Promissum panditur fratrum de medio, Patris cum labitur vox de fastigio: Dicens hunc filium doctorem cœlicum, Auditique dignissimum.

Te trina Deitas vnaque poscimus, Sic nos tu visita, sicut te colimus: Per tuas semitas duc nos quo tendimus, Ad lucem, quam inhabitas. Amen. **Antiphona.** Et ecce apparuerunt eis Moyses. & Elias loquentes cum Iesu. **Ex cap. xvij. Matthæi. Lectio. iij.**

c. 17. **E**T post dies sex, assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes, Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Et descendentes illis de monte, præcepit illis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat. **Ad laudes antiphona.** Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite, Haleluiah. **Ad vesp. hym.** Gaude mater. **vt supra.** **Antiphona.** Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde, & accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere, Haleluiah.

Die. 7. B **Iustinus presbyter mar.**

Die. 8. C **Ciriacus Largus &c. mar.**

Die. 9. D **Xystus secundus papa martyr.** **Lectio tertia.**

Xystus secundus papa, natione Græcus, patria Atheniensis, ex philosopho Christi discipulus factus, sæuiente adhuc Deciana & Valeriana persecutione, sedit annos duos, menses.

x. dies. v. &. xx. Qui accusatus quod Christi fidem contra principum decreta prædicaret, captusque ad Martis trahitur templum, proposita, nisi Marti sacrificaret, capitali pœna, quam tamen ipse constanti animo impietati prætulit. Cum igitur ad supplicium duceretur, interpellanti se Laurentio & dicenti: Quo progredieris sine filio pater? quo sacerdos optime sine ministro properas? Respondit, Non ego te desero fili. Maiora manent te pro Christi fide certamina: post triduum me sequeris, sacerdotem leuita. Interim si quid in thesauris habes, pauperibus distribue. Eodem igitur die cum Xysto, diaconi sex interficiuntur, Felicissimus, Agapytus, Ianuarius, Magnus, Innocentius, Stephanus. Sepultus est autem Xystus in cœmeterio Calisti, via Appia octauo Idus Augusti.

Inspiciendum est nunc indice super fol. 409. posito, an in die sancti Laurentij, vel infra eius octauam, sit interponenda aliqua ex dominicis Vagantibus.

Laurentius martyr dup. maius. Ad vesp. hym. Deus tuorum. **vt in communi antiphona.** Leuita Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis cæcos illuminauit, & thesauros ecclesiæ dedit pauperibus.

Oratio.

SA nobis quæsumus omnipotens Deus vitiorum nostrorum flammas extinguere: qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per.

Die. 10. E **Ad matutinum inuita.** Beatus Laurentius Christi martyr triumphat coronatus in cœlis, venite adoremus Christum dominum. **Hym.** Martyr Dei. **vt in communi antiphona.** Quo progredieris sine filio pater: quo

sacerdos sancte sine ministro properas? Non ego te desero fili: maiora te manent pro Christi fide certamina. **Lectio tertia.**

SÆuiente adhuc Valeriana in Christianos persecutione, quæ fuit post Neronem octaua, cum Laurentius natione Hispanus Xystum papam. ij. martyrem, cuius erat pietatis charissimus discipulus, in vincula coniectum visitaret, iussus ab eo est, vt pauperibus primo quoque tempore distribueret thesauros ecclesiæ quos haberet. Quod Laurentius diligenter exequutus, cum Xystum videret ad martyrium abstrahi, post eum clamabat: quo pater abis sine filio? quo sacerdos sine leuita? Xystus autem bono eum animo esse iubet, nam fore vt se post triduum sequeretur. Laurentius autem a Parthemio tribuno vocatus, iussusque thesauros ecclesiæ demonstrare, se postredie facturum pollicetur. Et postero die (vt testatur sanctus Ambrosius) pauperes adduxit. Interrogatusque vbi essent thesauri quos promisisset, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri ecclesiæ. Tunc vero in carcerem coniectus, cuius præfectus erat Hippolytus, non cessabat prædicatione ac miraculis editis Christi fidem propagare. Nam Lucilio cuidam, qui plorando in carcere fuerat obcæcatus, credenti visum promisit, ac per baptismum restituit, Hippolytumque ipsum cum. xix. eius familiæ hominibus ad Christum conuertit. Productus autem vt thesauros proderet, ipsorumque redderet rationem: quod factum erat exposuit, seque pauperibus, Xysti mandatum, & Christi doctrinam sequutum, distribuisse. Tunc vero simul propter distributos thesauros, simul propter Christi confes-

sionem, scorpionibus primum, deinde virgis, tum plumbatis flagellis sæuissimè cæditur. Quibus patientissime toleratis, cum a fide Christi non posset auerti, ferreæ craticulæ alligatus, ardentibus prunis imponitur, & lento igne constantissimus in fide torretur, donec spiritum emisit. iiij. Idus Augusti. Cuius corpus circa urbem in via Tyburtina Hippolytus curauit, sepeliendum in prædio Cyriacæ viduæ, quam ille a diuturno morbo liberauerat.

Ad laudes antiphona. In craticula te Deum non negaui, & ad ignem applicatus te Christum confessus sum: probasti cor meum, & visitasti nocti: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. **Ad vesperas hymnus.** Deus tuorum. **vt supra.** **An.** Beatus Laurentius dum in craticula super positus vreretur, ad impiissimum tyrannum dixit, Affatum est iam, versa & manduca: nam facultates ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum reportauerunt.

Die. 11. **F De oct. sancti Laurentij. Sermo sancti Augustini episc. L. iij.**

CVm omnes beatos martyres, quos nobis tradidit antiquitas, honorificentia digna veneremur: præcipue tamen beatum Laurentium martyrem debemus tota deuotione suscipere. Maiorem enim affectum ibi debeo, vbi credulitatem meam cogit contemplatio, quam vbi fidem meam hortatur opinio. Maiorem inquam affectum illic debeo, vbi per ea quæ vidi, compellor deuotione credere etiam illa quæ non vidi. Nam & cum audio aliqua quæ mihi impossibilia videntur, cœpi ea credere potuisse fieri, dum similia facta esse conspexi. Et ideo temporibus nostris passi hanc nobis præstiterunt gratiam, vt fidem præteri-

tam confirmarent. Supradictum igitur beatum virum tota debemus deuotione suscipere. Primum, quia pretiosum sanguinem suum propter dominum tradidit: deinde quod prærogatiuum nobis apud dominum nostrum non minimam contulit, ostendens qualis debeat esse in Christiani fides, de cuius consortio existere martyres merentur. Tertio quod idem tam sanctæ conuersationis fuerit, vt coronam martyrij tempore pacis inuenerit. Sed cum infideles tanta sanctitate beatum Laurentium pro Christi nomine vidissent certare, erroresque eorum manifestos rationabili castigatione conuincere: tunc illi inebriati furore rapuerunt eum, & cæde crudelissima sauciarunt: & beati viri corpus flammis in craticula tradiderunt. Vere beatum corpus, quod non ad pœnam funestus ignis, vel tormenta mortis a fide Christi immutauerunt, sed ad requiem æternam sancta religio coronauit.

Die. 12. G *Clara vir. du. mi. L. iij.*

CLara virgo sanctissima nobili loco nata Assisij (quod oppidum est in Vmbria) instituta, disciplinamque beati Francisci sui ciuis secuta, relictis mundanis opibus, collegium instituit pauperum & religiosarum foeminarum, cum quibus recessit in ecclesiam beati Damiani. Vbi mirabili parsimonia & sanctitate vitam quadraginta duorum annorum peregit, multis etiam editis miraculis. Quorum illud silentio non præteribimus. Quod cum tempore Federici Imperatoris, Saraceni, qui Italiam inuaserant, Assisium obsiderent, & ipsum virginum monasterium oppugnarent, Clara licet ægotans ad portam se iubet deportari in hostium conspectum cum capsula qua sacramentum eucharistiæ continebatur, vbi hanc cum lachrymis orationem effudit.

Ne tradas domine bestiis animas confitentes tibi, & custodi famulas tuas, quas pretioso sanguine redemisti. Cui vox de coelo reddita est, Ego vos semper custodiam. Itaque Saraceni subito terrore quodam perculsi, obsidionem solunt: & qui muros ascenderant, cæcitate percussi, deciderunt. Paulo vero post morbo ingrauescente decem & septem diebus sine vilo cibo peractis migravit ad dominum pridie Idus Augusti, tempore Innocentij. iij. Qui ægotantem inuisit, & eucharistiam est impartitus. Quam Alexander. iij. anno Domini M. cclv. retulit in numerum sanctarum virginum.

Die. 13. A *De oct. sancti Laurentij. Ex sermo sancti Augustini. L. iij.*

HÆc ergo tota causa passionis est fratres propter quam morti addictus est sanctus vir, vt sui similes esse cæteros hortaretur. Nam exhortatio illa intantum profecit, vt illo a seculo recedente, fides eius regionis ipsius loca vniuersa peruaserit. Ita Christus tunc in beato martyre suo Laurentio persecutionem passus est, nunc illic plurimi Christianorum exultet in populis. Sufficere nobis debent ad profectum salutis nostræ martyrum exempla sanctorum: qui propter adipiscendam coelestem coronam omnibus se mandatis dominicis subdiderunt. Et ita cunctis se vixerunt legibus saluatoris, vt propter ante actam vitam mererentur ad hanc martyrij gloriam peruenire. Non enim illo tempore tantum perfecerunt præceptum domini, quo confessionis supplicium pertulerunt: sed necesse fuit illos prius secundum euangelium vixisse: vt Christi passionibus participarent. Necesse inquam erat vt initia bona fierent, quorum finis est optimus subsequutus: & martyres

eos non solum fuisse cum passi sunt, sed etiam martyres Christi fuisse cum viuerent. Martyr enim Græce, Latine testis dicitur. Igitur quotiescunque bonis actibus mandatum Christi facimus, toties Christo testimonium perhibemus.

Die. 14. B *De oct. sancti Laurentij. Ex alio serm. sancti Augustini. L. iij.*

Igitur sanctum martyrem Laurentium grano sinapis possumus comparare, qui diuersis attritus passionibus, per totum orbem gratia meruit sui fragrare martyrij. Qui ante constitutus in corpore erat humilis, ignotus & vilis. postea quam vexatus, laceratus, exustus est, vniuersis per totum mundum ecclesijs odorem suæ nobilitatis infudit. Recte igitur huic comparatio copulatur. Siquidem granum sinapis cum teritur, accenditur. Laurentius cum patitur, inflammatur. Illud feruor attritionis suæ mouet, hic ignem plurima vexatione suspirat. Sinapis (inquam) in vasculo calido decoquitur, Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinsecus beatus Laurentius martyr tyranni sæuiantis incendiis, sed maior illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. Et quamuis rex improbus ligna subiiceret, incendia maiora supponeret, tamen sanctus Laurentius has flammam fidei calore non sensit, & dum Christi præcepta cogitat, frigidum est illi omne quod patitur. Neque enim potest in visceribus ignium tormenta sentire, qui sensibus paradisi refrigeria possidebat.

Aduerte an in die Assumptionis virg. vel infra eius oct. sit interponenda aliqua ex vagantibus. 409.

Assumptio Mariæ virginis duplex maius. Ad vespas hym. Aue maris stel. An. Virgo prudentissima quo pro-

grederis, quasi aurora valde rutilans filia Sion, tota formosa, & suauius es, pulchra vt luna, electa vt sol. **Oratio.**

S Amulorum tuorum quæsums domine delictis ignosce: vt qui tibi placere de actibus nostris non valemus, genitricis filij tui domini nostri intercessionem saluemur. Per eundem. **Et non fit comme. de sancto Laurentio in his vesper. nec die crastina.**

Die. 15. C *Ad matutinum inuita.* Venite adoremus regem regum, cuius virgo mater hodie assumpta est ad cœlum. **Hym.** O gloriosa domina. **An.** Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad cœlestia regna.

Ex sermo. beati Bernardi. L. iij.

Virgo hodie gloriosa cœlos ascendens, superiorum gaudia ciuium copiosis sine dubio cumulauit augmentis. Hæc est enim cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si paruuli necdum nati anima liquefacta est vt Maria locuta est, quid putamus quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cum vocem & audire, & videre faciem, & beata eius frui præsentia meruerunt? Nobis vero charissimi, quæ in eius assumptione solennitatis occasio? quæ causa lætitiæ? quæ materia gaudiorum? Mariæ præsentia totus illustratur orbis, adeo vt ipsa iam cœlestis patria clarius rutillet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Merito proinde resonat in excelsis gratiarum actio, & vox laudis. Sed plangendum nobis potius quam plaudendum esse videtur. Quantum enim de eius præsentia cœlum exultat, nunquid non consequens est vt tantum luceat hic noster inferior mundus, eius absentiam? Cesset tamen quærela nostra: quia nec nobis hic est

manens ciuitas: sed eam inquirimus ad quam hodie Maria benedicta peruenit. In qua si conscripti ciues sumus, dignum profecto est etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis eius nos recordari, eius communicare gaudiis, eius participare lætitiā: maximeque eam quæ tam copioso impetu lætificat hodie ciuitatem Dei: vt sentiamus & ipsi stillicidia stillantia super terram.

Ad laudes antiphona. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent angeli, laudantes benedicunt dominum. **Ad vespereas hymnus.** Aue maris stella. **An.** Maria virgo cœlos ascendit, gaudere, qui cum Christo regnat in æternum.

Die. 16. **D De oct. Assumption. Ex eodem serm. s. Bernrdi. L. iij.**

PRæcessit nos regina nostra, præcessit, & tam gloriose suscepta est, vt fiducialiter sequantur dominam seruuli clamantes, Trahe nos post te: in odore vnguentorum tuorum curremus. Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam iudicis mater, & mater misericordiæ suppliciter & efficaciter salutis nostræ negocia pertractabit. Pretiosum hodie munus terra nostra direxit in cœlum, vt dando, & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana diuinis, terrena cœlestibus, ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, vnde data optima, & dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Denique mater est vnigeniti filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare.

Hodie vespereæ dicuntur de sancto Lau-

rentio: & dicitur antiphona. Leuita Laurentius assignata ei ad primas vespe. dies autem crastina omnia sicut in eius festo præter lectiones, & fit comme. de octaua beatæ virgi. per orationem tantum.

Die. 17. **E de oct. s. Lauren. du mi. Sermo sancti Augustini episc. L. iij.**

BEatissimi Laurentij martyr, cuius natalem hodie celebramus, passionem nosse vos credo, & quanta in persecutione pertulerit, dilectionem vestram scire posse non dubito. Tanta enim eius martyrij gloria extitit, vt passione sua mundum illuminauerit vniuersum. Illuminavit mundum plane Laurentius eo lumine, quo ipse accensus est, & flammis, quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit. Quis enim hoc exemplo nolit pro Christo ardere cum Laurentio, vt possit a Christo cum Laurentio coronari? Quis nolit ad horam sustinere Laurentij ignem, vt æternum gehennæ non patiatur incendium? Beati igitur Laurentii exemplo prouocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incalescimus ad deuotionem & si nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu. Non subiicit mihi persecutor ignem, sed suggerit mihi ignem desiderium saluatoris.

Die. 18. **F De octa. Assumption. Sermo sancti Hierony. presby. L. iij.**

COgitis me, o Paula & Eustochium, immo charitas Christi me compellit, qui vobis dudum tractatibus loqui consueueram, vt nouo loquendi genere sanctis quæ vobiscum degunt virginibus, Latino vtens eloquio, exhortationis gratia, sermonem faciam de assumptione beatæ & gloriosæ sem-

perque virginis Mariæ, more eorum qui declamatorie in ecclesijs solent loqui ad populum: quod vtique genus docendi nondum attigeram. Sed quia negare nequeo, quicquid iniungitis, nimia vestra victus dilectione, experiar quæ hortamini, affectu infantium, more balbutientium, qui quæcunque audierint fari gestiunt, cum necdum possint ad plenum verba formare. Maxime, quia propter simpliciores quasque id me depromere compellit: vt habeat sanctum collegium vestrum sermone Latino, quibus se occupent laudibus ex eadem die, quibusve diuinis vacent lectionibus. Præsertim cum & eadem in multis festiuitatibus multorum sanctorum patrum studia miro cuderint eloquio: quæ de hac quidem vberius vbique in scripturis diuinis prædicata leguntur.

Die. 19. G *De octa. Assumption. Ex eodem serm. beati Hiero. L. iij.*

Quid enim aliud sonant euangelia, nisi nascentem dominum ex Maria virgine, & omnia eius incrementa, quousque fuit in mundo, duntaxat diuinis efferunt præconijs? Porro ab exordio sancti euangelij Gabrielem archangelum colloquentem Mariæ audistis: & deinceps reliqua omnia plenius legistis. Ad præsepe quoque o Paula te teste, nato puero, multitudinem angelorum inter crepundia noui partus, & querelas nescij ploratus, pro fescenninis Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis cantantem audisti, & radiantem stellam vidisti. Pastoribus insuper euangelizantibus credidisti: magos præterea tria deferentes munera in visione beatis oculis conspexisti. Ipsa eadem munera bene intelligendo, votis omnibus inde Deo obtulisti. Nam & cum eisdem

Magis Deum puerum in præsepio adorasti. Sed forte conquesta me delatorem, quod te prodiderim clamabis. Ad quod ego. Si celatum esse volebas teste conscientia, mihi narrare ante præsepium, vbi plurimum lachrymata es, non debueras. Quod (vt verum fatear) Christi præconia, etiamsi voluero adiuratus, neque tuas laudes omnino tacere queo.

Die. 20. A *De oct. Assumption. Ex eodem sermone. Lectio. iij.*

Idcirco tuæ te interrogent filiæ, quas lacte nutris: tu ea melius reserabis, quæ nescio si per speciem aliquam certe, aut in spiritu vidisti Vnde vos o filiæ, pulsate matrem precibus: pulsate ad ostium inuitantis amici, siquomodo tandem vobis aperiantur quæ sunt reserata matri. Veruntamen de his quid plura dicam? Omnia saluatoris gesta & beatæ Mariæ obsequia, necnon & actus vitæ ex euangelio didicistis. Et nunc quid superest, vt ab aliquo doctore requiratis? De assumptione tamen eius qualiter assumpta est, quia id vestra deposcit intentio, præsentia absens scribere vobis curauit, quæ absentia præsens deuotus obtuli, vt habeat sanctum collegium vestrum in die tantæ solennitatis munus Latini sermonis, in quo discat tenera infantia lactis experiri dulcedinem, & de exiguis eximia cogitare, qualiter fauente Deo per singulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur: ne forte si venerit vestris in manibus illud apocryphum de transitu eiusdem virginis, dubia pro certis recipiatis: quod multi Latinorum pietatis amore, studio legendi, charius amplectuntur: præsertim cum ex his nihil aliud experiri potest pro certo, nisi quod hodierna die gloriosa migravit a corpore.

Die. 21. B *De oct. Assumption. Ex eodem sermone. Lectio. iij.*

Monstratur autem sepulchrum eius cernentibus nobis vsque ad præsens in vallis Iosaphat medio: quæ vallis est inter montem Sion & montem Oliueti posita, quam & tu o Paula oculis aspexisti. Vbi in eius honore fabricata est ecclesia miro lapideo tabulatu: in qua sepulta fuisse, vt scire potestis, ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc vacuum esse mausoleum cernentibus ostenditur. Hæc idcirco dixerim: quia multi nostrorum dubitant, vtrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem vel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimum corpus eius inde ablatum fuerit, vel vbi transpositum: vtrumne resurrexerit, nescitur: quamuis nonnulli astruere velint eam iam resuscitatam, & beata cum Christo immortalitate in cœlestibus vestiri. Quod & de beato Ioanne euangelista eius ministro cui virgini a Christo virgo commissa est, plurimi asseuerant: quia in sepulchro eius (vt fertur) non nisi manna inuenitur, quod & scaturire cernitur, Veruntamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam aliquid temere deffinire velimus autoritate nostra, quod non probeamus. Sicuti & de his quos cum domino (teste euangelio) surrexisse credimus.

Hodie in vesperis dicitur antiphona. Virgo prudentissima quo progr. assignata ad primas vespas.

Die. 22. C *Oct. Assump. du. mi. Ex eodem sermone. Lectio. iij.*

Sed vtrum redierint in terræ puerem, an non, certum non habemus: nisi quod legimus quod multa

corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, ac venerunt in sanctam ciuitatem, scilicet Ierusalem, & apparuerunt multis. De quibus profecto nonnulli doctorum senserunt etiam, & in suis reliquerunt scriptis, quod etiam in illis perpetua completa sit resurrectio. Fatentur enim quod veri testes non essent, nisi & eorum resurrectio vera esset. Vnde & beatus Petrus dixisse legitur, cum de Dauid loqueretur in testimonium, Et sepulchrum (inquit) eius apud nos est: quasi non sit ausus dicere, quod ipse aut corpus eius apud nos est: sed tantum sepulchrum in quo conditus fuerat. Hinc aiunt resurrexisse & eum cum cæteris sanctis, & ideo vacuum remansisse mausoleum, vti nunc beatæ Mariæ cernitur. Quod sane factum & de aliis quibuslibet locis scripturarum affirmare conantur, quod hi iam cum Christo regnent in æterna societate resuscitati. Quod quia Deo nihil est impossibile: nec nos de beata Maria factum abnuimus, quanquam propter cautelam salua fide pio magis desiderio opinari oporteat, quam inconsulte deffinire, quod sine periculo nescitur.

Die. 23. D *Bernadus Abbas.*

Bernardus, Fontanis (quod castellum est in Burgundia) honestis parentibus natus tempore Eugenij papæ tertij, tam caste & sancte pueritiam adolescentiamque traduxit, vt sæpe a mulieribus propter egregiam eius pulchritu domine sollicitatus, nunquam peccato & carni acquieuerit. Quin vt has tentationes effugeret. xxij. annos natus Cisterciensis ordinis monachus factus, vigiliis & orationibus mirifice deditus, in nimia pauperate vitam sanctissime perduxit. Ab omni ambitione tam alienus, vt Ianu-

ensem & Mediolanensem episcopatus sibi oblatos constantissime recusauerit, tanto se munere indignum esse professus. Hic multa opera egregia composuit, doctrina præditus infusa magis diuinitatus, quam humanitus parta. Tandem anno suæ ætatis sexagesimo. iij. graui morbo correptus, monachis assistentibus, charitatem, humilitatem, ac patientiam iure testamenti relinquens, multis miraculis clarus a vita migravit. xij. Calend. Septem.

Notandum quod festum sancti Bartholomæi licet extra urbem Romam commiter celebretur die. 24. Romæ tamen celebratur die. 25. ideo Romæ die. 24. nisi fuerit dominica, aut sabbatum fiat officium de sancto Ludouico, licet anteponatur, & die. 25. celebrabitur, festum sancti Bartholomæi.

Die. 24. E **Bartholomæus apostolus duplex maius. Oratio.**

Mnipotens sempiterne Deus, qui huius diei veneranda sanctamque lætitiã in beati apostoli tui Bartholomæi festiuitate tribuisti: da ecclesiæ tuæ quæsumus: & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per dominum.

Lectio. iij.

Bartholomæus Apostolus natione Galilæus, in ea diuisione orbis terrarum, qua apostoli totius Christiani mysterij certissimi testes inter se prouincias, vt Christi doctrinam prædicarent, partiti sunt, Lycaoniam sortitus, in Indiam vsque penetrauit, & euangelium iuxta Matthæi traditionem, in Iudæorum sermonem conuertit, & latissime prædicauit. Quumque prouinciam suam bene atque vtiliter administrasset, compluribus ad Christi fidem conuersis, multa pro Christo Iesu supplicia interim passus,

in Armeniam maiorem venit. Ibiq; Palenionium regem cum coniuge & xij. ciuitatibus ad Christi cultum traduxit. Multisque miraculis editis ad postremum a Palemonis fratre, pontificum, qui dæmonibus seruibant suasu, interficitur, pelle prius detracta, vt atrocius expenderet supplicium. Atque hoc quidem martyrij genere ad cœlum spiritus eius euolauit. ix. Calend. Septemb. Corpus autem in Albano Armeniæ vrbe conditum, multo post tempore ad Lyparam Siciliæ adiacentem insulam delatum est. Inde Beneuentum circa annum Christi. Dcccviij. translatum. Hinc postea Romam, vbi egregia populi ueneratione colitur.

Die. 25. F **Ludouicus rex.**

Die. 26. G **Zepherinus papa mar.**

Zepherinus patria Romanus, qui Seueri Imperatoris tempore pontifex creatus est, rebus diuinis magis quam humanis intentus, de iudicio secretorum peccatorum sic scripsit, De occultis alieni cordis temere iudicare, peccatum est. Et eum, cuius non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspitione reprehendere cum eorum, quæ hominibus sunt incognita solus Deus iudex sit. Item de ordinationibus sic instituit. Ordinationes (inquit) prebyterorum & leuitarum tempore congruo, & multis coram astantibus solenniter agite, & probabiles ac doctos viros ad hoc opus prouehite. Idem præterea instituit, vt omnes Christiani cum ad pubertatis annos peruenisset, singulis annis in solenni die Paschæ publice communicarent. Cum autem sedisset annos nouem, menses septem, dies decem, in persecutiones Antonini martyrio coronatus est, & sepultus in via Appia non longe a cœmeterio Calisti septimo Calendas Septembris.

Die. 27. A **Rufus martyr.**

Die. 28. B **Augu. episc. confes. du. mi. an.** O doctor optime. **Oratio.**

Desto supplicationibus nostris omnipotens Deus: & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente beato Augustino confessore tuo atque pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per. **L. iij.**

Augustinus Tagastæ (quod est oppidum in Africa honestis parentibus ortus, omnium fere suorum æqualium doctissimus, sed in adolescentia a Christiana religione alienus Mediolanum contendit. Vbi cum sanctum Ambrosium ad populum de religione concionantem frequenter audisset, priuatis quoque colloquiis eius eruditus, & conuersus, trigesimo suæ ætatis anno ab eodem fuit baptizatus. Vnde reuersus in Africam Christianissime ac sanctissime viuens a Valerio viro sancto Hipponensi episcopo prebyter factus, monasterium condidit religiosorum hominum, quos pia doctrina & præceptis apostolicis instituebat. Et cum per id tempus Manichæorum hæresis in qua ipse fuerat, multum inualuisset, acerrime in ea cum Fortunato hæresiarcha complures dies disputauit, eundenque conuicit. Quibus rebus ductus Valerius episcopus Augustinum in societatem sui episcopatus asciiuit. Qua cura suscepta Augustinus tanto studio cuiusque generis hæreticos insectatus est, vt partim sermone, partim libris editis totam Africam a Manichæourm, Donatistarum, Pelagianorumque erroribus expurgauerit. Scripsit libros in numerabiles, ad religionem & sacrarum scripturarum expositionem pertinentes, tanta doctrina & pietate, vt nullus neque Græ-

corum neque Latinorum Christianam philosophiam magis illustrauerit. In quo studio cum annum ageret ætatis septuagesimum sextum e vita migravit. v. Calend. Septmebris, anno Christi nati. ccc. xxx. idque Hipponi, Vandalis eam vrbem obsidentibus.

Decol. sancti Ioannis Baptistæ du. ma. Ad vesper. hym. Deus tuo. **vt in communi vnus mar. an.** Ioannes Baptista arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo viuenti vxorem. **Oratio.**

Sancti Ioannis Baptistæ, & martyris tui quæsumus domine veneranda festiuitas, salutaris auxiliij nobis præstet effectum. Per.

Die. 29. C **Ad matutinum inuita. & hym. de communi vnus marty. an.** Misit Herodes Rex manus, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem: quia metuebat eum propter Herodiadem. **Lectio. iij.**

Ioannes filius Zachariæ cum factum esset verbum domini super ipsum in deserto, indutus vestimento ex pilis Camelorum, & zona pellicea, venit in regionem, quam interluit Iordanis, vbi Christus ab eo baptizatus est, prædicans baptismum pœnitentiæ, & remissionem peccatorum. Existimante autem populo, quod ipse esset Christus, dixit Ioannes, Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Herodes autem tetrarcha correptus ab illo, cum propter eius alia scelera, cum quia Herodiade vxore fratris sui per adulterium abutebatur, coniecit ipsum in vincula. Vnde suos ipse discipulos misit ad Iesum, qui interrogarent, essetne

ille, qui venturus esset, an expectaretur alius? Christus autem coram ipsis multis ægrotantibus curatis, iubet eos quæ vidissent, Ioanni renunitare. Et his abeuntibus multa in laudem Ioannis præfatus, adiecit, dico vobis, Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista non est. Cum autem dies natalis Herodis ageretur, & Herodiadis filia tripudians placuisset Herodi, iussa est ab eo quicquid vellet, optare, dato iureiurando se nihil ei negaturum. Illa vero a matre subornata, caput Ioannis in disco sibi dari poposcit. Herodes igitur partim propter iusiurandum, quamquam iustius erat temere datum non præstare, partim ne his qui aderant leuiter negare videretur, quod ipsum fuit summa leuitas, puellæ annuit optatis, abscisumque Ioannis in carcere caput protinus est allatum in disco, & puellæ datum. Quod illa statum tradidit Herodiadi matri. Corpus autem eius discipuli sepelierunt.

Ad laudes antipho. Puellæ saltanti imperauit mater, nihil aliud petas nisi caput Ioannis. **Ad vespervas hym.** Deus tuorum. **vt supra.** **Antipho.** Misso Herodes spiculatore præcepit amputari caput Ioannis in carcere: quo audito discipuli eius venerunt & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.

Die. 30. D **Felix & Adauctus mart.**

Die. 31. E Igitur, si consur. 588.

SEPTEMBER.

Die. 1. F **Ægidius Abbas.**

Die. 2. G Domini quod. 589.

Die. 3. A **Seraphia vir. mart. L. iij.**

Seraphia virgo Antiochensis, cum, Adriano Imperatore, Romam venisset: in domo beatæ Sabinæ diuersata est, eandemque ad fidem Christi conuertit. Quam ob rem a præside

Beryllo comprehensa, ad deorumque sacrificium producta, negauit se alteri quam Christo sacrificium oblaturam, affirmans se ob perpetuam virginitatem quam ei vouerat, templum Dei viui factam. Tunc Præses, vt ammisa pudicitia templum Dei esse desineret, duobus eam salacibus iuuenibus constuprandam tradidit. Qui obscuriore cubiculo inclusam, cum circa primam noctis horam aggredi pararent, orante virgine, subito lumine circumfulsi, quasi exanimes membris omnibus resolutis, in terram prostrati, tota nocte iacuerunt, donec præsidis rogatu fuerunt a virgine oratione fusa, postera die suis viribus restituti: & quæ sibi contigerant præsidi narrauerunt. Sed cum is cuncta magicis artibus tribueret, adductam sibi virginem, & vestibus spoliata, incensis facibus aduri iussit. Quod cum alacri animo illa tolerasset, fustibus diu cæsa, & trans arcum Faustini ducta, ibidem decollata est. Eius autem corpus beata Sabina in eodem loco sepeliuit tertio Nonis Septembris.

Die. 4. B Paulus apostolus Iesu. 189.
Die. 5. C Obsecro igitur pri. 191.
Die. 6. D Fidelis sermo. si. 191.
Die. 7. E Spiritus autem ma. 192.
Aduertendum nunc in indice post Pente. posito. 409. an in die Natiuit. virgi. vel infra eius octauam interponenda sit aliqua ex dominicis Vaganti. Natiuitas Mariæ virginis dup. ma. Ad vesper. hym. Aue maris stella. An. Gloriosæ virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus, quæ & genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amisit. Oratio.

Amulis tuis quæsumus domine cœlestis gratiæ munus impartire, vt quibus beatæ virginis partus exti-

tit salutis exordium, natiuitatis eius votiuā solennitas pacis tribuat incrementum. Per.

Die. 8. F **Ad matutinum inuita.** Natiuitatem virginis Mariæ celebremus, Christum eius filium adoremus dominum. **Hym.** O gloriosa. **An.** Regali ex progenie Maria exorta refulget, cuius precibus nos adiuuari mente, & spiritu deuotissime poscimus. **L. iij.**

Maria virgo Christi mater partem habuit Ioachimū ciuem Nazareth vrbis Galilææ, & matrem Annam ex oppido Bethlehem, ambos ex tribu Iudæ ex more Iudæorum, quibus ex sua cuique tribu vxorem ducere legitimū erat & consuetum. Ioachimus igitur & Anna assidua & mirabili religione Deum colentes, tripartitam habebant suorum bonorum rationem. Vnam enim partem pauperibus, alteram templo eiusque ministris dicauerant: tertia se suamque familiam alebant. Sed in iustitia, pace, & gaudio perseuerantes, vnus tantum dolor sterilitatis angebat, nulla prole post annum matrimonij vigesimum procreata, quod turpe & infamiæ loco inter Iudæos habebatur. Itaque Ioachimus cum in festo encæniorum Ierosolymam adorandi gratia venisset, velletque supplex ad altare Dei munus offerre, repulsus est ab Isachare sacerdote cum ignominia, quasi indignus esset ob longam sterilitatem, qui more patrum & fecundorum hominum ad eum locum accederet. qua repulsa moestissimus Ioachimus: nec ferens præ pudore suorum ciuium conspectum, ad caulas secessit. Cui post aliquot dies cum pastoribus commoranti, & precibus assiduis a Deo contendenti, vt eam a se ignominiam depelleret, angelus se ostendit, & bono animo ipsum esse iubens,

preces eius auditas esse a Deo renuntiavit, filiamque procreandam, quæ Saræ & Rachelis prolem mysterij magnitudine superaret. Qua spe erectus lætusque Ioachimus domum repetens vxori obuiauit, quæ, cum ei quoque apparuisset angelus, eademque nuntiasset, plena spe & gaudio ad marito congratulandum properabat. Salutant igitur inter se cum maxima lætita, & visa, deique promissum conferentes, domum reuertuntur. Concepit igitur Anna diuino munere, sextoque Idus Septemb. Mariam peperit, quæ vt Eua maritum ad peccatum alliciens, causa fuit mortiferæ seruitutis humani generis, sic ipsa genito Christo redemptionis salutaris.

Ad lau. an. Natiuitatem hodiernam perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ solenniter celebremus, qua celsitudo throni processit, Haleluiah. **Ad vesper. hym.** Aue maris stel. **An.** Natiuitas tua Dei genitrix virgo gaudium annuntiauit vniuerso mundo: ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster, quam soluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam.

Die. 9. G **De octaua Natiuitat. Ex canti. cantico. Lectio tertia.**

Osculetur me osculo oris sui: quia ca. 1.
meliora sunt vbera tua vino: fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua. Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Recti diligunt te: Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia

decolorauit me sol. Filij matris meæ pugnaverunt contra me: posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. Equitatu meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

Die. 10. A *De octa. Natiuitatis. Ex canti. cantico. Lectio tertia.*

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus: Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

ca. 2. Ego flos campi, & liliu conualium. Sicut liliu inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me Charitatem. Fulcite in me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum: ne suscitatis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei. Ecce iste venit

saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Die. 11. B *De octa. Natiuitatis. Ex canti. cantico. Lectio tertia.*

EN dilectus meus loquitur mihi: ca. 2. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni. Iam enim hyems transijt, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge propera amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbre Reuertere: similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. ca. 3.

Die. 12. C *De octa. Natiuitatis. Ex canti. cantico. Lectio tertia.*

Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducā illum in domum matris meæ: & in cubiculum genetricis meæ: Adiuro vos filiæ Ierusalem per ca. 3.

capreas, ceruosque camporum, ne suscitatis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Die. 13. **D De octa. Natiuitatis. Ex canti. cantico. Lectio tertia.**

ca. 4. **T**Ota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculo tuorum, & in vno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisi malorum puniceorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.

Exaltatio sancte Crucis dup. ma. Ad ves. hym. Lustris sex. f. 645. **An.** Nobile lignum exaltatur, Christi fides rutilat, dum Crux ab omnibus veneratur. **Oratio.**

DEus, qui nos hodierna die exaltationis sanctæ Crucis annua solennitate lætificas: præsta quæsumus, vt cuius mysterium in terra cognouimus, eius redemptionis præmia in cælo mereamur. Per eundem. **Et non fit comme. de Natiui. virg. vsque ad vespas diei crastinæ.**

Die. 14. **E Ad matutinum inuita.** Christum regem pro nobis in cruce exaltatum, venite adoremus. **Hym.** Lustris sex. fo. 645. **Antiphona.** Sacra crux extollitur, virga regia erigitur, in qua Saluator triumphauit.

Lectio tertia.

CUm extremis Phocæ Imperatoris temporibus Cosdroas Persarum Rex imperij Romani prouincias inuasisset, & Ierosolyma capta, multisque ibi Christianorum millibus occisis, partem dominicæ crucis in Caluariæ loco ab Helena constitutam, in Persidem transtulisset: Ægyptus deinde atque Africa Persarum armis cessissent, Heraclius qui Phocæ successit, magnis affectus cladibus, pacem a Cosdroa petiuit, hanc cum magno Romani Imperij dedecore accepturus. Cæterum cum a barbaro hoste victoriis insolente nullam impetraret: Christi numine ieiuniis & supplicationibus propitio, exercitum comparauit. Cum quo in hostem profectus, tres Cosdroæ duces cum magnis exercitibus tribus præliis diuina ope superauit. His autem cladibus fractus Cosdroas, dum fugam vltra Tigrim parat: Medarsem filium regni consortem declarauit. Quam contumelia Syrochius maior natu filius non ferens, patri fratrique necem, quam paulo post ex fuga retractis intulit, molitur, pacemque & paternum regnum impetrat ab Heraclio, quibusdam acceptis conditionibus. Quarum

ea fuit in primis, vt crucem dominicam restitueret. Heraclius igitur Crucis lignum, post annos. xiiij. quam venerat in potestatem Barbarorum, receptum, secum deferens, Ierosolymam reuertitur. Quam urbem ingressus, in sollemnissima pompa, crucem ipsam circumtulit, & suis humeris ad Caluariæ montem portauit, sicut illam Christus per eandem viam portauerat. Miraculo autem datum est, quod vt erat auro & gemmis cultus, substitit ante portam, quæ in Caluariæ locum foras ducebat: & quo magis exire conabatur, eo immobilior permanebat. Nam sibi videbatur diuinitus exitu prohiberi. Cunque omnes stupor eius rei teneret, Zacharias Ierosolymitanus antistes, qui eius lateri hærebat, Imperatorem ipsum admonuit, videret, ne parum Christum imitaretur in ferenda cruce, triumphali nitens cultu, cum ille nudis pedibus atque humiliter tulisset. Tunc Heraclius relicto cultu, quo ornatus erat, vestem plebeiam sumpsit, caleosque de traxit, atque ita sine offensa confecit reliquum viæ. Vbi vero ad Caluariæ locum est ventum, ibi crucem statuit, vnde fuerat a Persis sublata. Quam ob rem statutum est, vt crucis exaltatio annua festiuitate celebretur.

Ad laudes an. Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphauit, & mors mortem superauit in æternum. **Ad ves. hym.** Lustris sex. f. 645. **vt sup. Antiphona.** O crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare regem cœlorum, & dominum, Haleluiah. **Post orationem exaltationis pro comme. oct. Natiui. dicitur eius an. assignata ad primas vespas.** Gloriosæ. **cum eius oratione.**

Die. 15. F **Octa. Natiui. du. mi. Sermo sancti Augustini episcopi. L. iij.**

A Dest nobis, dilectissimi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper virginis Mariæ. Ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantæ virginis illustrata natali. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium conuallium: per cuius partum mutatur natura protoplastorum, qua deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Euæ infelicitatis eulogium, de qua dicitur, In tristitia paries filios: quia ista in lætitia dominum parturiuit. Eua enim luxit, ista exultauit. Eua lachrymas, Maria gaudium in ventre portauit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia virgo concepit. Inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobique miraculum. Et sine corruptione grauida, & in partu virgo puerpera. Aue (inquit angelus ad eam) gratia plena, dominus tecum. Impleta est ergo Maria gratia, & Eua euacuata est a culpa. Maledictio Euæ, in benedictionem mutatur Mariæ. Aue gratia plena, Dominus tecum. Tecum dominus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio. Gratulare beata virgo. Christus rex e solio suo venit in vterum tuum. Ex sinu patris, in vterum dignatus est descendere matris.

Die. 16. G **Petrus Dorotheus, & Gorgonius martyres. Lectio. iij.**

Petrus, Dorotheus, & Gorgonius Diocletiani Imperatoris cubicularij fuere. Quorum Petrus cum de martyrio cuiusdam viri, qui Nicomediæ, vbi hæc gesta sunt, edicta Imperatorum aduersus Christianos in foro pendentia discerpserat, multa liberius loqueretur, captus diis immo-

lare iubetur. Quo recusante, appensus, tam crudeliter flagris cæditur, vt concisa pelle carnes etiam laniarentur. Quo supplicio cum nihil a Christi confessione retraheretur, nudatas carnes aceto, & sale perfunditur: cunque hoc etiam constanter tolerasset, in craticula prunis subter strata, lento igni cruciatur, carnificibus eum subinde versantibus, donec consumptis igni carnibus, inuictum spiritum in fide lætus exhalauit. Quo spectaculo permoti Dorotheus, & Gorgonius, Diocletianum cum summa constantia & libertate his verbis alloquuntur, Cur Imperator punis in Petro mentis sententiam, quæ nobis est cum illo communis? cur in illo crimen ducitur, quod nos itidem confitemur? Hæc nobis fides, hic cultus, hæc communis sententia. Quos ille comprehensos similibus suppliciis affectos, ad vltimum laqueo iussit appensos necari quinto Idus Septembris.

Die. 17. A **Cornelius papa & Cyprianus episc. martyres. Lectio. iij.**

Cornelius patria Romanus pontificatum gessit tempore Decij Imperatoris. Hic cum Lucina matrona sanctissima beatorum Petri & Pauli corpora a Cathacumbis, vbi minus tuta esse videbantur, clam extulit. Quorum Paulum Lucina in prædio suo via Ostiensi non longe a loco vbi fuerat occisus, Petrum vero Cornelius non longe a loco vbi fuerat cruci affixus reposuerunt. Decius autem cognito quod Cornelius multos ad fidem Christi conuerteret, Centum cellas eum misit in exilium. Vbi Cyprianus Carthaginensis episcopus, ipsum per literas consolatus est. Sed hoc intellecto Decius missionem & remissionem literarum maligne interpretatus, Cornelium reuocauit, quasi reum læsæ maiestatis,

ipsumque plumbatis cædi, ac deinde ad Martis simulachrum adorandum duci iuber. Quod cum facere constantissime recusaret. xvij. Calend. Octob. capite truncatus a beata Lucina cum quibusdam clericis noctu sepelitur in arenario prædij sui non longe a cœmeterio Calisti. Sedit autem annos duos, menses duos, dies tres. Cyprianus natione Apher Christianus factus, omnes suas facultates pauperibus distribuit. Deinde presbyter, nec multo post episcopis Carthaginensis creatus, plurima sanctitatis documenta præbuit & doctrinæ singularis monumenta posteris reliquit. Imperatore Valeriano accusatus, quod Christum coleret, a Paterno proconsule, cum ab instituto flecti non posset, in exilium missus est. Vnde regressus proconsule defuncto, rursus apud Galerium Maximum, qui Paterno successerat accusatus, inuicto animo in vnus veri Dei Christique confessione perseuerans, obtruncatus, martyrio coronatur. xvij. Calend. Octob.

Die. 18. B **Methodius episc. mar.**

Die. 19. C **Ianuarus & socij mar.**

Die. 20. D **Eustachius & soc. mar.**

Die. 21. E **Matthæus apostolus. duplex maius. Ad vesper. Oratio.**

Matthæi domine precibus adiuuemur: vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Per. **L. iij.**

Matthæus, qui & Leui dicebatur, ex publicano factus est Apostolus, Nam cum in vrbe Galilææ Capharnaï ad telonium federet, a Christo prætereunte vocatus, ipsum est sequutus, quem cum discipulis hospitio suscepit. Post eius vero resurrectionem Matthæus dum pararet

in Æthiopiam proficisci ad prædicandum gentibus illis euangelium, patria, hoc est, Hebraica lingua euangelium, quod in Iudæa prædicauerat, scripsit. Profectus igitur in Æthiopiam quam prouinciam fuerat sortitus, verbum domini sequentibus signis latissime disseminauit. Et regio puero a morte ad vitam ope diuina reuocato, regem patrem cum vxore & vniuersa prouincia ad Christi fidem conuertit. Cui regi defuncto, cum Hirtacus quidam in regno successisset, eiusque filiam Iphigeniam sibi vellet matrimonio copulare, Matthæus, quo auctore virginitatem illa vouerat, vt in sancto virginitatis proposito persisteret, eandem hortabatur. Itaque virginem constanter suis votis obsistere molestissime ferens Hirtacus, Matthæum, quem eius consilij auctorem esse sciebat, ad altare sacra facientem gladio confodi iussit. Et sic apostoli, & euangelistæ, martyrisque coronam adeptus Matthæus, ad Christum, beatamque vitam migravit. xj. Calendas Octob.

Die. 22. F **Mauricius cum sociis martyribus. Lectio tertia.**

CVm Maximianus Imperator exercitum, quem ingentem ex variis nationibus confectum, trans alpes induxerat, diis sacrificare in Sedunorum finibus (qui populi sunt in Galli) iussisset, Thebanorum legio, quæ a Thebis Ægyptiis missa fuerat, a reliquo agmine, ne impiis sacrificiis interesset, discessit. Quo animaduerso Maximianus denuntiatum eis mittit, vt si se saluos esse velint, protinus in castra redeant ad sacrificia. Illi se Christianos esse respondent, & a talibus sacrificiis religione, a qua minime sibi esset discedendum, prohiberi: proinde precari Imperatorem, ne, quod ipsis ne-

fas esset, imperaret. Tunc Maximianus maiorem iram odio, quod in Christianos gerebat, suggerente, thebanos, qui numero erant ad sex millia sexcenti sexagintasex, immisso exercitu, pœnas dare iubet, decimo quoque trucidato. Quam pœnam semel & iterum Christiani subire, & quidem libenter maluerunt auctore Mauricio, quam impia imperata facere. Postremo Maximiano non ferente Christianorum constantiam, vniuersi a reliquo exercitu illius imperio conciduntur. Et sic Thebanorum legio ad cœlestem militiam commigravit. x. Calendas Octob.

Oratio.

ANnue quæsumus omnipotens Deus, vt sanctorum martyrum tuorum Mauricij & sociorum eius, nos lætificet festiua solennitas: & quorum suffragiis nitimur, eorum natalitiis gloriamur. Per dominum.

Die. 23. G **Linus papa mar. L. iij.**

LInus papa natione Thuscus, ab vltimo Neronis anno vsque ad Vespasiani tempora pontificatum primus post Petrum gessit, hortante ad id humilitatis gratia Clemente, qui quartus a Petro præfuit ecclesiæ. Quamuis enim ipse a Petro sibi successor fuisset destinatus, ne tamen videretur ambitiose agere, Lino primum cessit, deinde Cleto. Linus igitur cum Dei ecclesiam sanctissime moderaretur, instituit, ne qua mulier nisi velato capite templum ingrederetur. Idemque res gestas beati Petri, præsertim contra Simonem magum, diligenter perscripsit. Tanta erat huius viri sanctitas & fides, vt non solum dæmones fugaret, sed mortuos etiam in vitam reduceret. Sed hominum cæcitate, cordisque duritia, factum est, vt a Saturnino consule, cuius filiam a dæmonibus liberauerat,

capitali supplicio ob Christi fidem afficeretur. Sepultus est autem iuxta beati Petri corpus nono Calend. Octob. cum sedisset annos xj. menses. iij. dies. xij.

Die. 24. A **Tecla. virgo martyr.**

Die. 25. B Senioreme ne in. 193.

Die. 26. C Quicunque sunt. 195.

Die. 27. D **Cosmas & Damianus martyres. Lectio tertia.**

COSMAS & DAMIANUS fratres in Ægæa Vrbe Arabiæ nati, quamquam erant arte medicinæ docti, magis tamen Christi virtute sanabant omnes infirmitates. Quod audiens Lysias præses Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, adduci eos ad se iubet. Qui cum ab eo interrogati nomina, patriam, & religionem incunctanter exposuissent, manus pedesque vincti, quoniam diis sacrificare recusauerant, immanissime torquentur. Sed cum viderentur cruciatus negligere, iussu præsidis, ut erant ligati, in mare deturbantur. Diuino tamen munere solutis vinculis e pelago sunt in columes egressi. Præses autem hoc magicis artibus ascribens, iubet eos in carcerem trudi, ac postmodum eductos, in magnum rogam immitti. In quo cum illæsi nihilo secius permansissent, post innumera supplicia, capitis obtruncatione martyrio sunt coronati: & ibidem a Christianis sepulti. v. Calendas Octob. Processu vero temporis Romam translati, in ecclesia ipsorum nomine dicata reconduntur. **Oratio.**

PRÆSTA quæsumus omnipotens Deus, ut qui sanctorum martyrum tuorum Cosmæ & Damiani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus liberemur. Per.

Die. 28. E Paulus vinctus. 196.

Dedicatio Michaelis archangeli duplex

maius. Ad vesper. hym.

Sibi Christe splendore patris Vita, virtus cordium, In conspectu angelorum, votis, voce psallimus: Alternantes concrepando Melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes, Omnes cœli milites: Sed præcipue primatam Cœlestis exercitus Michaellem in virtute Conterentem Zabulon.

Quo custode procul pelle rex Christe piissime Omnes nefas inimici, Mundo corde, & corpore paradiso redde tuo Nos sola clementia.

Gloriam patri melodis personemus vocibus, Gloriam Christo canamus, Gloriam paracleto. Qui trinus & vnus Deus extat ante secula. Amen.

Antiphona. Dum sacrum mysterium cerneret Ioannes, Michael archangelus tuba cecinit, Ignosce domine Deus noster qui aperis librum, & soluis signacula eius, haleluiah. **Oratio.**

DEUS, qui miro ordine angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius, ut quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniantur. Per.

Die. 29. F **Ad matutinum inuita.** Regem Archangelorum dominum, venite adoremus. **Hym.**

CHRISTE sanctorum decus angelorum, Rector humani generis, & author Nobis æternum tribue benignus Scandere cœlum.

Angelum pacis Michael ad istam Cœlitus mitti rogitamus aulam, Nobis ut crebro veniente crescant, Prospera cuncta.

Angelus fortis Gabriel, ut hostem Pel-lat antiquum, volitet ab alto, Sæpius templum veniens ad istud Visere nostrum.

Angelum nobis, medicum salutis Mitte de cœlis Raphael, vt omnes Sanet egrotos, pariterque nostros Dirigat actus.

Hinc Dei nostri genitrix Maria, Totus & nobis chorus angelorum Semper assistat, simul & beata Concio tota.

Præstet hoc nobis deitas beata Patris, ac nati, pariterque sancti Spiritus, cuius reboat in omni Gloria mundo. Amen.

An. Concussum est mare, & contremuit terra vbi archangelus Michael descendebat de cœlo. **Lectio. iij.**

QVoniam hodie festum Michaelis archangeli celebramus, non erit ab re pauca de ordinibus & præstantia angelorum commemorare, quos Deus initio mundi creauit nulla infectos prauitate, licet ipsorum quidam ex omnibus ordinibus sua culpa cum principe diabolo corruerint. Angelorum igitur qui in officio perstantes, fuerunt in gratia confirmati, tres omnino esse hierarchias grauissimis sanctorum voluminum, & authorum testimoniis accepimus, supremam scilicet, mediam, & infimam: quarum singulæ ternos ordines continent, suprema Seraphinos, Cherubinos: & thronos: media dominationes, principatus, & potestates: infima virtutes, archangelos, & qui angeli proprio vocabulo, quod est alioquin omnibus commune nominantur. Conficitur autem vnusquisque ordo præstantia & similitudine muneris, & gratiæ, qua quidam angelorum conueniunt inter se. Nam licet cuncta gratiarum mundera omnes acceperint, alia tamen aliis largius tributa sunt. Itaque Seraphini appellantur, qui cæteris charitate præstant, Cherubini, qui sapientia, ac cæteri eodem modo. Sed quanquam angeli quo superiores sunt, hoc rarius a Deo in ministerium

aliquod mittantur (tutelares enim quorum cuiusque fidei singuli homines committuntur ex infimo ordine sunt) tamen ex omni ordine quandoque mitti testatur Paulus, qui omnes (inquit) sunt administratorij spiritus in ministerium missi. Itaque Michael, qui nunc princeps ecclesiæ dicitur esse, vt olim synagogæ, licet tum angelus, tum archangelus nominetur, esse tamen supremæ Hierarchiæ existimarunt viri nonnulli sacrarum literarum eruditissimi, authore Daniele, qui Michael vnum esse dicunt de primis principibus. Michaelis igitur festum, quod. viij. Idus Maij celebratur, ab eius apparitione, & quod. iij. Calend. Octob. ab eius Basilicæ dedicatione nomen accepit, quæ ipsi fuit dedicata in antro ad cacumen Gargani montis Apuliæ, qui procurrit in adriaticum mare. Quo in loco propter multa & magna edita miracula cum ab aliis populis religiose colitur Michael, tum maxime ab accolis Sipontinis, qui se patrocínio eius sæpe adiutos esse profitentur.

Ad lau. an. Factum est silentium in cœlo, dum draco committeret bellum, & Michael pugnavit cum eo, & fecit victoriam. Haleluiah. **Ad vespas hym.** Tibi Christe vt supra. **Antipho.** Princeps gloriosissime Michael Archangele, esto memor nostri, & hic & vbique semper precare pro nobis filium Dei, haleluiah haleluiah. **Post orationem sancti Michaelis pro comme. sancti Hierony. dicitur an.** O doctor optime, ecclesiæ sanctæ lumen, beatæ Hieronymæ diuinæ legis amator, deprecare pro nobis filium Dei. **Oratio.**

DEUS, qui ecclesiæ tuæ in exponendis sacris scripturis beatum Hieronymum confessorem tuum doctorem gloriosum elegisti: præsta quæ-

sumus, vt eiusdem piis suffragantibus meritis, quod ore simul & opere docuit, te adiuuante exercere valeamus. Per dominum.

Die. 30. G **Hieronymus presbyter confessor duplex mi. Lectio. iij.**

Hieronymus Constantino Imperatore anno ab orbe redempto. cc-ccxxj. in oppido Stridone (quod est in Pannoniæ Dalmatiæque confinio) Christianis parentibus ortus, puer admodum Romam missus est liber alibus studiis erudiendus. Vbi Donato in grammaticis præceptore, & (vt quidam volunt) Victorino in rhetoricis vsus, Græcas ac Latinas literas felicissime didicit. Cum autem ætate processisset, Aristotelicam, Platoniam, Stoicam ac cæterorum omnium philosophiam attingit. Galliam deinde discendi gratia perlustrauit, vnde Romam reuersus est, atque inde in Syriam profectus. Qua itidem magna ex parte discendi studio peragrata, in vastam eremum, quæ Syros ab Agarenis determinat, secessit: vbi quatuor annos ab hominum frequentia semotus, cum solo Deo librisque suis commercium habens, adolescentiæ lapsus lachrymarum imbre diluebat. Et contractas per ætatis incuriam sordes, laborum asperitate detergebat. Inedia denique ac vigiliis, & incredibili austeritate, rebellantem carnem & subinde repullulantem ætatis lasciuiam coercens, corpus spiritui seruire docebat. Visebatur tamen in ea solitudine nonnunquam ab amicis, & vicinos monachos ipse inuisebat. Hebraici sermonis difficulatatem indefesso labore peruicit. Cuius non solum intelligentiam, sed & peculiarem sonum ac vernaculum sidorem est assequutus, vsus ad eam rem doctissimis Hebræorum, quos ingenti mercede con-

ducebat, marsupium exhauriens, vt pectus eruditione locupletaret. nec his contentus, Caldaicam item linguam est aggressus, quam tamen hactenus modo sequutus est, vt intelligere posset verius quam sonare. Gregorium Nazianzenum præceptore suum ipse appellat, & hoc interpretante se sacras didicisse literas testatur. Cum igitur ingenti iam doctrina, & sanctitate clarus haberetur, Romam reuocatus, presbyter factus est. Vbi cum probatissimæ vitæ exemplo mores hominum castigaret, in primisque clericorum crimina constanter argueret, non ferens ipsorum inuidiam, ex vrbe iterum profectus, Syriam repetiit, & Bethlehem iuxta præsepe, quod infantem Christum exceperat, venturæ senectuti sedem delegit. Vbi cum piis doctisque viris in monasterio, quod Paula matrona sancta condiderat, sanctissimam vitam multis egit annis. Libros conplures scripsit. Vetus testamentum ad veritatem Hebraicum transtulit. Nouum autem reddidit Græcæ fidei. Multa præterea Græcorum opera Latinitate donauit. Tandem vitæ cursu sanctissime peracto, multis miraculis clarus, in eodem oppido Bethlehem migravit ad dominum, pridie Calend. Octob. anno Christi nati. ccccxxij. suæ vero ætatis. xcj.

OCTOBER.

Die. 1. A **Remigius episc. confes.**

Die. 2. B Paulus apostolus. 590.

Die. 3. C Tu ergo fili mi. 592.

Die. 4. D **Franciscus confessor duplex minus. Oratio.**



Eus, qui ecclesiam tuam beati Francisci meritis foetu nouæ prolis amplificas, tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, & coelestium donorum semper

participatione gaudere. Per do. **L. iij.**
FRanciscus natione Italus Assisij natus (quod oppidum est in Umbria) vir fuit religiosissimus, euangelicæ perfectionis sectator: floruitque Innocentio Papa tertio. Nam cum adolescens mercaturam exercuisset, non tamen abiit post aurum, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Sed ad Christum conuersus, cum audisset in ecclesia illud euangelicum: Qui non renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus: cuncta quæ ad manum habuit, pauperibus erogauit, cætera patri suo, idipsum postulanti, hæreditario iure coram episcopo tradidit. Deinde vt normam sequeretur, quam Christus dedit apostolis, dum eos mitteret ad prædicandum, distributa pecunia calceamenta deposuit, & vnica contentus tunica (vt quatenus liceret Christum imitaretur) duodecim sibi socios asciuit. Atque ad æmulationem euangelicæ perfectionis, ordinem monasticum, qui Minorum appellatur, instituit, Romamque venit circa annum a Christo nato M. ccvii. quem papa visione diuina præmonitus benigne recepit, regulamque, & institutum ab eo viuendi ordinem confirmauit. Dimissis ergo quoquo versus fratribus, qui verbum Dei seminarant, ipse in Syriam nauigauit, a Soldanoque fuit benigne receptus. Sublata tamen prædicandi facultate, coactus fuit in patriam redire. Cui biennium ante obitum cum. xl. dies ieiunasset in monte Aluernæ in festo exaltationis Crucis oranti apparuit Seraph crucifixus, qui in manibus, & pedibus ipsius stigmata plagarum Christi mirabiliter impressit. Quibus insignitus summæ admirationi cunctis intuentibus venerationique fuit. Tandem bea-

tus Franciscus plenus bonis operibus & gratia, apud Assisium moritur. iij. Non. Octob. Quem Gregorius nonus cognitis eius miraculis, catalogo sanctorum ascripsit.

Die. 5. E Hoc autem scito. 593.

Die. 6. F Testificor coram. 594.

Die. 7. G **Marcus papa confes. L. iij.**

Marcus patria Romanus magni Constantini tempore pontifex factus, instituit, vt episcopis Ostiensis, a quo Romanus pontifex consecratur, pallio vteretur. Præterea, vt diebus solennibus statim post euangelium Symbolum iuxta declarationem Niceni concilij clero & populo magna voce decantaretur. Duas ecclesias Romæ condidit, vnam via Ardeatina, altram intra vrbem. Quas Constantinus magnis muneribus exornauit, & auxit. Postremo cum ex sacris ordinibus bis mense Decemb. habitis, presbyteros. xxv. diaconos. vj. episcopos. viij. creasset moritur, ac in cœmeterio Balbinæ sepelitur, cum sedisset annos. ij. menses. viij. dies. xx. **Oratio.**

EXaudi domine preces nostras: & intercedente beato Marco confessore tuo atque pontifice, supplicationes nostras placatus intende. Per dominum.

Die. 8. G Paulus seruus Dei. 595.

Die. 9. A **Dionysius, Rusticus, Eleutherius martyres. Lectio. iij.**

Dionysius patria Atheniensis, vir patricius, & Areopagita, quo nomine illius cuitatis senatores appellabantur, traditur eo die, quo Christus crucifixus est, animaduerso solis præter ordinem naturæ defectu, cum esset vir excellens omni doctrina, coram multis exclamasse, Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluitur. Cum

autem Paulus Athenas venisset, & dactus esset in Areopagum: vt rationem eius doctrinæ redderet, quam prædicabat, in medio senatus mirabiliter de vera pietate & resurrectione Christi ac mortuorum disseruit. Qua oratione, cum alios, tum in primis Dionysium conuertit, eumque constituit episcopum Atheniensis ecclesiæ. Postea vero cum Romam venisset Dionysius vt Petrum videret & Paulum quos audierat in vincula coniectos esse, aliquanto post tempore missus est a Clemente in Galliam ad prædicandum euangelium, quem sequuti sunt Rusticus prebyter, & Eleutherius diaconus, vsque ad vrbem Parisiorum. Vbi cum multos ad fidem Christi conuertisset, in persecutione Domitiani capti Dionysius & socij, a Fescenino præfecto vehementer loris flagellati sunt. Sed cum non possent auocari a Christiana pietate, postridie Dionysius in craticula ferrea igni supposito imponitur, & multis deinde supplicijs afficitur. Quibus superatis, idem Dionysius nonagesimo ætatis suæ anno, cum socijs, similiter cruciatis, capite truncatur. vij. Idus Octob. Qui Dionysius suum caput sustulisse, & manibus per longum spatium portasse memoratur. Scripsit autem mirabili quadam doctrina librum de cœlesti Hierarchia, & alterum de diuinis nominibus. Item de mystica theologia, & alia nonnulla. **Oratio.**

DEus qui hodierna die beatum Dionysium martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborasti, quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam Rusticum & Eleutherium sociare dignatus est, tribue nobis quæsumus ex eorum imitatione pro aomre tuo prospera mundi despiciere, & nulla eius aduersa formidare. Per domi.

Die. 10 C Tu autem loque. 596.

Die. 11. D Admone illos. 597.

Die. 12. E Paulus vocatus. 342.

Die. 13. F Videte enim vo. 344.

Die. 14. G **Calistus papa mar. L. iij.**

Calustus pontifex patria Romanus vsque ad Seueri tempora peruenit. Hic ieiunium quod ter in anno celebrabatur, per quatuor tempora vt fieret, decreuit. Vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic nos quaterne, solenne agamus ieiunium per quatuor anni tempora. Quibus temporibus postea institutum est, vt fieret sacrorum ordinum initiatio, quæ antea Decembri duntaxat mense fieri consueuerat. Cœmeterium quoque de suo nomine condidit via Appia, in loco vbi multorum martyrum cineres antea repositi fuerant. Postremo vbi ex ordinationibus mense Decembri quinquies habitis, prebyteros. xvj. diaconos. iiij. episcopos. viij. creasset, martyrio coronatus est, ac sepultus in cœmeterio Calopodij via Aurelia. iij. ab vrbe lapide, pridie Idus Octob. cum sedisset annos. vj. menses. x. dies. x.

Die. 15. A Et ego fratres. 345.

Die. 16. B Sic nos æstimet. 346.

Die. 17. C Rogo ergo vos. 347.

Die. 18. D **Lucas euange. d. ma. Ad vesper. & matuti. hym. antiphona et inuit. de communi apost. Oratio.**

Snterueniat pro nobis quæsumus domine sanctus tuus Lucas euangelista, qui crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro tui nominis honore portauit. Per. **L. iij.**

LVcas medicus Antiochensis, selector Pauli fuit, ac omnis eius peregrinationis comes. Scripsit euangelium, de quo idem Paulus, Misimus (inquit) cum illo fratrem, cuius

laus est in euangelio per omnes ecclesias. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod inscribitur Apostolorum Acta. Cuius historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, hoc est vsque ad quartum Neronis annum. Quidam suspicantur, quotiescunque in epistolis suis Paulus dicit, iuxta euangelium meum, Lucæ significare volumen. Quanquam Lucas non solum ab apostolo Paulo, qui cum domino in carne non fuerat, sed a cæteris etiam apostolis euangelium didicisse, ipse quoque in voluminis sui principio declarat, dicens, Sicut tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur euangelium sicut audierat scripsit. Acta vero apostolorum, sicut viderat, composuit. Vixit octoginta quatuor annos vxorem non habens. Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem vigesimo Constantij anno ossa eius cum reliquiis Andreae apostoli translata sunt ex Achaia.

Die. 19. E **Ptol. & Lucius mar. L. iij.**

Alexandriæ Marco Aurelio Vero & Antonino filio Imperatoribus, cum pudicam ac Christianam vxorem infidelis & scelestus maritus, nec a proposito Christiano deterrere, nec ream coram iudice conuincere posse confideret, in exitium Ptolomæi, quem illa magistrum religionis habuerat, conuersus, centurioni amico persuasit, vt illum an Christianus esset percontaretur. A quo rogatus Ptolomæus sine cunctatione Christianum se esse respondit. Quam ob rem in vincula coniectus, diuque carceris situ & squalore confectus, ad Vrbicij iudicis tribunal producitur. Vbi Christianam pietatem pari constantia cum multa Christi laudatione professus, capitali

sententia damnatur. Hanc Ptolomæi præcipitem damnationem Lucius qui aderat, indigne ferens, liberius cœpit temeritatem iudicis increpare. A quo interrogatus, an ipse quoque Christianus esset, cum id plane asseuerasset, simili sententia damnatur. Tunc Lucius, Gratias (inquit) ago tibi Vrbici, quod me a sæuissimis dominis asseris, ad optimumque patrem & regem omnium Deum remittis. Et sic cum Ptolomæo Lucius interfectus, martyrio coronatur. xiiij. Calend. Nouemb.

Die. 20. F Audet aliquis. 348.

Die. 21. G **Vrsula & soc. v. & mar.**

Die. 22. A **Hilarion Abbas. L. iij.**

Hilarion Abbas in vico Tabatha prope Gazam Palæstinæ vrbem ortus, ex parentibus gentilibus Christianus ipse vt rosa de spinis effloruit. Qui Alexandriam missus, atque breui Grammaticam edoctus, & Christianus effectus, ecclesiam assidue frequentabat. Quo tempore cum Antonij nomen esset per totam Ægyptum celeberrimum, videndi eum studio incensus, ad eremum contendit. Et cum illo duobus mensibus versatus, ipsius vitæ rationem, ac morum grauitatem diligenter considerauit. Reuersusque ad patriam, totum patrimonium sibi ad defunctis parentibus relictum pauperibus largitus est. Et adhuc adolescens. xv. annorum ad eremum reuertitur. Vbi cellula structa paulo ampliore quam vt caperet eius corpusculum, sacco indutus, ad. xx. ætatis suæ annum, teste Hieronymo, qui vitam eius literis mandauit, tanta abstinentia corpus afflixit, vt quindenis modo caricis vnoquoque die post solis occasum vesceretur, & super humum iuncis duntaxat stratam, ad vltimum vitæ diem somno reficeretur: Hic de-

num orationi & psalmodiæ semper intentus, post incredibilem carnis macerationem, & continua ieiunia, octogesimum natus annum, sanctitate & miraculis clarus, migravit ad dominum. xij. Calend. Nouemb.

Die. 23. B De quibus autem. 350.

Die. 24. C De virginibus. 351.

Die. 25. D **Chrisan. & Daria mar.**

Die. 26. E **Euaristus papæ mar. L. iij.**

Euaristus Papa natione Græcus patre Iudæo Traiani tempore præfuit ecclesiæ. Hic, vt Damasus testatur, titulos in vrbe Roma presbyteris diuisit, & septem diaconos statuit, qui custodirent episcopum prædicantem: ne aut ipse ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut lædatur a suis, aut verba diuina detrahendo, aut insidiando polluantur vel despiciantur. Idem constituit: ne plebis in episcopum accusatio admitteretur. Ordinationes ter habuit mense Decembri, quibus presbyteros. vj. diaconos. ij. episcopos per diuersa loca creauit. Postremo cum sedisset annos. xi. menses. x. dies. ij. anno vltimo Traiani martyri coronatus est, ac sepultus in Vaticano. vij. Calend. Nouemb.

Die. 27. F De ijs autem quæ ido. 352.

Die. 28. G **Simon & Iudas apostoli, duplex maius. Oratio.**

Deus, qui nos per beatos Apostolos tuos Simonem & Iudam, ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: da nobis eorum gloriam sempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per do. **Lectio. iij.**

Simon qui & Simeon Zelotes zelo domini feruens accepit Ægypti principatum, & post Iacobum Iustum cathedram tenuit Ierosolymorum. Cui ecclesiæ cum multis annis præfuisset, Atticus consularis Traiani tempore

cognito quod esset generis Dauid, & Christianus, multis eum suppliciis affecit. Quibus mira patientia toleratis, ad crucem damnatur, iussus vt quem vita coleret, eius exitum morte quoque imitaretur. Itaque cruci affixus est, cum. cxx. annos natus esset, cunctis admirantibus in corpore tam senili, tam robustum animum ad ferenda supplicia perstitisse. Iudas Iacobi frater in Mesopotamia, ac interioribus Ponti euangelizans, feras & indomitas gentes, sancto dogmate mitigauit, & fidei diuinitate subiugauit. Cuius extat vna parua epistola, quæ inter catholicas nominatur.

Die. 29. A **Marcellus mar. L. iij.**

Marcellus natione Hispanus, patria Legionensis, cum a vita militari, quam multis annis centurio gesserat, discessisset, vt vera religione accepta Christo commodius inseruiet, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus accusatus est eo nomine apud præfectum Fortunatum. Cui se tanquam militiæ desertorem, & cultorem nouæ superstitionis incusanti clara voce se Christianum esse reponnit: & Christo malle, quam terrenis principibus militare. Quo responso Fortunatus ira succensus, vinctum eum Tingim oppidum Mauritanie ad Agricolanum præsidem mittit, eique per literas Marcelli causam exponit. Qua cognita Agricolanus confitentem Marcellum, & in fide Christi perseuerantem capite damnauit. Occisusque est. iiij. Calend. Nouemb. Cuius mortem duodecim eius filij suscepto martyrio in diuersis locis æmulati esse memorantur.

Die. 30. B Non sum liber? 353.

Die. 31. C Et factus sum. 354.

Aduertendum est nunc in indice post

Penteco. posito. 408. an in festo omnium sanctorum interponenda sit aliqua ex dominicis Vagant.

NOVEMBER.

Festum omnium sanctorum duplex maius. Ad vespervas hym.

Ghriste redemptor omnium
Conserua tuos famulos:
Beatæ semper virginis Placatus sanctis precibus.

Beata quoque agmina Coelestium spirituum, Præterita, præsentia, Futura mala pellite.

Vates æterni iudicis, Apostolique domini, suppliciter exposcimus, Saluari vesti is precibus.

Martyres Dei inclyti, Confessoresque lucidi, Vestris orationibus Nos ferte in coelestibus.

Chorus sanctarum virginum, Monachorumque omnium, Simul cum sanctis omnibus Consortes Christi facite.

Gentem auferte perfidam Credentium de finibus: vt Christo laudes debitas Persoluamus alacriter.

Gloria patri ingenito: Eiusque vnigenito, Vna cum sancto Spiritu In sempiterna secula. Amen.

An. Angelio, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, Cherubim atque Seraphim, patriarchæ, prophetæ, sancti legis doctores, apostoli, omnes Christi martyres, sancti confessores, virgines domini, anachoritæ, sanctique omnes intercedite pro nobis. **Oratio.**

OMnipotens sempiternæ Deus, qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub vna tribuisti celebritate venerari: quæsumus, vt desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus largiaris. Per domi.

Die. 1. D **Ad matutinum inuita.**

Regem regum dominum venite adoremus: quia ipse est corona sanctorum omnium. **Hymnus.**

Iesu saluator seculi Redemptis ope subueni, & pia Dei genitrix Salutem posce miseris.

Cœtus omnes angelici, Patriarcharum cunei, Et prophetarum merita Nobis precentur veniam.

Baptista Christi præuius, Et clauiger æthereus, Cum cæteris apostolis Nos soluant nexu criminis.

Chorus sacratus martyrum, Confessio sacerdotum, Et virginalis castitas Nos a peccatis abluant.

Monachorum suffragia, Omnesque ciues cœlici Annuat votis supplicum, Et vitæ poscant præmium.

Laus, honor, virtus, gloria Deo patri, & filio, Snacto simul paracleto In seculorum secula. Amen. **Antiphona.**

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus stantes ante thronum.

Sermo sancti August. epis. Lectio. iij.

HOdie, dilectissimi, omnium sanctorum sub vna solennitatis lætitia celebramus festiuitatem, quorum societate cœlum exultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis ecclesia sancta coronatur, quorum confessio quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore, quia dum creuit pugna, creuit & pugnantium gloria: & martyrij triumphus multiplici passionum genere adornatur: per quæ grauiora tormenta, gratiora fuere & præmia: dumque catholica mater ecclesia per totum orbem longe lateque diffusa in ipso capite suo Christo Iesu edocta, contumelias crucis, & mortem didicit non timere, magis magisque roborata non est resistendo, sed perferendo. Vniuersos autem quos ag-

mine inclyto carcer pœnalis inclusit, pari & simili calore virtutis ad gerendum certamen gloria triumphalis inspirauit. O vere beata mater ecclesia, quam sic honor diuinæ dignationis illuminat, quam vincentium gloriosus martyrum sanguis exornat, quam inuiolata confessionis candida induit virginitas. Floribus eius nec rosæ, nec lilia desunt. Certent nunc, charissimi, singuli ad vtrosque honores amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas. In cœlestibus castris pax, & acies habent flores suos, quibus milites Christi coronantur. Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc prouidet, vt laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum, sed breue, & vt ita dicam, momentaneum, vt in hac breui, & exigua vita, agones essent & labores: in illa vero, quæ æterna est, corona & præmia meritorum: vt labores quidem cito finirentur, meritorum vero præmia sine fine durarent.

Ad laud. an. Te gloriosus apostolorum chorus, te prophetarum laudabilis numerus, te martyrum candidatus laudat exercitus: te omnes sancti & electi voce confitentur vnanimes, beta trinita vnus Deus. **Ad vesper. hym.** Christe redemptor. &c. **Antiphona.** O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christum gaudent omnes sancti, amicti stolis albis: sequuntur agnum quocunque ierit. **Hodie post vespe. diei dicuntur vespe. defunctorum, nisi sit sabbatum: nam tunc vespe. defunctorum dicuntur die, dominica post vesper. diei.**

Die. 2. E **De octaua omnium sanctorum. Lectio tertia.**

LEgimus in ecclesiasticis historiis, quod sanctus Bonifacius, qui

quartus a beato Gregorio Romanæ vrbis episcopatum tenebat, suis precibus a Phoca Cæsare impetrauit, donari ecclesiæ Christi templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon antea vocabatur: quia hoc quasi simulachrum omnium videretur esse deorum. In quo eliminata omni spurcitia, fecit ecclesiam sanctæ Dei genitricis atque omnium martyrum Christi: vt exclusa multitudine dæmonum, multitudo ibi sanctorum a fidelibus in memoria haberetur: & plebs vniuersa in capite Calendarum Nouembrium sicut in die Natalis domini ad ecclesiam in honore omnium sanctorum consecratam conueniret: ibique missarum solennitate a præsule sedis apostolicæ celebrata, omnibusque rite perfectis, vnusquisque in sua cum gaudio remearet. Nos ergo fratres charissimi, in omnium primordiis sanctorum nominare & laudare & glorificare condecet eum, qui cunctos condidit sanctos, per quem facta sunt omnis: per quem cuncta subsistunt elementa: cuius maiestas nec incipit nec desinit in seculum: vt merito omnis principium ac finis creaturæ nominetur.

Notandum, quod hodie præter officium diei dicuntur etiam matu. cum suis laudi. pro pro defunctis, nisi sit dominica, nam tunc officium duncto. dicuntur die Lunæ.

Die. 3. F **De octaua omnium sanctorum. Lectio tertia.**

BEata Dei genitrix & semper virgo Maria, templum domini, sacrarium spiritus sancti, virgo ante partum, virgo post partum, præsentis diei solennitatis cum suis virginibus expers nullo modo credenda est, quæ Dei populum faciendo monebat spernere perituri luxus seculi: a lenocinio mortalis

naturæ declinare, carnis pudicitiam cum virginitatis honore intra cordis hospitia obseruare, eamque omnium virtutum reginam fructum salutis perpetuæ, sociam esse angelorum suis affirmabat exemplis: ita vt innumerabilis vtriusque sexus multitudo, eius sequeretur vestigia.

Die. 4. G *De octaua omnium sanctorum. Lectio tertia.*

Qui superna cœlorum regna spiritibus angelicis ad laudem & gloriam atque honorem sui nominis ac maiestatis in perpetuum miro ordine collocauit: Deus est. De quibus plura loqui pertimescimus, quia soli Deo scire est, quomodo, vel quemadmodum eorum nobis inuisibilis absque contagione seu diminutione in sola sui puritate consistat natura. Sed tamen nouem esse angelorum ordines ad Dei iudicia ac ministeria complenda, testante sacro eloquio cognouimus. His omnibus, fratres charissimi, tam decoris ac Deo dilectis angelorum agminibus, huius diei solennitatem credimus esse consecratam. Sed ecce dum cœlestium ciuium secreta rimamur, supra modum nostræ fragilitatis digressi sumus. Taceamus interim de secretis cœlestibus: sed ante oculos conditoris tergamus peccatorum maculas: vt ad eos, de quibus loquimur, peruenire valeamus.

Die. 5. A *De octaua omnium sanctorum. Lectio tertia.*

Ad huc tamen aliquid de hac tam pulchra ac præclara festiuitate loqui incipiamus, quæ non solum (vt prædiximus) angelorum spiritibus, verumetiam sanctis omnibus, qui in terra sunt ab exordio mundi procreati, honorabiliter prædita consistit. Ex quibus fuerunt patriarchæ viri religiosi

in vita sua, partes prophetarum & apostolorum, quorum memoria non relinquetur: & nomen eorum manet in æternum. Huic ahtletæ Dei, electus concordat duodenus apostolorum numerus, quos a primis miraculorum virtutibus, ad componendum nouæ fidei fundamentum, erigendunque adhuc teneræ statum ecclesiæ, prouidentia diuina ex omnibus quos capiebat mundus, elegit: vt in omnem terram sonus eorum prædicationis exitet, & in fines orbis terræ, eorum procederent verba.

Die. 6. B *De octaua omnium sanctorum. Lectio tertia.*

His subiectum est triumphale martyrum nomen, qui per diuersa tormentorum genera Christi passionem non lacessantibus præcordiorum mentibus imitabantur, alij ferro perempti: alij flammis exusti: alij flagris verberati: alij vectibus perforati: alij cruciati patibulo: alij demersi pelagi periculo: alij viui decoriati: alij vinculis mancipati: alij linguis priuati: alij lapidibus obruti: alij frigore afflicti: alij fame cruciati: alij vero truncatis manibus siue cæteris cæsis membris, spectaculum contumeliæ in populis nudi propter nomen domini portantes.

Die. 7. C *De octaua omnium sanctorum. Lectio tertia.*

Christi vero sacerdotibus atque doctoribus siue confessoribus huius festiuitatem diei non ignotam esse credimus, qui corda fidelium spiritualiter quasi imbribus irrigant cœlestibus: vt feliciter proferre immarcescibilem bonorum operum possint fructum. Qui talenta sibi credita non solum reddere: verumetiam cum vsura sine fraude amplificare procurauerunt, quia bonum

quod per gratiam spiritus sancti intelligendo didicere, non sibi tantummodo, sed & aliis subiectorum mentibus profuturum, secundum apostolicum præceptum, arguendo, obsecrando, increpando, curamque faciendo, inserere nitebantur.

Hodie in vespe dicenda est an. assigna. ad primas ves. Angeli.

Die. 8. **D De octa. omnium sanctorum du. ma. Ex Apocalypsi. Lectio. iij.**

ca. 7. **V**†Idi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni & seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.] Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni, ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos, non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus, quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum: & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Hodie vesperæ dicuntur de oct. quibus

finitis pro comme. dedicationis dicuntur an. & oratio infrascriptæ antiphona. Hæc est domus Dei, in qua inuocabitur nomen eius, de qua scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit dominus. **Oratio.**

DEus qui nobis per singulos annos huius sancti templi tui consecrationis reparas diem, & sanctis semper mysteriis repræsentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præsta, vt quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per dominum.

Die. 9. **E Dedicatio Basilicæ Saluatoris du. mi. Ad matuti. inui.** Domum Dei decet sanctitudo: sponsum eius Christum adoremus in ea. **Hymnus.**

Angularis fundamentum Lapis Christus missus est, Qui compage parietis in vtroque nectitur: Quem Sion sancta suscepit, In quo credens permanet.

Omnis illa Deo sacra, Et dilecta ciuitas, Plena modulis in laude: Et canore iubilo: trinum Deum, vnicunque Cum fauore prædicat.

Hoc in templo summe Deus Exoratus adueni. Et clementi bonitate precum vota suscipe: Largam benedictionem, Hic infunde iugiter.

His promereantur omnes Petita acquirere: et adepta possidere Cum sanctis perenniter: Paradisum introire Translati in requiem.

Gloria, & honor Deo vsquequo.

Antiphona. Domus mea domus orationis vocabitur. **Lectio tertia.**

Quanquam veterum scriptorum monumentis, & Pauli etiam epistolis constet, ipsis quoque apostolicis temporibus loca publica fuisse, quæ tum oratoria, tum ecclesiæ dicerentur: vbi populus Christianus, quæ ad re-

ligionem & fidem Christi pertinerent, doceretur, & corpus domini sumeretur, tamen Sylvester Papa ritum instituit consecrationis altarium & ecclesiarum, quem nunc etiam tenet ecclesia Romana, dicato, & consecrato templo Lateranensi nuncupato. Quod Constantinus Imperator magnifice instruxerat, multisque donis ornauerat, & prouentibus dotauerat. Quæ dedicatio facta est. v. Idus Nouemb. Hic quoque pontifex. xiiij. Calend. Decemb. Petri apostolorum principis Basilicam dedicauit, & consecrauit. Quam idem Imperator in Vaticano non longe ab Apollinis templo ædificauit, ornauit, & dotauit magnificis muneribus, & prouentibus magnis. Tanta enim fuit pietas in Christum atque fides huius Imperatoris, vt non solum has, de quibus diximus, Basilicas, sed multas præterea magnifice ædificauerit censibusque dotauerit. Et in his Pauli Basilicam in via Ostiensi, Basilicam sanctæ Crucis in Ierusalem in atrio Sessoriano, Basilicam sancti Laurentij extra muros in agro Veranio super arenarium cryptæ. Adhæc in via Labicana inter duas lauros Basilicam Marcellini presbyteri, & Petri exorcistæ, vt cæteræ taceantur, quæ iussu eiusdem optimi Imperatoris in aliis urbibus fuerunt ædificatæ. Cuius exemplo multas postea pij Christiani per orbem ædificarunt, & consecrarunt.

Ad laudes antiphona. Bene fundata est domus domini supra firmam petram.

Ad vesper. hym.

VRbs beata Ierusalem Dicta pacis visio, quæ construitur in coelis. Viuis ex lapidibus, Et angelis coornata, Vt sponsata comite.

Noua veniens e cælo Nuptiali thalamo Præparata vt sponsata Copuletur

domino: Plateæ, & muri eius Ex auro purissimo.

Portæ nitent margaritis Aditis patentibus: et virtute meritorum Illuc introducitur Omnis qui ob Christi nomen Hic in mundo premitur.

Tunsionibus, pressuris Expoliti lapides Suis coaptantur locis. Per manum arificis, Disponuntur permansuri Sacris ædificiis.

Gloria, & honor Deo vsquequo altissimo, Vna patri filioque Inclyto paraceto, Cui laus est, & potestas Per immensa secula. Amen.

An. O quam metuendus est locus iste, vere non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.

Die. 10. F **Triphon & socij martyres.**
Lectio tertia.

AD Saxoniam in vico Absado Decio Imperatore in Christianos sæuiente, Triphon a persecutoribus comprehensus, cum sacrificare renueret, & fidem Christi palam profiteretur, equuleo appensus, primum ferreis vngulis exaratur, deinde clauis ignitis confixus pedes, & fustibus cæsus admotis lampadibus amburitur. Cuius tolerantiam, constantiamque demiratus Respicus tribunus ad fidem Christi conuersus est: ipsamque cœpit aperte profiteri, statimque captus cum Triphone cruciatur. Deinde ambo ad templum abstrahuntur, vt Ioui sacrificarent: sed orante Triphone, cum idolum corruisset, virgo quædam Nympha nomine miraculo commota, fideque suffusa, Iesum Deum verum esse proclamare cœpit. Tunc vero iussu præsidis sancti martyres vna cum Nympha virgine plumbatis crudeliter cæsi, nouissime trucidantur. iiij. Idus Nouemb.
Martinus epis. confes. du. mi.
Oratio.

Deus, qui conspicias, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concede propitius, vt intercessione beati Martini confessoris tui, atque pontificis, contra omnia aduersa muniamur. Per do.

Die. 11. G **Ad matutinum inuita.** Laudemus Deum nostrum in confessione beati Martini. **Lectio. iij.**

Martinus Sabariæ natus (quod oppidum est Pannoniæ) cum esset annorum decem inuitis parentibus ad ecclesiam confugit, seque catechumenum fieri postulauit. Quintodecimo vero ætatis anno se vitæ militari dedit. Quam primum sub Constantino gessit, deinde sub Iuliano. Hic cum nihil præter arma, & vnam vestem possideret, pauperi nudo Christi nomine eleemosynam ab se miserabiliter petenti in porta Ambianensi, dimidium chlamydis gladio diuisætribuit, reliqua parte ad se tegendum reseruata. Qui nocte consequuta Christum vidit dimidiata veste, quam is pauperi dederat, indutum, & dicentem, Martinus cathecumenus hac me veste contexit. Natus vero annos duodeuiginti, baptismum excepit, relictaque militia ad sanctum Hilarium Pictauen. episcopum perrexit: a quo est acolytus ordinatus. Demum ad episcopatum Turon. ecclesiæ ascitus, monasterium ædificauit, vbi cum. lxxx. fratribus sanctissime degens, miraculis claruit. Tandam febris corripet, cum assidua oratione Christum, vt se reciperet, precaretur: discipulis acclamantibus, Cur nos pater deseris? cur nos miseros derelinquis? conclamauit, Domine, si adhuc populo tuo ssum necesaasrius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Et dum hæc loqueretur, beatam animam efflauit. iij. Idus Nouemb.

Die. 12. A **Martinus papæ. mar. L. iij.**

Martinus papa natione Italus, patria Tudertinus, initio sui pontificatus legatos Constantinopolim misit ad Paulum patriarcham hæreticum, si posset eum ad sanitatem reuocare. Ille vero tantum abfuit, vt pontificis adhortationibus obtemperaret, vt abusus Constantij Imperatoris itidem hæretici auctoritate, legatos pontificios in diuersas insulas relegauerit. quare commotus (vt par erat) Martinus. cl. episcoporum Romæ coacata synodo Paulum patriarcham anathemate detestatus, damnauit. Tunc Constantius Olympium Hexarchum in Italiam mittit, eique mandat vt monothelitarum sectam per omnem Italiam disseminaret, daretque operam, vt Martinum Papam aut interficeret, aut captum ad se perducendum curaret. A quo Olympio, cum Romam peruenisset, lictor immissus qui Martinum in Basilica sanctæ Mariæ maioris caperet, aut occideret repugnantem, Dei miraculo subita cæcitate corripitur. Et sic discrimen tunc Martinus euasit. Sed paulo post Constantius magnis calamitatibus in imperio acceptis, nihilo melior factus, Theodorum Calliopam Romam ad facinus peragendum mittit. A quo Martinus dolo captus, Constantinopolim mittitur. Vnde postea in Chersonesum Ponti relegatus, calamitatibus & inopia confectus, pridie Idus Nouembris moritur ibidem, pontificatus sui anno sexto, mense primo, die. xxvj.

Die. 13. B **Britius episcopus confes.**

Die. 14. C **Vitalis & Agricola martyres.**
Lectio tertia.

Vitalis & Agricola, quorum martyrium sanctus Ambrosius scripsit, Bononiæ Diocletiano & Maximiano

Imperatoribus, propterea quod Christum prædicarent comprehensi, & morte affecti sunt. Erat autem Vitalis seruus Agricolaë, nunc vero consors, & martyrij socius. Qui Vitalis cum vrgentibus persecutoribus, vt Christum negaret, hoc amplius eiusdem fidem profiteretur, plurimis variisque tormentis cruciatus, quæ libenti ac inuicto animo pertulit, fusa oratione migravit ad dominum. Agricola deinde, cuius mors si forte mutaret sententiam dilata erat, cum nollet aquiescere persecutoribus, cruci affixus, martyrio coronatur pridie Non. Nouemb. Quorum corpora condita ad Iudæorum sepulchra, post aliquot annos a beato Ambrosio in eadem vrbe sunt cum solenni pompa ad honestiorem, sacrumque locum translata.

Die. 15. D Propter quod. 356.

Die. 16. E Imitatores mei. 358.

Die. 17. F Ego enim acce. 359.

Die. 18. G **Dedicatio Basilicæ Petri & Pauli du. mi. Ad ves. hym.** Vrbs beata. **An.** Hæc est domus Dei. **Oratio.** Deus qui nobis. &c. **vt in dedicatione Basilicæ saluatoris, & similiter ad matuti. laudes & vespas dicuntur inuitato. hymni, antiphonæ. Tertia lectio & oratio vt in dicto festo.**

Die. 19. A **Pontianus papæ mar. L. iij.**

Pontianus patria Romanus pontifex factus est anno Chrii nati. ccxlv. tempore Alexandri Imperatoris. Qui quanquam imaginem Christi domi habuerit, eique templum ædificare, ac inter Deos referre voluerit, tamen idolorum sacrificulis efflagitantibus Pontianum in Sardiniam insulam cum Philippo presbytero relegauit. Vbi multas calamitates, & grauiora tormenta pro Christi fide passus, moritur. xij. Calendas Decembris Cuius cor-

pus postea a Fabiano pontifice Romam cum magna veneratione, ac totius cleri supplicationibus reportatum est: ac sepultum via Appia in cœmeterio Calisti. Vixit autem in pontificatu annos nouem, menses quinque, dies duos.

Die. 20. B **Elisabeth vidua. L. iij.**

Elisabeth regis Pannoniæ filia, a teneris annis sancte ac religiose vixit, & nupta Ludouico Lanthgrauio viro Turingiæ nobilissimo, tam caste, ac pie Deum colebat, vt suo exemplo maritum ad sanctitatem, ac vitæ perfectionem induxerit, orationi assidue vacans, pauperumque indigentibus liberaliter subueniens. Mortuo vero marito xenodochium maximum construxit ad pauperes ægrotantes alendos, & curandos, quibus non solum necessaria subministrabat, sed ipsamet saniosis etiam vlceribus admouebat medicamenta. Igitur patrimonio partim his in rebus absumpto, partim a consanguineis demortui mariti subtracto, in pauperiem redacta, manibus tamen quod egenis tribueret, quæritabat, atque his operibus intenta, vitam sanctissime transegit, tandem febre absumpta ad cœlestia regna migravit multis miraculis clara.

Præsentatio Mariæ virg. duplex maius. In hoc festo hymni & antiphonæ dicuntur vt in eius natiui. mutato in an. nomine natiuit. in nomen Præsentationis. Oratio.

Des qui sanctam tuam genitricem post triennium in templo Dei præsentari voluisti præsta quæsumus, vt qui eius præsentationis festa recolimus, ipsius intercessionem ad templum, qui Christus est, in cœlesti gloria præsentari mereamur. Qui vi.

Die. 21. C **Ad matutinum inuit.**

Præsentationem virginis Mariæ celeberrimus: Christum eius filium adoremus dominum. *Lectio. iij.*

Beata virgo Maria, quæ peperit mundi redemptorem, vt erat etiam antequam in lucem ederetur, plena graita, ac peccati omnis immunis, sic in omni ætate præbebat magna documenta insitæ virtutis & gratiæ. Præsentata igitur quasi mulieriam ætatis prouectæ in templo, supplex dominum adorabat, ac in Dei laudibus constantissime perseuerabat: conuenientibus videlicet initiis vitam instituens, qualis eam decebat, quæ filium Dei superueniente spiritu sancto virgo esset paritura.

Die. 22. D *Cæcilia virg. mar. L. iij.*

Cæcilia virgo Romæ nobilissimis parentibus orta in fide Christi optime instructa, suam Deo virginitatem consecrauit. Quæ Marco Aurelio Antonino Imperatore cum inuita Valeriano desponsata fuisset, ipsa nuptiarum nocte sponsum alloquitur, affirmans se angelum Dei amatorem habere, qui corpus suum nimio zelo impollutum custodiret. Proinde caueret nequid in se committeret, quo iram diuinam irritaret. Quibus motus Valerianus non ausus eam contingere, libenter se angelum visurum respondit. Et affirmante Cæcilia hoc sine baptismo non licere, ad Vrbanum Papam inter martyrum sepulchra latitantem peruenit: ab eoque baptizatur. Reuersus autem Cæciliam orantem inuenit, & angelum cum ea forma decorem humanum excedente. A quo ex magno timore confirmatus, impetrauit, vt Tyburtium quoque fratrem suum charissimum ad fidem conuertendum curaret. Qui Tyburtius sancto spiritu afflatus, fratre & Cæcilia authoribus ab eodem Vr-

bano baptizatur. Cuius rei Almadius vrbs præfectus certior factus, Tyburtium & Valerianum comprehendi iubet. Cunque immolare iussi contemnerent, plumbatis cæsos affecit martyrio, ac protinus facultates eorum exquirens, Cæciliam comprehendit. A qua cum omnes pauperibus distributas esse cognosceret, vehementer commotus, eam in domum suam abstractam, flammis balnearibus concremari iubet. Sed cum illæsa permaneret, misit carnificem, qui tertio ictu caput eius amputare non valens, seminecem reliquit. Sed paulo post. x. Calend. Decemb. cum palma martyrij migravit ad dominum. Eius autem corpus sanctus Vrbanus sepliuuit. Et domum eiusdem, ecclesiam nomine ipsius nuncupatam consecrauit.

Oratio.

Deus, qui nos annua beatæ Cæciliæ martyris tuæ sollemnitate lætificas: da, vt quam veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo. Per do.

Die. 23. E *Clemens papæ mar. L. iij.*

Clemens patria Romanus de regione Cælij montis Imperatoris Domitiani tempore quartus post Petrum Romanæ ecclesiæ pontifex creatus est. Quanquam enim Petrus hunc sibi proximum successorem esse voluisset, ipse tamen vsus singulari quadam modestia, Linum & Cletum sponte sibi in honore pontificio præiuit. Cum autem pietate, religione, ac doctrina multos ad fidem Christi conuertisset, iussu Traiani Imperatoris in insulam deportatus est, in qua duo milia Christianorum ad secanda marmora damnatorum inuenit. Cunque ibi aquæ penuria laboraretur (a sexto enim milario petebatur) Clemens collem haud

longe positum conscendens, agnum vidit sub cuius dextro pede fons aquæ dulcis munere diuino scaturiebat: qua recreati sunt omnes, & multi ad fidem Christi conuersi. Sed hoc magis irritatus Traianus misit, qui Clementem in mare alligata ad collum anchora deicerent. Quo facto sanctissimum corpus non ita multo post ad litus delatum est, & ibidem sepultum extracto templo, vbi fons diuinitus emanauerat. ix. Calend. Decemb. anno. iij. Traiani. Sedit autem annos nouem, menses. ij. dies decem. **Oratio.**

DEus, qui nos annua beati Clementis martyris tui, atque pontificis solennitate lætificas, concede propitius, vt cuius natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per domi.

Die. 24. F **Chrysogonus mar. L. iij.**

CHrysogonus Diocletiani imperatoris iussu propterea quod esset Christianus Romæ iam biennium vinculis premebatur, sancta Anastasia ipsi & multis aliis Christianis alimenta suggerente. Cum Diocletianus ex Aquileiam Romam scripsit, vt cæteris Christianis, qui vincti custodiebantur, interfectis, Chrysogonus ad se remitteretur. Aquileiam igitur delatus Cæsari præfecturas, & magnos honores sibi, si Deos adoraret pollicenti, respondit, Vnum Deum mente colo, veneror, & adoro: ista deorum simulachra, tanquam malorum dæmonum sedes excror, & abominor. tunc Imperatoris iussu ad locum, cui nomen erat Aquæ gradatæ, ductus, ibidem decollatus est. viij. Calend. Decemb. Cuius corpus in mare proiectum, & postea in possessione, quæ dicitur Ad saltum, a Zoilo presbytero inuentum, in domo sua sepultum est. **Oratio.**

ADesto domine supplicationibus nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni martyris tui intercessione liberemur. Per dominum no.

Die. 25. G **Catharina virgo martyr. duplex minus. Oratio.**

DEus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, & in eodem loco per sanctos angelos tuos corpus beatæ Catharinæ virginis & martyris tuæ mirabiliter collocasti: præsta quæsumus, vt eius meritis & intercessione, ad montem, qui Christus est, peruenire valeamus. Per eundem do. **Lectio. iij.**

CATHARINA virgo Alexandrina, claris natalibus orta, liberalibus disciplinis ab ineunte ætate, & sanctis moribus instituta, in eam sactitatis & doctrinæ magnitudinem euasit, vt annos nata decem & octo, doctissimos etiam viros & grauissimos superaret, tanto studio flagrans Christianæ pietatis, vt cum Maxentij sæuitia multos Christianorum ad supplicia & necem abstrahi animaduerteret, non dubitauerit ipsum adire, eidemque immanitatem impietatemque grauissimis & doctissimis verbis improperare. Cuius sapientiam & constantiam demiratus Maxentius, asseruari eam iubet, & ex variis regionibus viros doctissimos conuocari, magno præmio proposito, siquis Catharinam conuicisset, & a religione Christianorum auertisset. Quod longe secus euenit. Habita enim longa cum quinquaginta, qui conuenerant, doctissimis philosophis disputatione, omnes superatos ad Christi fidem conuertit, & sic in fide confirmauit, vt pro ea mori non dubitauerint. Tunc Maxentius ad blanditias conuersus, magnis pollicita-

tionibus Catharinam aggreditur. Quas cum virgo repudiasset, plumbatis scuticis crudelissime cæsa, in carcerem obscurissimum detruditur, & vndecim diebus continuis fame & siti cruciata, ad gladiatorum rotam extrahitur excarnificanda. Rota autem continuo ad ipsius preces confracta & comminuta est. Quo miraculo multi sunt ad Christi fidem conuersi. Sed cum hæc omnia supplicia magno animo diuina ope superasset, iubente maxentio, cuius erat obstinatus animus, capite plectitur ad. vij. Calend. Decemb. Eius autem corpus in Sina monte Arabiæ ministerio angelorum conditum est.

Die. 26. A **Petrus epis. mar. L. iij.**

Petrus Alexandrinæ vrbis episcopus Theonæ integerrimo viro successit, vir omni virtute cumulatus. Qui per vniuersam Ægyptum, velut Lucifer quidam effulsit. Duodecim annos episcopatum illius vrbis administravit: tres ante persecutionem, quæ Maximino Imperatore ad orientem exorta est, reliquos in ipsa, diuersis tentationum generibus agitatus. Cunque semper in omni agone persecutionum positus, magnum faceret in virtute & sanctitate profectum, vtilitati atque instructioni ecclesiæ constantissime inseruiebat. Cum igitur in omnem sacerdotij curam diebus ac noctibus insudasset, nono persecutionis anno, episcopatus vero sui. xvj. Calend. Decemb. eiusdem Maximini tempore martyrij coronam capitis obtruncatione promeruit.

Die. 27. B Sicut enim corpus. 361.

Die. 28. C Si linguis hominum. 363.

Die. 29. D **Saturnini & Sisinnij martyres. Lectio tertia.**

Romæ sub Maximiano Imperatore Saturninus & Sisinnius diaconus

inter alios Christi seruos ad fodiendam arenam ædificandis thermis Diocletianis damnati sunt, licet esset ea ætate Saturninus, vt per senectutem sarcinam ferre non valens, a Sisinnio iuuaretur. Quorum cum sanctitas & fides inter cæteros Christianos polleret, ambo Lauditio præfecto traditi, in carcerem sunt coniecti, vbi multos gentiles ad se venientes fidem docuerunt, & ad Christum conuerterunt. Denique post multos dies vincti catenis, ac nudis pedibus educti, ad tripodem sacrificare iubentur. At clamente Saturnino, Conterat dominus idola gentium: soluta tripode, duo milites Papias & Maurus, in Christum crediderunt. Qui paulo post fuerunt martyrio coronati. Demum Saturninus & Sisinnius post multos cruciatus iussus præsidis in viam Nomen tanam abstracti, secundo ab vrbe milliario capite truncati martyrij palmam sunt consecuti. Quorum corpora Tharson & Ioannes via Salaria in prædio suo sepelierunt tertio Calend. Decemb.

Andreas Apostolus duplex ma. Ad ves. hym. De communi apostolorum an. Vnus ex duobus qui secuti sunt dominum, erat Andreas frater Simonis Petri, Haleluiah. **Oratio.**

MAiestatem tuam domine suppliciter exoramus: vt sicut ecclesiæ tuæ beatus Andreas apostolus extitit prædicator & rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per dominum no.

Die. 30. E **Ad matutinum inuita. & hym. de communi apostolorum an.**

Doctor bonus & amicus Dei Andreas ducitur ad crucem, quam a longe aspiciens dixit, Salue crux, suscipe discipulum eius, qui pependit in te magister meus Iesus Christus. **Lectio tertia.**

Andreas Petri frater, in Bethsaida ortus Galilææ vico, piscatoriam artem cum fratre exercebat, & tunc piscabantur in litore Galilææ, quum Christus præteriens, hos omnium primos vocauit, dicens, Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Ad quam vocem nullo alio miraculo adducti, relictis retibus, secuti sunt eum. Post passionem vero & resurrectionem Christi, Andreas cum in Scithia Europæ, quæ ipsi prouincia ad Christi doctrinam disseminandam obtingerat, multis miraculis editis plurimos ad verum Dei cultum perduxisset, in Græciam venit, multisque ad fidem Christi conuersis Ægeam proconsulem ad Patras urbem prædicationibus suis assistentem, Christianosque diis sacrificare cogentem, liberrime cœpit increpare: quod qui iudex hominum haberi vellet, Christum Deum atque omnium iudicem a dæmonibus elusus non agnosceret. Cui Ægeas iratus respondit, Desineret Christum iactare, cui similia verba nihil profuissent, quo minus a Iudæis crucifigeretur. Et Andream multa in laudem Christi, sponte sua pro genere humano crucifixi, dicere incipientem, vana & impia oratione interpellatum, iubet in carcerem tradi. Vnde ab irato in Ægeam populo eductus esset, nisi ipse animos popularium compescuisset, rogans, ne se martyrij desideratissima corona fraudarent. Igitur paulo post in tribunal productum, quum Ægeas in proposito constantissime perseuerantem, & crucis mysterium maxime extollente, sibi que suam impietatem libera voce exprobrantem videret, in crucem eum tolli, & Christi mortem imitari iussit. Ad ductus igitur Andreas ad locum mar-

tyrij, cum multa prius in crucis laudem exclamando dixisset, pridie Calendas Decembris in crucem actus, Christi mortem imitatus est, nisi quod neque manus, neque pedes eius clauis sunt affixi, sed fune ligati, vt diutius desiderata morte cruciaretur.

Ad laudes antiphona. O bona crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris domini sucepisti, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit. **Ad vesper. hym. de communi vt sup. an.** Cum peruenisset beatus Andreas ad locum vbi crux parat erat, exclamauit dicens, O bona crux, diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipe me discipulum eius qui pependit in te.

DECEMBER.

Die. 1. F Nunc autem fratres. 364.

Die. 2. G **Bibiana virg. mar. L. iij.**

Bibiana virgo beatorum martyrum Fausti & Drafosæ filia, cum parentum exempla secuta singulari pietate ac fide Christum coleret, & eius præcepta ingenti studio seruaret, seseque ad euangelicæ doctrinæ normam effingere summopere contenderet, a Iuliano Imperatore atrocissimo Christianorum hoste comprehensa, ac Fausto præsidi tradita est. Sed hic cum eam ad idolis sacrificandum compellere aggredere- tur, ab eadem est ad fidem conuersus, statimque martyrium constanti animo subiuit. At beata virgo a Iuliano Deos adorare iussa, vnum Deum conditorem, moderatoremque rerum omnium adorandum asserebat. Quam ob rem tandiu plumbatis cæsa est, donec corpusculo miserabiliter cruciatio, spiritum emisit, postridie calend. Decemb. Eius autem corpus a Ioanne pres-

bytero Romæ iuxta palatium Licinianum sepultum est.

Die. 3. A *De aduentu.*

Die. 4. B *Barbara virgo marty.*

Die. 5. C *De aduentu.*

Die. 6. D *Nicolaus episcopus confessor duplex minus. Oratio.*

NEus, qui beatum Nicolaum pontificem tuum innumeris decorasti miraculis: tribue quæsumus, vt eius meritis, & precibus a gehennæ incendiis liberemur. Per dominum. *Lectio. iij.*

Nicolaus illustri loco Pataræ natus, quod oppidum est in Lycia, orbatus in adolescentia vtroque parente, omnes suas facultates pauperibus distribuit. Cuius illud per sancte & benigne factum in primis memoratur. Quod cum quidam eius ciuis ex diuite pauperrimus factus tres filias iam viro maturas non valens præ inopia matrimonio collocare, statuisset prostituere, Nicolaus recognita, quadam nocte per fenestram tantum pecuniarum clam proiecit in domum illius, quantum doti vnus filiarum abunde sufficeret. Quod cum iterum, & tertio fecisset, tres honestissimæ virgines, dotibus acceptis, honestis viris in matrimonium datæ sunt. His & talibus Virtutum officiis, cum magna suæ sanctitatis præbuisset documenta. Myram oppidum eiusdem prouinciæ a Deo videlicet admonitus contendit, eo potissimum tempore, quo eius episcopus obierat. Vbi cum prouinciales episcopi de eligendo episcopo consultarent, diuinitus admoniti sunt, vt eum eligerent, qui postridie mane Nicolaus nomine primus ecclesiam ingrederetur. Quod cum accidisset Nicolao, comprehensus ab obseruantibus, magno cunctorum consensu episcopis creatur. Quod munus tam re-

ligiose, tam sancte, prudenterque ges- sit, vt omnis virtutis ac pietatis clarissimum fuerit exemplum, maximumque sui desiderium vniuersæ Lyciæ moriens ætate senili. viij. Idus Decem. reliquerit. Vbi multis etiam miraculis claruisse memoratur.

Die. 7. E *Ambrosius episc. confes. du. mi. an.* O doctor optime. *Oratio.*

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Ambrosium ministrum tribuisti, præsta quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per do. *Lectio. iij.*

AMbrosius Mediolanensis antistes, Ambrosio patre ciue Romano Galliam administrante, natus est. Cuius in ore dormientis in cunis examen apum præstantiam viri portendens, consedissem memoratur. Sed Romæ liberalibus disciplinis eruditus, ob ingenij eius acumen, & solertiam, a Probo præfecto, vt Liguriam gubernaret, missus Mediolanum venit. Vbi mortuo Auxentio episcopo Arriano, cum populus in electione præsulis dissideret, & ipse seditionis sedandæ studio ad ecclesiam perrexisset, subita totius populi voce Ambrosium episcopum acclamantis, incredibili & catholicorum & Arrianorum consensu pontifex eligitur. Quod onus & si diu subire recusauerit, tamen Valentiniano Imperatore electionem libenter approbante, non potuit populi simul ac Imperatoris desiderio & voluntati resistere. Suscepto igitur episcopatu, ea vitæ sanctimonia, ac morum integritate, autoritateque munus obiuit, vt Theodosius Imperator, quo iubente propter magistratus occisos Thessalonica ciuitas fuerat occisione cæsa, Mediolani Ambrosio se

ingressu ecclesiæ, prohibenti, & commissum scelus magna cum libertate improperanti paruerit, & publice pœnitentiam egerit ab eodem iniunctam. Demum post multos exhaustos labores pro Christi ecclesia, post multa librorum volumina sancte & sapienter conscripta, pietate ac miraculis clarus, quieuit in domino pridie Non. Aprilis anno Christi nati. cclxxx. Cuius festum ab ecclesia celebratur. vij. Idus Decembris, quo die episcopus creatus est.

Coneceptio virginis duplex ma. Ad vesper. hymnus. Aue maris stella. &c.

An. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ, haleluiah. **Oratio.**

DEus, qui per immaculatam virginis conceptionem dignum filio tuo habitaculum præparasti: præsta quæsumus, vt sicut eam ab omni labe præseuerasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas. Per eun.

Die. 8. **F Ad matutinum inuitat.** Immaculatam conceptionem virginis Mariæ celebremus, Christum eius præseruatorem adoremus dominum.

Hym. O gloriosa domina. &c. **An.** Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te, haleluiah. **Ex dictis sancto. L. iij. Augusti.**

Magnifica illum qui te ab omni peccato reseruauit. Quis enim, inquit, dicere poterit, sine peccato sum natus? aut, mundus sum ab omni iniquitate, dicere audebit: nisi illa virgo prudentissima animatum templum Dei excelsi? quam Deus sic elegit & præelegit ante mundi constitutionem, vt sancta & immaculata mater Dei filia ab æterno reseruata incorrupta ab omni labe peccati permaneret.

Hilarius. O virgo benedicta super omnes fœminas: quæ angelos vincis puritate: quæ omnes sanctos superas pietate.

Cyprianus. O virgo iusta & omni iustita plenissima, cuius conceptio singularis.

Basilius. O Maria, tu candoris & decoris forma, cui in terris non est æqualis, nec in cœlis ianua.

Augustinus. O mater domini sicut in prima fœmina abundauit delictum, ita & in te superabundauit omnis plenitudo gratiæ: & ideo super omnes ignara delicti.

Idem. Charitas fecisti vt non solum Maria non peccaret, sed nec peccatum cogitare potuit: & super cunctos reseruasti ab omni labe peccati.

Origenes. Quæ neque serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta.

Ambrosius. Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.

Cyrellus. Post filium, temerarium est in Maria virgine ponere culpam aliquam, vel peccatum.

Bernardus. Caro virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.

Thomas. Maria ab omni peccato originali & actuali immunis fuit.

Dominicus. Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri. **Ad lau. an.** Quam pulchra es amica mea, columba mea, immaculata mea: & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata, haleluiah.

Ad ves. hym. Aue maris stella. **Antiphona.** Quam pulchri sunt gressus tui filia principis: collum tuum sicut turris eburnea: oculi tui diuini, & comæ

capitis tui sicut purpura regis, quam pulchra es, & quam decora charissima, halleluiah.

Die. 9. G **De aduentu.**

Die. 10. A **Melchia. papæ mar. L. iij.**

Melchides Papa natione Apher, Maxentij, Licinij, & Maximini temporibus ecclesiæ præfuit. Hic instituit vt neque die Dominico, neque quinta feria ieiunaretur, quoniam hos dies pagani quasi sacros ieiuniis celebrarent. Multa quoque constituit ad oblationes faciendas pertinentia, eo quod Manicheorum hæresis tunc maxime in vrbe Roma inualescebat. Quibus peractis Maximini iussu martyrio coronatus via Appia sepelitur, in Calisti cœmeterio quarto Idus Decemb. cum ex sacris ordinibus semel habitis presbyteros septem, diaconos sex, episcopos duodecim creasset. Sedit autem annos quatuor, menses septem dies nouem.

Die. 11. B **Damasus papæconf. L. iij.**

Damasus Papa natione Hispanus, qui Iuliani Imperatoris tempore præfuit ecclesiæ, in publico consilio adulterij causam dixit, & innocens absolutus est, Concordio atque Calisto diaconis accusatoribus damnatis, qui falsum crimen detulerant, lataque lege, vt in posterum falsi criminis delatores pœnam talionis subierint. Hic otio literariis delectatus, res gestas omnium superiorum pontificum libro, quem ad Hieronimum misit, memoriæ prodidit. Tempa & cultum diuinum auxit. Basilicas duas condidit, alteram in honorem diui Laurentij non longe a Theatro Pompeiano, quam fundis, domibusque dotatam, magnis quoque muneribus exornauit: alteram via Ardeatina ad Cathacumbas. Dedicauit & Platoniam, vbi corpora Petri & Pauli aliquando

iacuerant: versibus quoque elegantibus corpora ibi sepulta celebrauit. Ipse præterea instituit, vt psalmi in ecclesia alternatim canerentur, & in fine cuiusque diceretur, Gloria patri & filio, & Spiritui sancto. Vtque in principio Missæ confessio diceretur, quemadmodum & hodie sit. Hic primus interpretationi Hieronymi sacræ scripturæ autoritatem dedit. Cum autem sedisset annos. xix. menses. iij. dies. xj. moritur tertio Idus Decembris, ac sepelitur via Ardeatina cum matre & sorore in Basilica, quam ipse condiderat.

Oratio.

EXaudi domine preces nostras: & interueniente beato Damaso confessore tuo atque pontifice: supplicationes nostras placatus intende. Per dominum nostrum Iesum Chri.

Die. 12. C **De aduentu.**

Die. 13. D **Lucia virgo martyr duplex minus. Lectio tertia.**

Vicia virgo Syracusana nobilis generis & egregiæ ab infantia pietatis, cum matre Eutitia, quæ fluxum sanguinis patiebatur, religionis gratia Catanam, vbi sanctæ Agathæ corpus magna Siculorum veneratione colitur, peruenit: & fuis ad Agathæ sepulchrum precibus, hac intercedente impetrauit a Deo vt Eutitiam sanaret. Tunc Lucia matrem multis precibus exorat, vt facultates quas sibi dare constituerat nomine dotis, cum se cuidam iuueni despondisset, sibi suo arbitratu collocandas traderet. Cum igitur Syracusas rediissent, Lucia omnes suas facultates vendidit, & pecunias pauperibus distribuit. Quod vbi sponsus eius resciiuit, factum ægerrime ferens, ad vrbis præfectum Paschasium defert Luciam Christianam esse, ac superstitioni

seruientem bona sua dissipasse. Pascasius autem cum nulla ratione potuisset eam a vera pietate ad idolorum cultum auertere, multis & magnis tormntis cruciatam, iubet guttur gladio transfigi. Sed hoc vulnere accepto, virgo non ante amisit vocem, nec spiritum emisit, quam diuinitus aliqua futura prædiceret, & in his ecclesiæ tranquillitatem futuram post Maximiani & Diocletiani tempora, quibus passa est Idibus Decemb. Eius autem corpus Syracusis conditum est, & longo post tempore Constantinopolim translatum, & hinc postremo Venetias.

Die. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. de aduentu.

Die. 21. E Thomas apostolus duplex maius. Oratio.

DA nobis quæsumus domine beati apostoli tui Thomæ solennitatibus gloriari, vt eius semper & patrociniis subleuemur, & fidem congrua deuotione sectemur. Per dominum.

Lectio. iij.

Thomas, qui & Didymus appellatur, natione Galilæus, fuit de numero duodecim apostolorum. Huic Christum a mortuis surrexisse dubitanti, nec cæteris apostolis quibus ipso absente apparuerat, eum surrexisse confirman- tibus credenti. Christus ipse tractandum se præbuit. Ingressus enim foribus clausis huic professo se non crediturum: nisi digitum in vulnera clauorum: & manu in lanceæ plagam inseruisset, in medio apostolorum consistens dixit: Infer huc digitum tuum, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, nolique incredulus esse. Quo facto, respondens Thomas, Tu es (inquit) dominus meus, & Deus meus. Itaque sua dubitatione mag-

num indubitatæ fidei testimonium posteris credituris reliquit. Quos beatos fore tunc Christus testatus est his verbis: Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt. Post Christi vero ad patrem ascensum Thomas multum de Christiana pietate meritus, quam in Medos, Persas, Hircanos, Brachmanos: & Indorum gentem, longe lateque propagauit, in interna gentium prædicatione delatus, multis editis miraculis ab eis, qui lucem veritatis insense oderant, primum est candentibus laminis adustus, deinde in fornacem iniectus, postremo lanceisconfossus, occubuit in Indiæ vrbe Calaminia, ibidemque suepultus est. xij. Calen. Ianua.

Die. 22. & 23. de aduentu.

Vigilia Natiuitatis Domini etiam si incidat in sabbato aut in dominica quarta Aduentus semper agitur officium de vigilia. Et dicitur.

Die. 24. A Ad matutinum inuit. Hodie sciētis quia veniet dominus, & mane videbitis gloriam eius. **Hymni de Aduentu, videlicet.** Vox clara ecce. 92 **Antipho.** Crastina die delebitur iniquitas terræ, & regnabit super nos Saluator mundi, haleluiah.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

CVm esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de spiritu sancto.

Et reliqua. Homilia Origenis.

Quæ fuit necessitas vt desponsata esset Maria Ioseph, nisi propterea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur? Et ille malignus, fraudis commenta aduersus desponsatam virginem nulla penitus inuenisset? Vel ideo desponsata fuerat Ioseph, vt nato infanti, vel ipsi Mariæ curam videretur gerere

Ioseph, siue in Ægyptum iens, vel inde denuo rediens. Ideo desponsata fuit Ioseph: non tamen in concupiscentia iuncta. Mater (inquit) eius: mater immaculata: mater incorrupta: mater intacta. Mater (inquit) eius: Cuius eius? Mater Dei vnigeniti, domini & regis omnium, plasmatoris & creatoris cunctorum. Illius qui in cœlis est sine matre, & in terra est sine patre. Ipsi-
 us qui in cœlis secundum diuinitatem in sinu est patris: & in terris secundum corporis susceptionem in sinu est matris. O magnæ admirationis gratia, o inenarrabilis suauitas: o ineffabile magnumque sacramentum. Ipsa eadem virgo ipsa & mater domini, ipsa & genitrix, ipsa & eius ancilla, plasmatio eius ipsa quæ genuit. Quis vnquam audiuit ista? quis vidit talia? Et quis hoc excogitare potuit, vt mater virgo esset? intacta generaret? quæ & virgo permansit & generauit? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebatur: & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis: vel quemadmodum Daniele intra lacum leonum incluso, claustris non apertis allatum est prandium ab Abachuc: ita & hæc virgo sancta genuit dominum, sed intacta permansit: genuit infantem, & vt dictum est, virgo permansit.

Ad laudes an. Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, haleluiah. **Oratio.**

DEus, qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætifica: præsta, vt vnigenitum tuum, quem redemptorem læti suscipimus, venientem quoque iudicem securi videamus Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: Qui tecum viuit & regnat.

Natiuitas domini nostri Iesu Christi duplex maius. Ad ves. hym.

CHriste redemptor omnium,
 Ex patre patris vnice
 Solus ante principium
 Natus in effabiler.

Tu lumen, tu splendor patris,
 Tu spes perennis omnium:
 Intende quas fundunt preces,
 Tui per orbem famuli.

Memento salutis author,
 Quod nostris quondam corporis:
 Ex illibata virgine
 Nascendo formam sumperis.

Sic præsens testatur dies,
 Currens per anni circulum:
 Quod solus a sede patris,
 Mundi salus adueneris.

Hunc cœlum, terra, hunc mare,
 Hunc omnes, quod in eis est:
 Authorem aduentus tui,
 Laudans exultat cantico.

Nos quoque qui sancto tuo
 Redempti sanguine sumus:
 Ob diem natalis tui,
 Hymnum nouum concinimus.

Gloria tibi domine, Qui natus es de virgine: Cum patre & sancto spiritu, In sempiterna secula. Amen.

Notandum, quod in omnibus horis in fine omnium hymnorum, tam de Natiuitate, quam de aliis festis vsque ad Epiphaniam. dicitur. Gloria tibi domine, Qui natus es. **An.** Completi sunt dies Mariæ, vt pareret filium suum primogenitum, haleluiah haleluiah. **Oratio.**

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet. Per eun.

Die. 25. **B Ad matutinum inuita.** Christus natus est nobis, venite adore-

mus. **Hymnus.**

A Solis ortus ortus cardine, Ad vsque terræ litem: Christum canamus principem, Natum Maria virgine.

Beatus author seculi, Seruile corpus induit: Vt carne carnem liberans, Ne perderet quos condidit.

Castæ parentis viscera, Cœlestis intrat gratia: Venter puellæ baiulat, Secreta quæ non nouerat.

Domus pudici pectoris, Templum repente fit Dei Dei: Intacta nesciens virum, Verbo concepit filium.

Enixa est puerpera, Quem Gabriel prædixerat: Quem matris alio gestiens, Clausus Ioannes senserat.

Fœno iacere pertuli, Præsepe non abhorruit: Paruoque lacte pastus est, per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus cœlestium, Et angeli canunt Deo: Palamque fit pastoribus, pastor creator omnium.

Gloria tibi domine, qui natus es.

Antiphona. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Notandum, quod hodie omittuntur prima & secunda lec. occurrentes in Dominicali, & loco earum leguntur infrascriptæ. Ex Isaia. Lectio prima.

ca. 9. **P**rimo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbre mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiā. Lætābuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Ma-

dian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo vsque in sempiternum.

Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis. c. 40.

Consurge, consurge, induere fortitudini tua Sion: induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancti, quia non adiiciet vltra vt pertranseat per te incircuncisus & immundus. Excute de puluere, consurge, sede Ierusalem. Solue vincula colli tui captiua filia Sion. quia hæc dicit dominus, Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. c. 52.

Secundum Lecum. Lectio. ij.

FActum est autem in diebus illis exiit edictum a Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est a præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph a Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante. Fac-

tum est autem: cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus, Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ coelestis, laudantium Deum & dicentium. Gloria in altissimis Deo: & in terra, pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est: vt discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur adinuicem. Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit dominus & ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis, de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt, & de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

Sermo sancti Leonis papæ. L. iij.

Saluator noster, dilectissimi, hodie natus est: gaudeamus. Neque enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ. Quæ consumpto

mortalitatis timore ingerit nobis de promissa æternitate lætitiã. Nemo ab huius alacritatis participatione discernitur. Vna cunctis lætitiæ communis est ratio: quia dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam. Animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei nanque filius secundum plenitudinem temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandum auctori suo naturam generis assumpsit humani: vt inuentor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure certatum est. dum omnipotens dominus cum sæuissimo hoste, non in sua maiestate, sed in nostra humilitate concreditur. Obiiciens ei eandem formam, eandemque naturam: mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem.

Ad laudes an. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & iustus dominus. **Ad vesper. hym.** Christe redemptor. **vt sup. An.** Hodie Christus natus est, hodie Saluator apparuit: hodie in terra canunt angeli: lætantur archangeli. Hodie exultant iusti dicentes Gloria in excelsis Deo. Haleluiah haleluiah. **Oratio.** Concede quæsumus. **vt supra. Deinde pro commemora. sancti Stephani an.** Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo. Oremus. **Oratio.**

SA nobis quæsumus domine imitari quod colimus: vt discamus & inimicos diligere: quia eius natalitia celebra-

mus, qui nouit etiam pro persecutoribus exorare dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: Qui tecum.

Stephanus protmartyr du ma.

Die. 26. C **Ad matutinum inuita.** Christum natum qui beatum hodie coronauit Stephanum venite adoremus.

Hym. Martyr Dei. &c. **ct in communi vnus marty. an.** Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem a dextris Dei. **Lectio. iij.**

Stephanus vnus ex septem diaconis, qui prpter fidem & sapientiam fuerunt ab apostolis electi, plenus gratia & fortitudine edebat coram populo magna miracula. Contra quem cum synagogæ, quæ dicebantur Libertinorum & Cyrenensium ac Alexandrinorum, & eorum qui ex Cilicia venerant, & Asia, quidam disputare cœpissent, nec eius sapientiæ ac spiritui, qui loquebatur, obsistere possent, subornarunt quosdam, qui se dicerent Stephanum audisse, cum verba blasphemiæ in Deum ac Mosen protulisset. Itaque plebe, ac senioribus, & Scribis concitatis, concursusque facto in Stephanum manus iniiciunt, ipsumque ad concilium abstrahunt, submissis falsis testibus, qui dicerent ipsum in locum sacntum & legem solitum esse continenter malo loqui, & affirmare Iesum Nazarenum locum illum esse demoliturum, & mores, quos Moses tradidisset, mutaturum. Rogatus igitur a principe sacerdotum vtrum vera essent, quæ ipsi obiicerentur, longe repetita narratione, multa de figuris veteris testamenti, quæ venturum Christum significabant, multa etiam de Iudæorum inueterata perfidia & peruicacia, ac prophetarum persecutione disseruit. Quibus auditis, illi magnopere crucia-

bantur. Spectans porro in cœlum, Ecce (ait) video cœlos apertos, & filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. Illi vero excalmantes voce magna comprimebant aures suas, & eum impetu facto extra vrbem eiecerunt, & lapidibus obruebant inuocantem & dicentem, domine Iesu, suscipe spiritum meum. Postremo cum genibus flexis clamasset voce magna, Domine, ne statuas illis hoc peccatum, migravit ad dominum.

Ad laudes an. Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem, domine Iesu suscipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum. **Oratio.** Da nobis quæsumus **vt supra.** **Deinde pro commemoratione natiui. dicitur.** Oremus. **Oratio.** Concede quæsumus. &c. **Ad vesper. hym.** Deus tuorum. **An.** Sepelierunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. **Oratio.** Da nobis. **Deinde pro commemoratione sancti Ioannis antiphona.** Iste est Ioannes, qui supra pectus domini in cœna recubuit, Beatus Apostolus, cui reuelata sunt secreta cœlestia. **Oremus.** Oratio.

Scclesiam tuam domine benignus illustra: vt beati Ioannis Apostoli tui & euangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat sempiterna. Per domi. **Deinde fit comme. de natiui. vt sup.** Oremus. Concede quæsumus omnipotens Deus.

Die. 27. D **Ioannes Apostolus & Euangel. du. ma. Ad matu. inui. & hym. de communi Apostolorum an.** Hic est discipulis ille, qui testimonium perhibet de his: & scimus, quia verum est testimonium eius. **Lectio tertia.**

Ioannes Apostolus & Euangelista, qui cum Iacobo fratre Christum

se vocantem relictis retibus & patre Zebedæo sequutus est, mira charitate Christum dilexit: estque ab ipso maxime omnium discipulorum dilectus. Hunc enim Christus suæ transfigurationi voluit cum Petro & Iacobo fratre interesse, & cum eisdem se comitari ad Iairi archisynagogi filiam sanandam ingredientem: idemque cum Petro missus est, vt illi Pascha pararent: in eaque postrema cœna in sinu domini recubuit, & solus est ausus eundem de proditoris nomine percontari. Et quod est omnium maximum mutuae dilectionis argumentum, Christus cum penderet in cruce huic potissimum matrem suam commendauit, ad eam enim conuersus, Mulier (inquit) ecce filius tuus: & ad illum, Ecce mater tua. Hic quoque primus omnium apostolorum post resurrectionem ad monumentum peruenit. Idem cæteris euangeliiis approbatus ad asserendam Christi diuinitatem contra Hebionitas hæreticos, scripsit euangelium vltimum omnium in Asia. Cum autem in persecutione Domitiani Ephesi captus, & Romæ (vt Tertulianus est author) in dolium feruentis olei diectus, incolumis euasisset, in Pathmon insulam relegatus est, vbi Apocalypsim conscripsit. Vnde reductus Ephesum (actis Domitiani post eius mortem a senatu rescissis) Drusianam insigni religione mulierem nuper defunctam in Christi Nazareni nomine ad vitam reuocauit, quo miraculo multos ad veram fidem conuertit, ibique vsque ad Traianum principem perseuerans, ecclesias Asiæ a se fundatas sanctissime rexit. Tandem senio confectus, sexagesimo octauo post passionem domini anno, suæ vero ætatis nonagesimonono structum

sibi apud Ephesum sepulchrum viuens subiit. Tum splendor tumulo circumfusus, loci hominisque aspectum circumstantibus ademit, quo postmodem remittente, ianane apparuit conditorium, nec ipse post id tempus est in terris viuus.

Ad laud. an. Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo. **Oratio.** Ecclesiam tuam. &c. **Deinde pro comme. Natiui. & sancti Stephani dicitur.** Oremus. **Oratio.** Concede. &c. **Oratio.** Da nobis. &c. **Ad vesper. hym.** Exultet cœlum. **vt in communi apostolorum an.** Exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur: & non dixit Iesus, non moritur: Sed, sic eum volo manere donec veniam. **Oratio.** Ecclesiam. &c. **Deinde pro comme. Inno. an.** Hi sunt qui cum mulieribus non sunt conquinati, virgines enim sunt: & sequuntur agnum quoquaque ierit.

Oratio.

Deus cuius hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica: vt fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus & vita fateatur. **Per. Deinde fit comme. de Natiui. & sancto Stephano vt supra.** Oremus. Concede quæsumus omnipotens Deus. Et Da nobis quæsumus domine.

Innocentes martyres duplex mi.

Die. 28. E **Ad matu. inui. & hym. de communi pluri. mart. an.** Herodes iratus occidit multos pueros in Bethlehem Iudæ ciuitate Dauid.

Ex cap. ij. Matth. Lectio tertia.

Angelus domini apparuit in somnis Ioseph, dicens Surge, & accipe

puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius nocte: & secessit in Ægyptum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem, Ex Ægypto vocaui filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem, Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. **Ad laudes antiphona.** Vox in Rama audita est: ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos. **Oratio.** Deus cuius. &c. **Deinde pro comme. Natiuita. sancti Stephani & sancti Ioannis dicitur.** Oremus. **Oratio.** Concede. **Oratio.** Da nobis. **Oratio.** Ecclesiam tuam. **Ad vespervas hymnus de communi plurimorum marty. an.** Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab iniquo rege lactentes interfecti sunt: ipsum sequuntur agnum sine macula, & dicunt semper: Gloria tibi domine. **Oratio.** Deus cuius. &c. **Deinde fit comme. de Natiui. sancti Stepha. sancti Ioannis vt supra.** Oremus Conded quæsumus omnipotens Dues. Et Da nobis quæsumus domine imitari. Et Ecclesiam tuam domine benignus.

Notandum quod licet festa sancti Thomæ Cantuariensis & sancti Siluest. sint simplicia, tamen si aliquod eorum

inciderit in dominica, officium fit de festo, & nihil de dominica.

Die. 29. F **Thomas archiepisc. Cantuariensis martyr. Lectio. iij.**

Thomas natione Anglus suscepto archiepiscopatu Cantuariensi, vt in cancellariæ muneribus obeundis strenue se gesserat, sic in ecclesia administranda fortem & constantem animum præstitit. Nam cum rex Henricus coacta Synodo, leges quasdam ferre moliretur dignitati, & commodis ecclesiæ perniciosas, tam sancte & constanter se conantibus eius opposuit, vt nullis neque pollicitationibus, neque minis potuerit deterreri. Itaque missus est ipse in exilium, & tota eius cognatio regno excedere iussa, cunctorum bonis publicatis. Sexto autem anno papa & Gallorum rege intercedentibus, ab exilio cum ingenti totius regni gratulatione reuocatur, magno tamen scelere atque fraude regis. Qui dolens sacrilegos suos conatus Thomæ sanctitate ad nihilum recidisse, violata fide, mittit armatorum manum, qui eum in sua ecclesia trucidarent. Quibus ille aduenientibus, portas ecclesiæ, quas clerici ad obsistendum clauserant, patefecit, seque intrepidum obtulit iugulandum, hoc duntaxat precatus, ne suorum quisquam læderetur. In me (inquit) vnum tela conuertite: non enim recuso pro Dei ecclesia mortem oppetere. Itaque flexis genibus Deum adorans, gladii impiorum confossus occubuit, quinto calend. Ianuarij. Cuius corpus in eadem ecclesia conditum est magnificentissimo sepulchro. **Oratio.**

Deus, pro cuius ecclesia gloriosus pontifex Thomas gladii impiorum occubuit: præsta quæsumus, vt omnes qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur ef-

fectum. Per.

In laudibus & vesperis pro comme.
Natiui. sancti Stephani sancti Ioan.
sanctorum Innocen. dicitur. Oremus.
Deinde dicuntur eorum orationes: & sic
fieri debet vsque ad circuncisionem.

Die. 30. G Inuitato. Hymnus, & an-
tipho. dicuntur de natiui.

Secundum Lucam. Lectio. iij.

ca. 2. **I**N illo tempore: Erant Ioseph &
Maria mater Iesu mirantes super his
quæ dicebantur de illo.

Et reliqua. Homilia Origenes.

Congregemus in vnum ea, quæ in ortu
Iesu dicta scriptaque sunt de eo: &
tunc scire poterimus singula quæque
digna esse miraculo. Quam ob rem
mirabatur & pater (Sic enim appel-
latus est Ioseph, quia nutritior eius
fuit) Mirabatur & mater, super om-
nibus quæ dicebantur de eo. Quænam
ergo sunt de paruulo Iesu dicta? Pa-
stores erant in regione illa, vigilantes
& obseruantes custodias noctis. Venit
angelus sub ipsa hora natiuitatis Iesu,
& ait ad eos, Ite, & inuenietis infantem
inuolutum pannis, & positum in præse-
pio. Necdum Angelus verba finierat: &
ecce multitudo cœlestis exercitus lau-
dare cœpit & benedicere Deum. Cum
hoc pastores trepidi perspexissent, &
angelus recessisset ab eis, dixerunt ad
inuicem. Eamus vsque Bethleem, &
videamus hoc factum quod dominus os-
tendit nobis. Venerunt, & inuenerunt
paruulum. Tam illi quam pastores
quæ facta fuerant mirabantur. Su-
per hoc & de Simeone scribitur, quod
rumorem auxerit, miraculi vel magna
pars fuerit. Tenuit enim puerum in
brachiis suis: & ait, Nunc dimittis
seruum tuum domine, secundum ver-
bum tuum in pace, Quia viderunt oculi
mei salutare tuum. Fastigium, & (vt

ita dicam) culmen super his quæ iacta-
bantur de Iesu: & pater & mater il-
lius mirabantur, Sermo Simeonis fuit.
Non enim sufficit ei tenere paruulum,
& ea quæ de semetipso sunt proloqui,
sed benedixit patri illius & matri.

Oratio.

OMnipotens sempiternæ Deus dirige
actus nostros in beneplacito tuo:
vt in nomine dilecti filij tui, mereamur
bonis operibus abundare. Per eundem.
Die. 31. A Syluester papæ conf. L. iij.

Syluester patria Romanus ad sum-
mum pontificatum electus est
Constantino Imperatore, qui Con-
stantinus Christianæ religionis tam stu-
diosus fuit, vt non alioquin crucis
signo in bellis vteretur: quod in-
stante pugna, qua Maxentium tyran-
num deuicit, ex lumine factum, ipse
& exercitus viderat cœlo sereno circa
meridiem sole declinante, his verbis in-
scriptum: Constantine, in hoc signo
vince, authore Sozomeno in tripartita
historia: qui Eusebium testari refert se
Constantinum eundem audiuisse, cum
id palam multis referret, & iureiurando
confirmaret. Quam occasionem nac-
tus Syluester, relicto Soracte monte,
quo fuerat a tyrannis relegatus, Ro-
mam venit. Constantinumque bene-
iam in Christianos animatum promp-
torem reddidit, ad optime de eccle-
sia Dei merendum. Longum vtique es-
set recensere, quæ & quanta ad cultum
Dei pertinentia optimus Imperator eius
suasu fecerit. Constitutiones autem Sy-
luestri præcipuæ fuerunt, vt chrisma
ab episcopo tantum consecraretur. Vt
baptizatum chrismate liniat presbyter
instante morte. Vt clericus in curia
causas ne agat, neve ante iudicem se-
cularem causam dicat. Diaconus in ec-
clesia celebrandi causa dalmatica in-

duatur, & palla linostima læua eius tegatur. Cum autem in pontificatu annos viginti tres, menses decem, dies vndecim sanctissime vixisset, mortuus in cœmeterio Priscillæ via Salaria sepelitur pridie Calend. Ianuarij.

COMMUNE
Sanctorum.

Notandum quod Inuitatoria. Hymni. Antiphonæ, Tertie lectiones, & Orationes infrascriptorum Communium, dicuntur quoniam celebrantur aliquod festum cui nihil est properium assignatum, & si alicui aliquid fuerit assignatum, quod defuerit petendum est ex infrascriptis Communibus.

Notandum præterea, quod si in aliqua regione, aut ciuitate inciderit festum alicuius sancti, eius regionis, aut ciuitatis patroni, & non fuerit de contentis in Calendario huius Breuiarij, celebrabitur apud ipsos, eo die quo hactenus celebrari consuevit, & officium fiet vt in infrascriptis communibus. Si autem eo die inciderit in Calendario aliud festum simplex, fiet comme. de eo ad Primam: si vero fuerit duplex, transferatur, quemadmodum hactenus ipsi transferre consueuerunt. Aduertendum insuper, quod licet in quibusdam Communibus assignantur duæ tertie lectiones, non tamen sunt ambæ legendæ, sed altera tamen, quam quisque maluerit. Item notandum quod in Communibus in quibus vna tamen assignatur Antiphona ad vesper. illa dicenda est in vtrisque ves. quoniam celebratur aliquod festum duplex, & similiter faciendum de Hymno, si dictum festum habet vtrasque vesper. vt in regulis generalibus.

APOSTOLORVM ET EVANGELI
starum commune. Ad vesper. hym.

EXultet cœlum laudibus, Resultet terra gaudiis: Apostolorum gloriam Sacra canunt solennia.

Vos secli iusti iudices, Et vera mundi lumina, Votis precamur cordium, Audite preces supplicum.

Qui cœlum verbo clauditis, Serasque eius soluitis: Nos a peccatis omnibus Soluite iussu quæsumus.

Quorum præcepto subditur Salus, & languor omnium: Sanate ægros moribus, Nos reddentes virtutibus.

Vt cum iudex aduenerit Christus in fine seculi, nos sempiterni gaudij, Faciat esse compotes.

Deo patri sit gloria, Eiusque soli filio Cum spiritu paraclito, Et nunc & in perpetuum. Amen. **An.** In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. **Ad matu. inui.** Regem Apostolorum dominum venite adore. **Hym.**

AEterna Christi munera Apostolorum gloriam, Laudes canentes debitas lætis canamus mentibus.

Ecclesiarum principes, Belli triumphales duces, Cœlestis aulæ milites, Et vera mundi lumina.

Deuota sanctorum fides, Inuicta spes credentium, Perfecta Christi charitas, Mundi triumphat principem.

In his paterna gloria, in his voluntas Spiritus, Exultat in his filius, Cœlum repletur gaudio.

Te nunc redemptor quæsumus, Vt ipsorum consortio: Iungas præcantes serulos, In sempiterna secula. Amen.

An. Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui domine. **Ad laud. an.** Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, centeuplum, accipietis, & vitam æternam possidebitis. **Ad vespe. an.** Tradent enim vos in conciliis, & in syn-

agogis suis flagellabunt vos: & ante reges, & præsidēs ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.

VNIUS MARTYRIS commune. Ad matuti inuita. Regem martyrum dominum venite adoremus.
Hymnus.

N Artyr Dei, qui vnicum Patris sequendo filium Victis triumphans hostibus, Victor, fruens cœlestibus.

Tui precatus munere nostrum reatum dilue, Arcens mali contagium, Vitæ remouens tædium.

Soluta sunt iam vincula Tui sacrati corporis, Nos solue vinclis seculi Amore filij Dei.

Antiphona. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.

Sermo sancti Augusti. Lectio. iij.

Triumphalis beati martyris N. dies hodie nobis anniuersaria celebritate recurrit, cuius glorificationi sicut congaudet ecclesia, sic eius proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cuius glorioso agone duo nobis præcipue consideranda sunt, indurata videlicet tortoris sæuitia, & martyris inuicta patientia. Sæuitia tortoris, vt eam detestemur: Patientia martyris, vt eam imitemur. Coronata itaque est beati martyris patientia, mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta N. non exhorruit carcerem, ad imitationem capitis sui tolerauit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante apostolo biberat, alte retinebat: quia non sunt condignæ pas-

siones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Secundum Lucam. Alia. Lectio. iij.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis, Si quis venite ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. c. 14.

Et rel. Hom. Sancti Grego. papæ.

Si consideremus, fratres charissimi, quæ & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena nanque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia? angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Sed ad hæc audita inardescit animus: iamque illic cupit assistere, vbi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Vnde Paulus egregius prædicator dicit, Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Delectat igitur mentem magnitudo præmiorum: sed non deterreat certamen laborum.

Ad laudes antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt intercedente beato N. martyre tuo, a cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & a prauis cogitationibus mundemur in mente. Per do.

Si fuerit mar. & pontifex. Oratio.

Infirmitatem nostram respice omnipotens Deus, & quia pondus propriæ actionis grauat, beati N. martyris tui, atque pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per do. *Ad vesper. hym.*

Deus tuorum militum Sors, & corona, præmium Laudes canentes martyris Absolue nexu criminis. Hic nempe mundi gaudia, Et blandimenta noxia, Caduca rite deputans, Peruenit ad cœlestia.

Pœnas cucurrit fortiter: Et sustulit viriliter, Pro te effundens sanguinem æterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici Te poscimus piissime. In hoc triumpho martyris, Dimitte noxam seruulis.

Laus & perennis gloria Deo patri, & filio, Sancto simul paracleto In sempiterna secula. Amen.

Antiphona. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

PLVRIMORVM MARTYRVVM
commune. Ad matu. inui. Regem martyrum dominum venite adoremus.
Hymnus.

Etterna Christi munera, Et martyrum victorias Laudes canentes debitas Lætis canamus mentibus.

Terrore victo seculi, Pœnisque spretis corporis, Mortis sacræ compendio, Vitam beatam possident.

Traduntur igni martyres, Et bestiarum dentibus, Armata sæuit vngulis Tororis insani manus.

Nudata pendent viscera, Sanguis sacra- tus funditur, Sed permanent immobiles Vitæ perennis gratia.

Te nunc redemptor quæsumus, Vt martyrum consortio Iungas precantes serulos, In sempiterna secula. Amen.

An. Tanquam aurum in fornace probauit electos dominus, & quasi holocausta accepit eos in æternum. *L. iij.*

Natalem hodie, dilectissimi, celebramus sanctorum martyrum N. & N. qui contemnentes scelerorum iussa principum, modo coronantur, & accipiunt palmas laborum: qui fundati erant supra firmam petram, id est Christum. De talibus & huiusmodi Apostolus mente compunctus ingemiscens ait, Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt: in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Et beatus Gregorius in expositione cuiusdam euangelij. Ecce (inquit) electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum vocibus moribusque prædicant. Eam etiam moriendo diligunt: atque ad illam per tormenta attingunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos: & quasi holocausta hostiæ accepit illos.

Sermo sancti Aug. episc. Alta. L. iij.

Quotiescunque, fratres charissimi, sanctorum martyrum solennia

celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus a domino consequi temporalia beneficia: vt ipsos martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab eis enim sanctorum martyrum in veritate festiua gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. Solennitates enim martyrum exhortationes martyriorum sunt: vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum illis. Qui enim sanctos martyres, in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit peruenire. Sic & Apostolus Paulus prædicat, dicens, Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum. Et dominus in Euangelio, Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite. Sed dicit aliquis, Et quis est qui possit beatorum martyrum vestigia sequi? Huic ego respondeo, Quia non solum martyres, sed & ipsum dominum cum ipsius adiutorio, si volumus, possumus imitari.

Ad laudes antiphona. Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & peruenerunt ad præmia regni, & lauerunt solas suas in sanguine agni. **Oratio.**

DEus, qui nos annua sanctorum martyrum tuorum N. & N. solennitate lætificas: concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, accendamus exemplis. Per dominum no.

Si fuerunt ma. pontifices. Oratio.

BEatorum martyrum pariterque pontificum N. & N. nos quæsumus domine festa tueantur, & eorum commendet oratio veneranda. Per dominum nostrum. **Ad vespas hym-**

mus.

REx gloriose martyrum,
Corona confitentium:

Qui respuentes terrena,
Perducis ad cœlestia.

Aurem benignam protinus,
Appone nostris vocibus,
Trophæa sacra pangimus,
Ignosce quod delinquimus.

Tu vincis in martyribus,
Parcendo confessoribus:
Tu vince nostra crimina,
Donando indulgentiam.

Deo patri sit gloria. &c.

Antiphona. Gaudent in cœlis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti, & quia pro eius amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

Notandum quod si simul celebrantur sanctus, & sancta martyres, officium fit de communi plurimorum mar.

CONFESSORIS PONTIFICIS commune. Ad matut. inui. Regem confessorum dominum venite adoremus. **Hymnus.**

Sesu redemptor omnium, Perpes corona præsulum, In hac die clementius Nostris faueto precibus.

Tui sacri qua nominis Confessor almus claruit: Huius celebrat annua Deuota plebs solennia.

Qui rite mundi gaudia Huius caduca respuens: Cum angelis cœlestibus Lætus potitur præmiis.

Huius benignus annue, Nobis sequi vestigia: Huius precatu seruulis, Dimitte noxam criminis.

Sit Christe rex piissime, Tibi patrique gloria: Cum spiritu paraceto, Et nunc, & in perpetuum. Amen.

An. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est

iustus.

Ex serm. sancti Ambrosij. Lectio iij.

AD sancti ac beatissimi patris nostri N. cuius hodie festa celebramus, laudes addidisse. aliquid decerpisse est. Cum siquidem virtutum eius gratia non sermonibus exponenda sit, sed operibus comprobanda. Cum enim dicat scriptura diuina, Gloria patris est filius sapiens, quantæ huius sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia & deuotione lætatur? In Christo enim Iesu per euangelium ipse nos genuit. Quicquid igitur in sancta plebe hac potest esse virtutis & gratiæ, de hoc quasi de quodam lucidissimo fonte omnium riuulorum hæc puritas emanauit. Etenim quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, quia blandimentis erat præditus lænitatis, omnium ciuium in Deum prouocauit affectum. Quia pontificis administratione fulgebat, plures e discipulis reliquit sui sacerdotij successores. Bene ergo & congrue in hac die quam nobis beati patris nostri N. huius ad paradisum transitus exultabilem reddidit, præsentis psalmi versiculum decantauimus. In memoria æterna erit iustus. Digne enim in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transijt angelorum. Qui iam gratiam Christi clarificatus inuenit: quia mundi gloriam non quæsiuit: cauens illud quo dicit sermo diuinus. Ne laudaueris hominem in vita sua tanquam si diceret, Lauda post vitam: magnifica post consummationem.

Ex Ecclesiasti. Alia. Lectio. iij.

ECce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Ex-

celsi. Ideo iureiurando fecit illum dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi: & testamentum suum confirmauit super caput eius. Cognouit eum in benedictionibus suis, conseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam coram oculis domini. Magnificauit eum in conspectu regum, & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi sacerdotium magnum, & beatificauit illum in gloria. Fungi sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorem suauitatis.

Ad lau. an. Euge serue bone, & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit dominus. *Oratio.*

DA quæsumus omnipotens Deus, vt beati N. confessoris tui atque pontificis veneranda solennitas, & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per do. *Ad vesper. hym.*

ISte confessor domini sacratus, Festa plebs cuius celebrat per orbem: Hodie lætus meruit secreta, Scandere cœli.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus, Sobrius, castus fuit & quietus, Vita dum præsens vegetauit eius, Corporis artus.

Ad sacrum cuius tumulum frequenter Membra languentum modo sanitati, Quolibet morbo fuerint grauata Restituuntur.

*V*nde nunc noster chorus in honorem Ipsius hymnum canit hunc libenter, Vt piis eius miritis iuuemur, Omne per æuum.

Sit salus illi, decus, atque virtus, Qui supra cœli residens cacumen: Totius mundi Machinam gubernat Trinus & vnus. Amen.

An. Sacerdos & pontifex, & virtutum

opifex: pastor bone in populo, ora pro nobis dominum. **Si fuerit summus pontifex an.** Dum esset summus pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit. **Infrascripta an. dicenda est in ves. sanctorum Gregoij, Ambrosij, Augustini, & Hiero. an.** O doctor optime, ecclesiæ sanctæ lumen Beate N. diuinæ legis amator, deprecare pro nobis filium Dei.

CONFESSORIS NON PONTIFICIS commune. Ad matu. inui. Regem confessorum dominum venite adoremus. **Hymnus.**

Sesu corona celsior, Et veritas sublimior: Qui confidenti seruulo, Redis perenne præmium.

Dsupplicanti cœtui, Obtentu huius optimi: Remissionem criminum, Rumpendo nexum vinculi.

Anni recurso tempore, Dies illuxit lumine, Quo sanctus hic de corpore, Polum migravit præpotens.

Proinde te piissime, precamur omnes supplices, Vt huius almi gratia, Nobis remittas debita.

Gloria patri domino, Gloria vnigenito, Vna cum sancto spiritu, In sempiterna secula. Amen.

An. Similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.

Sermo sancti Bernardi. Lectio. iij.

Gaudete in domino dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulset beatum N. mundo, cuius multi saluarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quod sublatus de medio appropriauit Deo, vt multo plures eius intercessione saluentur. Habet ex hominibus cui hominum peccata donet misericors, & miserator dominus. Habet tempus, & locum intercedendi pius, & misericors aduocatus, & quidem

locum quietum, & tempus feriatum. In terris visus est: vt esset exemplo, in cœlum leuatus est, vt sit patrocino. Hic informauit ad vitam, illic inuitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi iam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget? Dominus conseruat eum, & viuificat eum, & beatum facit eum in gloria. Nihil illi deerit, in loco pascuæ collocato. Hæc dies gloriosæ migrationis eius, dies lætitiæ cordis eius, exultemus, & lætemur in ea.

Ad laudes an. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce, alia quinque superlucratus sum.

Si fuerit Abbas. Oratio.

Intercessio nos quæsumus domine beati N. abbatis commendet: vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocino assequamur. Per do.

Si fuerit confessor tantum. Oratio.

Deus, qui nos beati N. confessoris tui annua solennitate lætificas, concede propitius: vt cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per. **Ad vespe. hym.** Iste confessor domini sacratus. &c. **vt sup. in confessore pontifi. an.** Hic vir despiciens mundum, & terrena, triumphans, diuitias cœlo condidit ore, & manu.

VIRGINVM COMMVNE.

Ad matuti. inui. Regem virginum dominum venite adoremus. **Ad matu. hymnus.**

Virginis proles, opifexque matris, virgo quem gessit, peperitque virgo, Virginis festum, canimus tropheum, Accipe votum

Hæc tua virgo duplici beata, Sorte dum gestit fragilem domare Corporis secum, domuit cruentum, Corpore seclum.

Vnde nec mortem, nec amica mortis: Sæua pœnarum genera pauescens: Sanguine fuso, meruit secreta, Scandere cœli.

Huius obtentu, Deus alme nostris: Parce iam culpis, vitia remittens: Quo tibi puri, resonemus alnum, Pectoris hymnum.

Gloria patri, genitæque proli: Et tibi compar, vtriusque semper: Spiritus alme, Deus vnus omni: Tempore secli. Amen. **Pro vna virgine an.** Hæc est virgo spaiens, & vna de numero prudentum. **Pro pluribus virginitas Antiphona.** Prudentes virgines aptate vestras lampades: ecce sponsus venit, exite obuiam ei.

Secundum Matthæum. Lectio. iij.

c. 14. **I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simle est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ.

Et rel. Hom. sancti Grego. papæ.

Sæpe vos, fratres charissimi, admoneo praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare. Sed hodierna sancti Euangelij lectione compellor dicere, vt & bona quæ agitis cum magna cautela timeatis: ne per hoc quod a vobis rectum geritur, fauor aut humana gratia requiratur. Ne appetitus laudis subrepat: & quod foris ostenditur, intus a mercede euacuetur. Ecce enim redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ sunt. Quia earum quædam dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt. Sed prius quærendum no-

bis est, quid sit cœlorum regnum: aut cur decem virginibus comparetur: quæ etiam virgines prudentes, & fatuæ dicantur. Cum enim cœlorum regnum constat, quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile esse prohibetur? Sed sciendum nobis est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis ecclesia dicitur: de quo alio in loco dominus dicit: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inueniri scandala poterunt, quæ colligantur.

Ex Ecclesiast. Alia. Lectio. iij.

Confitebor tibi domine Rex & cap. collaudabo te Deum saluatorem vlti. meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, & a labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me: a pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuata. De altitudine ventris inferi, & a lingua coinquinata, & a verbo mendacij, a rege iniquo, & a lingua iniusta liberasti me. Laudabit vsque ad mortem anima mea dominum: quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manu angustiarum domine Deus noster.

Ad laudes pro vna virgine an. Hæc est virgo sapiens, quam dominus vigilantem inuenit. **Pro pluribus antiphona.** Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius offerentur tibi. **Ora-**

tio.

Indulgentiam nobis quæsumus domine beata N. virgo & martyr imploret, quæ tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per do.

Si fuerit virgo tantum. Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de beatæ N. festiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per do. *Pro pluribus.*

Oratio.

DA nobis, quæsumus domine Deus noster, sanctarum virginum & martyrum tuarum N. & N. palmas ineffabili veneratione venerari: vt quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per.

Notandum quod si fuerint virgines tantum, & non martyres, omittitur in prædicta oratione. Et martyrum. Ad vesper hym.

Iesu corona virginum, Quem mater illa concipit, Quæ sola virgo parturit, Hæc vota clemens accipe.

Qui pascis inter lilia Septus coreis virginum Sponsas decorans gloria, Sponsisque reddens præmia.

Quocunque pergis virgines Sequuntur, atque laudibus post te canentes cursitant, Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur largius, Nostris adauge mentibus, Nescire prorsus omnia Corruptionis vulnera.

Laus, honor, virtus, gloria Deo patri & filio. Sancto simul paracleto, In seculorum secula. Amen.

Pro vna virgine antiphona. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi dominus præparauit in æternum.

Pro pluribus antiphona. Gloriosæ virgines venite, accipite coronas, quas dominus præparauit vobis in æternum.

VNIUS SANCTÆ NEC VIRGINVM nec mar. Item martyris tantum commune. Ad matu. inuita. Laudemus Deum nostrum in confessione beatæ N. **Hymnus.**



Vius obtentu Deus alme nostris Parce iam culpis vitia remittens, Quo tibi puri resonemus alnum Pectoris hymnum.

Gloria patri, genitæque proli, Et tibi compar vtriusque semper Spiritus alme Deus vnus omni tempore secli. Amen.

An. Hæc est, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

Ex Ecclesiastico. Lectio tertia.

Domine Deus meus, exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus sum. Inuocaui dominum patrem domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio. Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea, & liberasti me de perditione, & eruisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor tibi, & laudem dicam nomini tuo domini Deus noster. cap. vlti.

Ad laudes an. Ista est speciosa inter filias Ierusalem. **Oratio.**

EXaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de beatæ N. festiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per. **Ad vesper. hym.** Huius obtentu. *vt supra.*

An. In odorem vnguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

**OFFICIVM BEATÆ
virginis Mariæ.**

Notandum, quod in omnibus sabbatis totius anni fit officium de beata virgine modo infrascripto præterquam in sabbatis Quadragesimæ, & in sabbatis occurrentibus, quando fit officium de aliqua octa. & in sabbatis in quibus inciderit aliquod festum duplex, excipitur etiam sabbatum in quo inciderit vigilia Natiui. domini, aut vigil. Epipha.

Notandum præterea, quod festa simplicia in sabbatis occurrentia, etiam si habuerint, propriam lectionem omituntur, & fit tamen comme. de eis in fine Primæ, vt sup. in dominica prima Aduentus explicatum est. Et similiter omittuntur tertiæ lectiones occurrentes in Calendario ex epistolis. Sciendum est autem quod in singulis horis omnia dicuntur vt in aliis diebus, præter infrascripta.

In aduentu. Ad matuti. inuita. Aue Maria gratia. Hymnus.

Quem terra pontus, æthera Colunt, adorant, prædicant Trinam regentem machinam Claustum Mariæ baiulat.

Cui luna sol, & omnia Deseruiunt per tempora, Perfusa cœli gratia Gestant puellæ viscera.

Beata mater munere, Cuius super-nus artifex, Mundum pugillo continens, Ventris sub arca clausus est.

Beata cœli nuntio, Fœcunda sancto spiritu, Desideratus gentibus Cuius per aluum fusus est.

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et hora mortis suscipe.

Gloria tibi domine. Qui natus es de virgine, Cum patre, & sancto spiritu In sempiterna secula. Amen.

An. Angelus domini nuntiauit Mariæ: & concepit de spiritu sancto, Haleluiah.

Ad tertiam lectionem Benedictio. Per

virginem matrem concedat nobis dominus salutem & pacem. *R.* Amen.

Lectio. iii.

Missus est Angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, & ait angelus ei, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis, sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria, Ecce ancilla domini, Fiat mihi secundum verbum tuum.

Post tertiam lectionem semper dicitur.

Te Deum. &c. Ad laudes antiphona. Spiritus sanctus in te descendet Maria: ne timeas habebis in vtero filium Dei, Haleluiah. Oratio.

Deus, qui de beatæ Mariæ virginis vtero, verbum tuum angelo nuntiante carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, vt qui vere eam

Luc.
1.

genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eun.

Ad vesperas hymnus.

A Ve maris stella, Dei mater alma:
Atque semper virgo, Felix cœli porta.

Sumens illud aue Gabelis ore, funda nos in pace, Mutans Eue nomen.

Solue vincla reis, Profer lumen cæcis: Mala nostra pelle, Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem, Sumat per te preces, Qui pro nobis natus, Tulit esse tuus.

Virgo singularis, inter omnes mitis, Nos culpis solutos Mites fac, & castos.

Vitam præsta puram, Iter para tutum, vt videntes Iesum, Semper collætetur.

Sit laus Deo patri, Summo Christo decus, Spiritui sancto tribus honor vnus. Amen.

Antiphona. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

POST ADVENTVM

reliquo anni tempore. Ad matu. inuit.

Aue Maria gratia plena. **Hym.**

Gloriosa dominia, Excelsa super sydera, Qui te creauit prouide, Lactasti sacro vber.

Quod Eua tristis abstulit, Tu reddis almo germine, Intrent vt astra flebies, Cœli fenestra facta es.

Tu regis alti ianua, Et porta lucis fulgida: Vitam datam per virginem, gentes redemptæ plaudite.

Maria amater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et hora mortis suscipe.

Gloria tibi domine, Qui natus es de virgine, Cum patre, & sancto spiritu. In sempiterna secula. Amen.

An. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui. **Ad tertiam lectionem benedictio.** Per virginem matrem. **vt supra. Tertia lectio**

legenda est vna ex infrascriptis secundum varietatem temporum. Post octauam Epiphaniæ vsque ad quadragesimam dicitur vna ex duabus proxime infrascriptis, quam quisque maluerit.

Ex Ecclesiastico.

I†N omnibus requiem quæsiui, & in c. 24.
hæreditate domini morabor. Tunc c
præcepit, & dixit mihi creator omnium: & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabitata, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam: & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui: & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa, dedi suauitatem odoris.]

Ex Ecclesiast. Alia. Lectio. iij.

EGo quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Memoria mea in generatione seculorum, Qui

edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Post octauam Paschæ vsque ad finem mensis Maij.

Ex sermone sancti Augu. Lectio. iij.

O Beata Maria, quis tibi digne valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perditio? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes vnica peccatorum: per te speramus veniam delictorum, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo sexu. Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam commemorationem.

In mensibus Iunij & Iulij.

Ex sermo. sancti Bernar. Lectio. iij.

A Duertistis fratres quoniam virgo, regia ipsa est via, per quam saluator aduenit, procedens ex ipsius vtero tanquam sponsus de thalamo suo. Tenetes ergo hanc viam studeamus dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos de-

scendit, per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habemus ad filium o benedicta inuentrix gratiæ, genetrix vitæ, mater salutis: vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua, culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitatis, copiosa charitas tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa, fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræsentata. Fac o benedicta, per gratiam, quam inuenisti, per prærogatiuam, quam meruisti: per misericordiam, quam peperisti, vt qui te mediante fieri dignatus est participes infirmitatis, & miseræ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ, & beatitudinis suæ Iesus Christus filius tuus dominus noster, qui est super omnia benedictus in secula. Amen.

In mense Augusto.

Ex sermo. sancti Augu. Lectio. iij.

Loquamur aliquid fratres in laudibus sacratissimæ virginis Mariæ. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus? Cum & si omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior enim cœlo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur. hæc est enim quæ sola meruit mater & sponsa vocari. Hæc primæ matris damna resoluit. Hæc homini perditio redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, genetrix domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix

meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Hæc enim mirabili, atque inæstimabili modo omnium rerum & suum peperit saluatorem. Quæ hæc virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus sanctus? Quæ tam speciosa, vt eam Deus sibi eligeret sponsam? Quæ tam casta, vt esse posset virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons ille signatus, & porta in domo Dei clausa. Ad hanc nanque spiritus sanctus descendit, hanc virtus Altissimi obumbrauit. Hæc est immaculata coitu, fœcunda partu, virgo lactans: angelorum & hominum cibum nutriens. Merito nanque beata, singulari a nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Denique tantum se ad cœli fastigia subleuauit, vt verbum in principio apud Deum de superna cœli arce susciperet. O felix Maria: & omni laude dignissima. O virgo Dei genitrix gloriosa. O sublimis puerpera, cuius visceribus author cœli, terræque committitur.

In mense Septembri.

Sermo sancti Bernard. Lectio. iij.

Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir vnus & mulier vna nocuere: sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam omnia restaurantur: nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum: sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat non confregit, sed vtil-

ius omnino refecit: vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex Deo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane & potens mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum: nec alter nobis vtilior quam Maria. Crudelis nimium Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis. Illa suggessit præuaricationem, hæc iniecit redemptionem.

In mense Octobri. Ex eodem sermone. Lectio. iij.

Amplectamur Mariæ vestigia, fratres mei, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur. Teneamus eam: nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem & aream mulier inter solem, & lunam: Maria inter Christum & ecclesiam constituta. Sed forte miraris non tam vellus opertum rore, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas: sed mira omnino vicinitas solis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsistit? Merito quidem admiraris Moyses sancte & curiosius desideras intueri. Veruntamen solue calceamenta de pedibus tuis: & inuolucra pone carnalium cogitationum,

si accedere concupiscis. Vadam (inquit) & videbo visionem hanc magnam. Magna plane visio, rubus ardens sine combustione, magnum signum: mulier illæsa manens amicta sole. Non est rubi natura, opertum vndique flammis, manere nihilominus incombustum, non mulieris potentia vt sustineat solis amictum. Non est virtutis humanæ, sed nec angelicæ quidem: sublimior quædam necessaria est. Spiritus sanctus (inquit) superueniet in te. Et tanquam respondeat illa, Quoniam spiritus est Deus & Deus noster ignis consumens est. Virtus (ait) non mea, non tua sed altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaque mirum si sub tali obumbraculo, talis etiam a muliere sustineatur amictus.

In mensi Nouembri vsque ad Aduentum.

Ex eodem sermone. Lectio. iij.

MIhi sane singularis rutilat fulgor, primo quidem in Mariæ generatione: secundo in angelica visitatione: tertio in spiritus superuentione. quarto in filij Dei inenarrabili conceptione. Sic & in his quoque sydereum plane irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod sine corruptione fœcunda, quod sine grauamine grauida, & sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. Vestræ quidem sedulitatis erit, singula quæque diligentius intueri. Nos interim satisfacisse videbimur, si breuiter ea potuerimus demonstrare. Quid ergo sydereum micat in generatione Mariæ? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahamæ, quod generosa ex stirpe Daud, si id parum videtur, adde quod generatio illi ob singulare priuilegium

sanctitatis diuinitus noscitur esse concessa, quod longe ante eisdem patribus cœlitus repromissa, quod mysticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænuntiata prophetis. Hanc enim sacerdotalis virga dum sine radice floruit, hanc Gedeonis vellus dum in medio siccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis visione orientalis porta quæ nulli vnquam patuit, præsignabat. Hanc denique præ cæteris Isaias nunc virgam de radice Iesse orituram promittebat, nunc euentius virginem parituram. Merito signum hoc magnum in cœlo apparuisse scribitur, quod tanto ante de cœlo noscitur fuisse promissum: Dominus (ait) ipse dabit vobis signum, Ecce virgo concipiet. Magnum profecto signum dedit: quia & magnus ipse qui dedit.

Ad laudes an. Beata Dei genitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, sacrarium spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo, ora populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu. **Oratio.**

BEatæ, & gloriosæ, semperque virginis Mariæ quæsumus domine intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducatur æternam. Per dominum no.

Ad vesperas hymnis. Aue maris stella. &c. **vt supra. Antipho.** Beata mater, & intacta virgo gloriosa, regina mundi, intercede pro nobis ad dominum.

SEPTEM PSALMI

pœnitentiales.

Notandum quod infrascripti septem Psalmi cum Litanis & Orationibus, dicuntur in Feria quarta Cinerum & in quibusdam sextis Feriis Quadragesimæ, vt in eis adnotatur. Antiphona. Ne reminiscaris. **Psalmus.**

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei domine quoniam infirmus sum: sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu domine vsquequo?

Conuertere domine & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit dominus deprecationem meam: dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.

Gloria patri, & filio. **Psalmus.**

BEati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circundedit me: exultatio mea, erue me a circumstantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

In chamo, & fræno, maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in domino misericordia circundabit.

Lætamini in domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.

Gloria patri, & filio. **Psalmus.**

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue, grauata sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ: a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliqui-

uit me virtus mea: & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

Amici mei & proximi mei: aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.

Et qui iuxta me erant de longe steterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus, non audiebam: & sicut mutus, non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te domine speraui: tu exaudies me domine Deus meus.

Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adiutorium meum: domine Deus salutis meæ.

Gloria patri, & filio. **Psalmus.**

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis: & vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti, incerta, & occulta sapientiæ tuæ, manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiæ: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proicias me a facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiæ salutis tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiæ tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum, Deus non despicias.

Benigne fac domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria patri, & filio. **Psalmus.**

Domine exaudi orationem meam:
& clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam a me: in quacun-
que die tribulor, inclina ad me au-
rem tuam.

In quacunque die inuocauero te: ve-
lociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei:
& ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum, vt fœnum, & aruit
cor meum: quia oblitus sum comedere
panem meum.

A voce gemitus mei: adhæsit os meum
carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis:
factus sum sicut nycticorax in domi-
cilio.

Vigilaui: & factus sum sicut passer soli-
tarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici
mei: & qui laudabant me, aduersum me
iurabant.

Quia cinerem tanquam panem mand-
ucabam: & poculum meum cum fletu
miscebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia
eleuans allisisti me.

Dies mei sicut vmbra declinauerunt: &
ego sicut fœnum arui.

Tu autem domine in æternum per-
manes: & memoriale tuum in genera-
tionem, & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: quia
tempus miserendi eius, quia venit tem-
pus.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides
eius: & terræ eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum
domine: & omnes reges terræ gloriam
tuam.

Quia ædificauit dominus Sion: &
videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: &

non spreuit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera:
& populus, qui creabitur, laudabit
dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo:
dominus de cœlo in terram aspexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt
solueret filios interemptorum.

Vt annuncient in Sion nomen domini:
& laudem eius in Ierusalem.

In conueniendo populos in vnum: &
reges, vt seruiant domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: pauci-
tatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meo-
rum: in generationem & generationem
anni tui.

Initio tu domine terram fundasti: &
opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt tu autem permanes: &
omnes, sicut vestimentum, veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mu-
tabuntur: tu autem idem ipse es, &
anni tui non deficient.

Filij seruorum tuorum habitabunt: &
semen eorum in seculum dirigetur.

Gloria patri, & filio. **Psalmus.**

DE profundis clamaui ad te domine:
domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem
deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris domine:
domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter
legem tuam sustinui te domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius:
sperauit anima mea in domino.

A custodia matutina vsque ad noctem:
speret Israel in domino.

Quia apud dominum misericordia: &
copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus in-
iquitatibus eius.

Gloria patri, & filio. **Psalmus.**

Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris, sicut mortuos seculi: & anxiatu est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatatus sum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me domine: defecit spiritus meus.

Non auertas faciem tuam a me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum domine viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

Gloria patri, & filio. **Antiphona.** Ne reminiscaris domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison. Christe eleison. Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria ora.

Sancta Dei genitrix ora.

Sancta virgo virginum ora.

Sancte Michael ora.

Sancte Gabriel ora.

Sancte Raphael ora.

Omnes sancti Angeli, & Archangeli Dei orate.

Omnes sancti beatorum spirituum ordines ora.

Sancte Ioannes Baptista ora.

Omnes sancti patriarchæ & prophetæ, orate pro nobis.

Sancte Petre ora.

Sancte Paule ora.

Sancte Andrea ora.

Sancte Iacobe ora.

Sancte Ioannes ora.

Sancte Iacobe ora.

Sancte Philippe ora.

Sancte Thoma ora.

Sancte Bartholomæe ora.

Sancte Matthæe ora.

Sancte Simon ora.

Sancte Thadæe ora.

Sancte Mathia ora.

Sancte Barnaba ora.

Sancte Luca ora.

Sancte Marce ora.

Omnes sancti apostoli, & euangelistæ orate.

Omnes sancti discipuli domini ora.

Omnes sancti Innocentes ora.

Sancte Stephane ora.

Sancte Laurenti ora.

Sancte Vincenti ora.

Sancte Fabiane	ora.	Ab ira tua,	libera nos domine.
Sancte Sebastiane	ora.	A subitanea & improuisa morte,	libera nos domine.
Sancte Ioannes & Paule, orate pro nobis.		Ab insidiis diaboli,	libera nos.
Sancte Cosma, & Damiane, orate pro nobis.		Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,	libera nos domine.
Sancti Geruasi & Protasi, orate pro nobis.		A spiritu fornicationis,	libera.
Omnes sancti martyres	orate.	A fulgure, & tempestate,	libera.
Sancte Siluester	ora.	A morte perpetua,	libera nos.
Sancte Gregori	ora.	Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,	libera nos domine.
Sancte Augustine	ora.	Per aduentum tuum	libera nos,
Sancte Ambrosi	ora.	domine.	
Sancte Hieronyme	ora.	Per natiuitatem tuam,	libera.
Sancte Martine	ora.	Per baptismum & sanctum ieiunium tuum,	libera nos domine.
Sancte Nicolæ	ora.	Per crucem & passionem tuam,	libe.
Omnes sancti pontifices & confessores orate pro nobis.		Per mortem & sepulturam tuam,	libera nos domine.
Omnes sancti doctores,	orate.	Per sanctam resurrectionem tuam,	libera nos domine.
Sancte Antoni	ora.	Per admirabilem ascensionem tuam,	libera nos domine.
Sancte Benedicte	ora.	Per aduentum spiritus sancti paraleti,	libera nos domine.
Sancte Francisce	ora.	In die iudicij,	libera nos domine.
Sancte Dominice	ora.	Peccatores,	te rogamus audi.
Sancte Bernarde	ora.	Vt nobis parcas,	te rogamus.
Omnes sancti Monaci, & Eremitæ orate pro nobis.		Vt nobis indulgeas,	te roga.
Omnes sancti sacerdotes, & leuitæ, orate pro nobis.		Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,	te roga.
Sancta Maria Magdalena	ora.	Vt ecclesiam tuam sanctam regere & conseruare digneris,	te rogamus audi nos.
Sancta Agnes	ora.	Vt domnum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris,	te rogamus audi.
Sancta Lucia	ora.	Vt inimicos sanctæ Dei ecclesiæ humiliare digneris,	te ro.
Sancta Cæcilia	ora.	Vt regibus, & principibus Christianis, pacem & veram concordiam donare digneris,	te ro.
Sancta Agatha	ora.	Vt cuncto populo Christiano pacem &	
Sancta Catharina	ora.		
Sancta Barbara	ora.		
Omnes sanctæ virgines & ciduæ, orate pro nobis.			
Omnes sancti, & Sanctæ Dei intercedite pro nobis.			
Propitius esto, parce nobis domine			
Propitius esto, exaudi nos domine.			
Ab omni malo, libera nos domine.			
Ab omni peccato,	libera nos.		

vnitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.

Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare & conseruare digneris, te rogamus.

Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rogamus.

Vt omnibus benefactoribus nostris, sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.

Vt animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, te roga.

Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris, te rogamus.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi.

Vt nos exaudire digneris, te ro.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. V̄. Et ne nos. R̄.

Sed libera nos a malo. **Psalmus.**

DEus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, Euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, & pauper sum: Deus

adiuuu me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: domine ne moreris.

Gloria patri. Sicut. V̄. Saluos fac seruos tuos. R̄. Deus meus sperantes in te. V̄. Esto nobis domine turris fortitudinis. R̄. A facie inimici. V̄. Nihil proficiat inimicus in nobis. R̄. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. V̄. R̄. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. V̄. Oremus pro pontifice nostro. R̄. Dominus conseruet eum & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. V̄. Oremus pro benefactoribus nostris. R̄. Retribuere dignare domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen. V̄. Oremus pro fidelibus defunctis. R̄. Requiem æternam dona eis domine: & lux perpetua luceat eis. V̄. Requiescant in pace. R̄. Amen. V̄. Pro fratribus nostris absentibus. R̄. Saluos fac seruos tuos Deus meus sperantes in te. V̄. Mitte eis domine auxilium de sancto. R̄. Et de Sion tuere eos. V̄. Domine exaudi. R̄. Et clamor. Oremus.

Oratio.

DEus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. **Oratio.**

EXaudi quæsumus domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

Alia Oratio.

INeffabilem nobis domine misericordiam tuam clementer ostende: vt simul nos & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, erip-

ias. **Oratio.**

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentiæ placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte. **Oratio.**

OMnipotens sempiterne Deus miserere famuli tui papæ nostri, & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. **Oratio.**

DEus a quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. **Oratio.**

VRe igne sancti spiritus renes nostros, & cor nostrum domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus. **Oratio.**

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. **Oratio.**

Actiones nostras quæsumus domine aspirando præueni, & adiuuando proseguere: vt cuncta nostra oratio, & operatio, a te semper incipiat, & per te coepta finiatur. **Oratio.**

OMnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris, simul & mortuarum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præsens seculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exustos corpore suscepti, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ

clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per do. &c. **Ÿ.** Benedicamus domino. **℞.** Deo gratias. **Ÿ.** Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. **℞.** Amen.

OFFICIUM

Defunctorum.

Sciendum, quod officium defunctorum dicitur tantum in crastino omnium sanctorum, & in quibusdam sextis Feriis Quadragesimæ, vt suis locis adnotatur. Aduertendum tamen quod in crastino omnium sanctorum dicuntur Vesperæ cum Matutino & Laudibus, vt ibi videbis. In sextis autem Feriis prædictis non dicuntur Vesperæ, sed tantum Matutinum cum suis Laudibus.

Notandum præterea, quod Antiphonæ dicuntur integræ in principio, & in fine, quemadmodum in festis duplicibus. Vesperæ omnibus aliis prætermisissis absolute incipiuntur ab antiph. **infrascripta.** An. Collocet eos dominus cum principibus populi sui. **Deinde dicuntur tres infrascripti psalmi.** Dilexi quoniam. fol. 25. Ad dominum cum tribula. folio. 52. De profundis. fol. 88. **quibus adiungitur canticum.** Magnificat. folio. 16. **Sciendum est autem, quod in officio Defunctorum in fine cuiuslibet psalmi dicitur Ÿ.** Requiem æternam donec eis domine. **℞.** Et lux perpetua luceat eis. **finito cantico.** Magnificat. **repetitur an. suprascripta.** Collocet eos. **deinde dicitur.** Pater noster. **Ÿ.** Et ne nos. **℞.** Sed libera nos. **Ÿ.** A porta inferi. **℞.** Erue domine animas eorum. **Ÿ.** Domine exaudi. **℞.** Et clamor meus. **Postea dicuntur tres infrascriptæ orationes sub vna terminatione.** Oremus. **Oratio.**

DEus, qui inter apostolicos sacerdotum famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere,

præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Oratio.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos, amicos, & benefactores, qui ex hoc seculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. *Oratio.*

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur, Qui viuus & reg. &c. *Ÿ.* Requiem æternam dona. &c. *℞.* Et lux perpetua. *Ÿ.* Requiescant in pace.

℞. Amen. *Matutinum absolute incipitur ab inuitatorio infrascripto. Inuita.* Regem cui omnia viuunt venite adoremus. *Deinde dicitur psalmus.* Venite exultemus. &c. *quo finito cum.* Requiem æternam dona. &c. *repetitur Inuitato. Deinde statim dicitur antiphona.* Audiui vocem de coelo dicentem mihi: Beati mortui, qui in domino moriuntur. *Postea dicuntur tres psal. infrascripti.* Verba mea. fo. 34. *psalmus.* 6. Domine ne in furo. fol. 46. Quemadmodum desiderat. folio. 48. *Finitis psal. repetitur antipho. & statim dicitur.* Pater noster. *Deinde tres infrascriptæ lectiones incipiuntur, & finiuntur absolute sine benedictionibus, & sine.* Tu autem do. *Ex ca. 19. Iob prophetæ. Lectio prima.*

Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum: & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei saltem

vos amici mei, quia manus domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro stilo ferreo, & plumbi lamina, vel certe sculpantur in silice? Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Deinde dicitur ℞. Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum, Tu eis domine dona requiem & locum indulgentiæ. *Ÿ.* Qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Tu eis.

Ex ca. 5. Ioannis. Lectio secunda.

Amen Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit: sed transit a morte in vitam. Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuunt. Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, Nolite mirari hoc: quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

℞. Requiem æternam dona eis domine. Et lux perpetua luceat eis. *Ÿ.* Animæ eorum in bonis demorentur, & semen eorum hæreditet terram. Et lux perpetua.

Ex cap. 15. Epistolæ primæ Pauli ad

Corinthios. *Lectio tertia.*

ECce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem: & mortale hoc, induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum.

R̃. Libera me domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi sunt & terra. Dum veneris

iudicare seculum per ignem. **Ÿ.** Dies illa dies iræ, calamitatis & miseræ, dies magna, & amara valde. Dum veneris.

Finitis lectionibus cum suis responsoriis statim dicitur absolute ad laudes antipho. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. **Postea dicuntur psalmi. Psalmus. 50.** Miserere mei. &c. folio. 70. Te decet hymnus Deus. fo. 49. Ego dixi in. fol. 33. **Canticum.** Benedictus dominus. folio. 7. **Deinde repetitur an.** Ne tradas bestiis. **& post eam dicitur.** Pater noster. **Ÿ.** Et ne nos. **R̃.** Sed libera nos. **Ÿ.** A porta inferi. **R̃.** Erue domine animas eorum. **Ÿ.** Domine exaudi. **R̃.** Et clamor meus ad. Oremus. Deus qui inter apostolicos sacerdotes. **Cum reliquis orationibus, vt supra in vesperis.**

F I N I S.

I O S V E I.

Non recedat Volumen Legis huius ab
ore tuo, sed meditaberis in eo
diebus ac noctibus.